Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

TOUS DROITS RÉSERVÉS

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

COLLEGIT ORDINEQUE DISPOSUIT

A. J. J. F. HAINE

SANCTITATIS SUAE PRAELATUS DOMESTICUS,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON.,
IN UNIV. CATH. LOVAN. S. THEOLOGIAE DOCTOR,
PONT. INS. « *Pro Ecclesia et Pontifice* » DECOR.,
ROM. ACAD. RELIG. CATH. SOCIUS,
S. FAC. THEOL. PROF. ORD. HON.

250.8
H15-2

TOM. II

EDITIO QUARTA

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 26,453

FRANCISCAN
CONVENT
SANTA BARBARA, CAL.

LOVANII

Edidit CAROLUS FONTEYN, Bibliopola

VIA DICTA MARENGO, 18

ROMAE

APUD DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. EDITORES PONTIFICES

Via S. Chiara, 20-21

1900

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap.

Magister

LOVANII, TYPOGRAPHIA E. CHARPENTIER

DE JUSTITIA ET JURE.

PRAEAMBULUM. Hujus tractatus **triplex** erit pars. In **prima**, agetur de natura justitiae et juris; in **secunda**, de injuria seu injustitia; in **tertia**, de restitutione tam in communi quam in specie.

PARS PRIMA.

DE NATURA JUSTITIAE ET JURIS.

CAP. I. De justitia in communi.

Q. 1. *Quotuplici sensu* sumatur JUSTITIA ?

R. *Triplici* sensu : *generalissimo* seu *latissimo* ; *lato* seu *magis proprio* ; demum *stricto*.

Explanatur. 1°) JUSTITIA in sensu **generalissimo** seu **latissimo** dicit quamdam adaequationem cum alio : « *Dicuntur enim vulgariter*, ait S. THOM. (2. 2. q. 57. a. 1), *ea quae adaequantur* JUSTARI. » Quare dici solet : *justae partes*, *justa mensura*, *justum pretium*, *justa petitio*. Hinc nomine JUSTITIAE insignitur : A) *Charitas* a S. AUG. (*de nat. et grat.* c. 38); quia, cum sit plenitudo legis, affert secum adaequationem cum tota lege; B) *Gratia sanctificans*, eo quod hominem reddat aptum ad se conformandum legi et voluntati divinae; C) *Complexio omnium virtutum*, quia reddit voluntatem nostram legi divinae adaequatam. Quo sensu dicitur (MATTH. I, 19) : « *Joseph autem vir ejus, cum esset* JUSTUS *et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* » Et ibid. (V. 20) : « *Nisi abundaverit* JUSTITIA *vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* » 2°) JUSTITIA in sensu **lato** seu **magis proprio** sumitur pro virtute inclinante voluntatem ad reddendum alteri debitum suum, qualecumque illud sit, juxta illud Apostoli (ROM. XIII, 7) : « *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.* » Unde JUSTITIA sic accepta comprehendit sub se omnes eas virtutes quae respiciunt alterum in ordine ad reddendum ipsi quoddam debitum, ut sunt ex S. THOM. (2. 2. q. 80, a. unic.) : *Religio*, *Pietas*, *Observantia*, *Obedientia*, *Gratitudo*, *Vindicatio*, *Veritas*, *Amicitia* seu *Affabilitas* et *Liberalitas*.

3°) JUSTITIA in sensu **stricto** respicit jus proprie dictum seu rigorosum reddendum alteri. De hac in praesenti tractatu.

Q. 2. *Quid* sit JUSTITIA *stricte* sumpta ?

R. Est virtus specialis, secunda inter *cardinales*, ac communiter cum S. THOM. (2. 2. q. 58, a. 1) ex ULPIANO definitur : « *Perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **voluntas**; i. e. habitus residens non in intellectu vel memoria, sed in potentia voluntatis : non enim dicitur aliquis JUSTUS, eo quod cognoscat aut recordetur quid sit alteri reddendum, sed tantum quatenus velit illud reddere. Hinc sequitur voluntatem esse **subjectum** justitiae. — Dicitur : 2°) **perpetua et constans**; tum ex parte habitus virtutis, qui, quantum est de se, permanenter inhaeret, et dirigit non tantum ad tempus, sed perpetuo et constanter; tum ex parte objecti, ita ut non tantum circa unam aut alteram materiam, sed circa quaecumque, pro quocumque tempore, respectu cujuscumque, in affectu parata sit operari juste. — Dicitur : 3°) **jus suum**; quod intelligendum est de jure *proprie dicto* seu de *debito rigoroso* vel *legali*, ad quod reddendum, et quidem ad aequalitatem, quis lege adstringitur, ex eo quod alter habeat potestatem seu jus illud exigendi. Et per hoc differt JUSTITIA *proprie* dicta ab *Observantia*, *Pietate*, *Gratitudine* et aliis hujusmodi virtutibus, quae licet alterum respiciant, non tamen reddunt ipsi debitum *legale* seu jus proprie dictum, ex cujus violatione, praeter turpitudinem moralem, contrahitur obligatio restitutionis seu satisfactionis; sed *morale* tantum, quod ex quadam honestate virtutis procedit et ex cujus violatione non nisi turpitudo moralis contrahitur, eo quod debitum illud vel adeo sit *magnum*, ut non possit ei reddi ad aequalitatem ac proinde solum obliget ad satisfaciendum pro viribus seu quantum est moraliter possibile; vel ita sit *parvum*, ut non inducat obligationem strictam. Et haec est ratio cur, ut antea diximus (tom. I, 274), justitia *commutativa*, quae sola est justitia *stricte dicta*, dicatur attingere **medium rei**, quod semper idem est respectu cujuscumque personae, seu nobilis, seu plebeiae; aliae vero virtutes servant **medium rationis**, quod pro personarum diversitate diversum est;

sic temperantia infirmo aliter et sano mensuram alimentorum determinat. Dicitur : 4°) **cuique** ; i. e. alteri, cujuscumque sit conditionis, sive superioris, sive inferioris, sive aequalis. Cum enim justitia in constituenda aequalitate versetur, habet ex sua natura, ut in alterum tendat, dicente S. Thom. (2. 2. q. 58, a. 2) : « *Nihil enim est sibi aequale sed alteri.* » Hinc nemo sibi ipsi JUSTITIAM reddit, aut erga se INJUSTITIAM committit, et si id quandoque dicitur, est metaphorica locutio. Dicitur : 5°) **tribuendi** ; sive *positive*, reddendo debitum, sive *negative*, omittendo omnem actum injuriosum.

Q. 3. *Quaenam* igitur *requirantur* ad JUSTITIAM *stricte* dictam ?

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 58, a. 2 et q. 80, a. unic.) *tria* requiruntur.

Explanatur. Requiritur : 1°) Ut sit **ad alterum**, saltem *natura*, propter unicam exceptionem in Christo, qui sibi quatenus Deo satisfecit in natura humana. Cum enim in Christo duae fuerint naturae, potuit ipse de rigore JUSTITIAE sibi ipsi satisfacere, dum per actiones humanae naturae, quae propter unionem hypostaticam erant infinitae dignitatis, reparavit infinitam injuriam, quae sibi tanquam Deo illata fuerat per peccatum. Requiritur : 2°) Ut in altero sit **jus**, et quidem rigorosum, seu verum debitum legale. Requiritur : 3°) Ut hoc jus ipsi reddatur **ad aequalitatem**. Hinc qui 100 nummos creditori suo debitos solvit, servat aequalitatem, cum haec summa jus creditoris perfecte adaequet. E contra, qui pro equo ablato reddit ejus pretium, non satisfacit JUSTITIAE, quum non ponat aequalitatem inter suum debitum et creditum alterius ; nam hic habet jus in equum in individuo.

Resolvitur. Defectu **primi** requisiti, non datur JUSTITIA hominis ad semetipsum ; defectu **secundi**, a ratione *strictae* JUSTITIAE deficiunt *Fidelitas*, *Gratitudo*, *Liberalitas*, *Amicitia*, etc., quia in his solum est debitum *morale*, etsi respective obligans sub peccato ; defectu **tertii**, ad *strictam* JUSTITIAM non pertinent virtutes *Religionis*, *Pietatis* et *Observantiae* : quia Deo, parentibus et majoribus nunquam possumus reddere aequale. Cfr. S. Thom. (2. 2. q. 80, a. unic.).

Q. 4. *Quodnam* sit *objectum* JUSTITIAE *stricte* dictae ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Objectum **materiale** *remotum* est ipsa res debita; **materiale** *proximum* sunt actiones vel omissiones alteri praestandae. Objectum **formale** *quod* seu principaliter intentum est aequalitas stabilienda inter debitum unius et creditum alterius, ita ut tantum alteri praestetur, quantum juste exigere possit; unde dicitur justus qui hanc servat, injustus qui non servat. **Formale** *quo* seu *propter quod* est ratio debiti seu jus alterius : ideo enim aequale alteri redditur, quia ipsi debetur; debetur autem quia ille alter habet jus ad illud.

Q. 5. *Quotuplex* distinguatur JUSTITIA ?

R. Ex S. THOM. (2.2.q.58, a.5 et q.61, a.1) *triplex* distinguitur : *legalis, distributiva* et *commutativa*, prout ordinat vel partes ad totum; vel totum ad partes; vel partes inter se.

Q. 6. *Quid* 1°) sit JUSTITIA *legalis*; 2°) *quare* sic dicatur, et 3°) quomodo *differat* ab *obedientia ?*

R. Ad 1^{um}) Est virtus moralis inclinans partes communitatis, qua tales, ad praestanda illa quae necessaria sunt ad bonum totius conservandum vel restaurandum.

R. Ad 2^{um}) Ideo vocatur *legalis*, quia curat ea quae legibus sunt statuta in ordine ad bonum commune, quod leges principaliter intendunt.

R. Ad 3^{um}) Differt a virtute *obedientiae* : haec enim, qua talis, formaliter respicit praeceptum, nec aliter adimplet praeceptum seu legem, nisi quia manifestant voluntatem superioris, ita ut ratio praecepti seu legis sit objectum formale *obedientiae*; JUSTITIA autem *legalis* non praecise movet ad servandam legem, quia exprimit voluntatem superioris; sed ideo notanter, quia hoc prodest bono communi, ita ut utilitas boni communis sit quasi ratio formalis JUSTITIAE *legalis*.

Q. 7. An JUSTITIA *legalis* sit virtus *specialis* vel *generalis?*

R. Est quidem virtus *specialis* : quia est specialis honestas in eo, quod pars communitatis, fruens illius commodis, praestet, quae ipsi sunt debita. Dicitur tamen virtus *generalis*, quia, docente S. THOM. (2.2 q.58, a.5) : « *per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.* » Sic ex imperio JUSTITIAE *legalis* vir fortis strenue pugnat in bello; et vir temperatus abstinet a thoro alieno ob boni communis conservationem.

Q. 8. *Quid* sit JUSTITIA *distributiva?*

R. Est virtus moralis inclinans eum, qui curam communitatis habet, ad onera et munera distribuenda juxta merita, vires et facultates subditorum, et sic dicitur respicere proportionem *geometricam*, quae est adaequatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis personarum quibus eae res distribui debent, ita ut in bonorum communium distributione tanto plus tribuatur uni prae altero, quanto major est dignitas aut meritum istius prae illo.

Resolvitur. Hinc v. g. supponendo centum nummos distribuendos esse decem militibus secundum eorum merita, si ille, cujus merita sunt ut duo, accepturus sit sex nummos, is cujus merita sunt ut quatuor, debet accipere duodecim. Licet enim sex et duodecim sint inaequalia, attamen proportionem habent : quia sicut sex superant duodecim duabus partibus, pari proportione duo superant quatuor.

Q. 9. *Quid* sit JUSTITIA *commutativa?*

R. Est virtus moralis inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum *rigorosum*, secundum proportionem *arithmeticam*, quae ipsa est aequalitas rei ad rem, v. g. dati ad acceptum, mercedis ad laborem, rei restitutae ad sublatam, ita ut nec plus nec minus restituat, quam quod exigit jus alterius, sive illud praestando, sive non laedendo.

Explanatur. Ideo vocatur **commutativa,** quia circa commutationes, donationes, acceptationes aliosque contractus praecipue versatur, in quibus res pro rebus, jura pro juribus, cum aequalitate commutantur, ut si pro re vendita datur aequale pretium, pro debito aut damno alteri illato aequalis satisfactio. Reddit itaque alteri jus suum secundum proportionem *arithmeticam*.

Q. 10. An JUSTITIA, quam vocant *vindicativam*, novam speciem JUSTITIAE constituat?

R. *Negative*, in quantum est in superiore seu principe infligente reo poenam debitam. Nam, prout superior per poenas debitas communi civium securitati prospicit, JUSTITIA *vindicativa* ad *legalem* pertinet : ordinat enim tunc partem ad

totum. Prout vero poenas ipsas criminum gravitati proportionatas decernit, pertinet ad *distributivam* : ordinat enim totum ad partem. Denique prout superior JUSTITIAE *vindicativae* officia exsequitur ex quodam quasi contractu cum civibus inito de recte negotiis publicis administrandis, pertinet ad JUSTITIAM *commutativam*.

Q. 11. *Quale peccatum* sit violatio JUSTITIAE *legalis*, *distributivae*, *commutativae* et *vindicativae* ?

R. Cujuslibet JUSTITIAE violatio est, *per se*, ex genere suo, peccatum mortale : graviter enim ex se rectae rationi et bono ordini repugnat. Ast, excepta JUSTITIA *commutativa*, ceterae JUSTITIAE a *perfecta* seu a *stricta* ratione JUSTITIAE deficiunt, ac proinde *per se* non obligant ad restitutionem. Dicitur : *per se* ; nam saepe adjunctam habent JUSTITIAM *commutativam*.

Q. 12. In quo JUSTITIAE *legalis*, *distributiva* et *vindicativa* a JUSTITIA *stricte* dicta deficiant ?

R. Deficiunt in hoc sequenti.

Explanatur. Nimirum **legalis** in eo discedit, quod non respiciat perfectam *alteritatem* ; cives enim JUSTITIAM *legalem* servant ut membra communitatis ; sed communitas a suis membris non distinguitur, seu inter civem et rempublicam non datur *perfecta alteritas* : quod enim pars est, hoc totius est ; seu, aliis verbis : singuli sunt totius, id est *communitatis* partes, et quod totius est, etiam singulorum est. Est tamen ceteris JUSTITIAE speciebus nobilior, cum bonum commune, quod respicit, praestet bono privato ; et cum bonum commune ita sit procurandum aut saltem conservandum, ut ipsi bonum privatum semper postponatur. **Distributiva** et **vindicativa** in eo deficiunt, quod non respiciant *jus strictum*. Etenim JUSTITIA **distributiva** non reddit alteri jus suum seu rigorose debitum : nam licet hoc membrum communitatis sit ceteris capacius ad hoc officium, non tamen est ei rigorose debitum, nec habet ad illud jus strictum. Similiter licet JUSTITIA **vindicativa** intendat aequalitatem poenae cum delicto, ille tamen, erga quem exercetur illa JUSTITIA, non habet jus ut puniatur, neque judex ei condonans delictum facit ei injuriam. Unde neutra earum per se obligat ad restitutionem.

Resolvitur 1. Qui in casu necessitatis vitam non exponit pro

Republica, aut in publica patriae necessitate extrahit suum frumentum contra legem prohibentem, peccat, violando JUSTITIAM **legalem**; non tamen tenetur *per se* ad restitutionem, nisi *per accidens* violatio JUSTITIAE *legalis* annexam habeat violationem JUSTITIAE *commutativae*, v. g. si *ex officio* ei incumbat boni communis conservatio. **Resol. 2.** Si princeps in distributione munerum praeferat minus dignos dignioribus, peccat quidem contra JUSTITIAM **distributivam**; nihil tamen tenetur *per se* compensare dignioribus quos neglexit; quia non habent ad officia jus rigorosum, sed tantum majorem quamdam aptitudinem seu congruitatem. Si tamen superior per promotionem indigni damnum communitati intulerit, *per accidens* teneri potest ad illud reparandum vi JUSTITIAE **commutativae**, quatenus ex contractu tacito in ipsa aditione principatus se obligaverit erga rempublicam ad avertenda illius damna et bonum ejus procurandum. Sic pariter in collatione beneficii ecclesiastici, si juxta legem TRIDENTINAM fiat per concursum et praevio examine, quisque concurrens, ex tacito contractu cum examinatoribus et collatore, acquisivit jus strictum ad illud obtinendum, si inventus sit dignior; et ideo si episcopus affectui et gratiae obsequens eum praetereat, et minus digno postponat, injustitiam illi facit, quam debet reparare, ei alias, prout poterit, providendo. Similiter, si quis legaverit v. g. mille aureos distribuendos quotannis academiae studiosis pro cujusque habilitate vel inopia, tunc distributor etiam ex JUSTITIA *commutativa* tenetur ad talem distributionem, ita ut si habiliori vel pauperiori minus dederit, teneatur ipsi restituere ad justam proportionem, ad quam is acquisivit jus strictum ex intentione donatoris. **Resol. 3.** Judex, pro merito non puniens malefactorem, peccat violando JUSTITIAM **vindicativam**; non tamen tenetur *per se* ad restitutionem, nisi *per accidens* propter gravem negligentiam in puniendo causa sit, cur privati grave damnum patiantur : quia in eo casu non tantum reus est violatae JUSTITIAE *vindicativae*, sed etiam violati contractus, quo se implicite obligavit ad damna subditorum praecavenda. « Et vero non minus tenetur judex ad restituendum, cum impunitos sinit eos qui civium vitae et bonis insidiantur, quam ad id teneatur custos horti, qui accepto stipendio ut malas herbas auferat, iisdem bonum semen suffocari permittit. » (COLLET).

CAP. II. De jure in communi.

Q. 13. *Quid* sit JUS in *lato sensu ?*
R. JUS in *lato sensu* varias sortitur acceptiones.

Explanatur. Sumitur : 1°) pro **scientia** seu **peritia** JURIS, quo sensu dicitur *studere juri*, et JURIS professores vocantur *jurisperiti*.. 2°) Sumitur pro ipsa **lege**, quo sensu dividitur in JUS *naturale* et *positivum*, quod subdividitur in *divinum* et *humanum*, et hoc in *civile*, *canonicum* seu *ecclesiasticum* et jus *gentium*. In hoc sensu JUS opponitur *facto*. Hinc locutiones : quaestio *juris*, quaestio *facti*; ignorantia *juris*, ignorantia *facti*. 3°) Sumitur pro **sententia judicis**, et inde vox *judex* seu JUS dicens. 4°) Sumitur pro **loco in quo jus dicitur,** et hinc locutio *comparere in jure*. 5°) Sumitur pro **facultate aliquid agendi legitime et inculpate**, quomodo dici solet aliquem *uti jure suo*, dum id agit, quod licite agere potest. 6°) Sumitur pro eo **quod alteri debetur ex titulo simplicis honestatis** (debitum *morale*), et sic paternitas est titulus honestatis seu fundatus in exigentia ordinis moralis, obligans filios ad amorem. 7°) Sumitur pro *jure* **jurisdictionis**, quod est potestas principi seu superiori competens regendi subditos primario et principaliter in bonum subditorum, et ad quod refertur *jus* seu **dominium altum,** quod reipublicae seu principi competit disponendi aliquando de rebus privatorum *in bonum communitatis* ex gravi causa (*pour cause d'utilité publique*), dum v. g. fieri debet canalis seu via ferrea, modo tunc pro sublatis bonis aequa, in quantum fieri potest, compensatio fiat. Cfr. art. 545 *cod. civ.* et art. XI *Const. Belg.*; item lex belgica 15 Nov. 1867 *sur l'expropriation par zônes*. Itaque **dominium altum** nequaquam denotat potestatem qua princeps subditorum res auferre posset, ut ipse illas habeat : nam, ut docet S. THOM. (*Quodlib.* XII, a. 24) : « *Omnia sunt principum ad gubernandum non ad retinendum sibi aut dandum aliis.* »

Q. 14. *Quid* sit JUS in *stricto sensu ?*
R. *Sub dist.*, prout JUS sumatur vel *active*, vel *passive*.

Explanatur. 1°) JUS *strictum*, si **active** sumatur, *est facultas legitima aliquid agendi vel obtinendi in proprium commodum.*

Dicitur : A) *facultas* **legitima**; hoc est moralis, seu a lege concessa, sive *naturali*, ut jus ad vitam tuendam, ad matrimonium ineundum, ad propulsandam vim vi, ad electionem status, ad famam, etc.; sive *divina*, ut jus ad sacramenta suo tempore suscipienda; sive *humana*, ut jus ad praescribendam rem alienam, stantibus debitis conditionibus. Unde excluditur potentia mere *physica*, consistens in animalium tantummodo virium praepotentia; quo spectant sequentes in Syllabo proscriptae propositiones : LIX. « Jus *in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta* juris *vim habent.* » LXI. « *Fortunata facti injustitia nullum* juris *sanctitati detrimentum affert.* » Dicitur : B) *aliquid* **agendi** *vel* **obtinendi**. Concipitur enim jus exerceri posse vel in proprias actiones, et est potestas aliquid agendi, vel in res exteriores, et est potestas aliquid obtinendi. Dicitur : C) *in* **proprium** *commodum*; unde vocatur etiam jus *proprietatis*, quod scilicet fundatur in connexione rei cum proprietario independenter ab aliis hominibus spectato. Cum enim natura unius sit independens a natura alterius, et homo in praesenti rerum statu, Dei ordinatione, exsistere nequeat sine usu rerum externarum, sequitur hominem posse dicere de quibusdam rebus : *haec est res mea;* quo posito, sequitur exclusio aliorum hominum quoad proprietatem et usum ejusdem rei. Hinc quoque differt jus *strictum* a jure *lato*, quod vocant jus *jurisdictionis*, quod principaliter tendit in commodum subditorum, et ad quod refertur jus seu *dominium altum*, quod tendit in bonum communitatis. — **2°** Jus *strictum*, si **passive** sumatur, est id quod alteri rigorose debetur, sic ut alter possit illud tanquam sibi debitum exigere in judicio; seu est obligatio aliquid faciendi vel omittendi : haec enim directe correspondet juri *activo* alterius. Vocatur etiam a S. Thom. (2. 2. q. 80, a. unic.) debitum *legale*, ad quod reddendum, et quidem ad aequalitatem, quis lege adstringuitur. Vide supra pag. 2 seq.

Q. **15**. *Quotuplex* sit jus strictum *active* sumptum ?
R. Est *duplex :* jus *ad rem et* jus *in re.*

Explanatur. *Primum*, quod etiam vocatur jus **personale**, est facultas legitima disponendi, nondum quidem immediate de re, sed de persona aliqua in ordine ad rem ipsam. Parit actionem

tantum *personalem*, quae vocatur *condictio*, qua cogere possum personam, ut mihi satisfaciat. *Secundum*, quod etiam dicitur JUS **reale**, est facultas legitima immediate disponendi de ipsa re. Parit actionem *realem*, quae vocatur *vindicatio*, qua possum ipsam rem immediate convenire, eam mihi vindicando, ubicumque reperio. Jus autem *in re* idem est ac **dominium proprietatis**. Hinc si Petrus ex justitia tibi promittat horologium, illud vero tradat Paulo, habes JUS *ad rem*, et contra Petrum tantum, utpote tibi ex promissione obligatum, actionem personalem instituere vales. Ast si Petrus tibi furetur equum, habes JUS *in re* respectu equi, et competit tibi actio realis qua potes equum immediate apprehendere et ducere domum.

CAP. III. De dominio proprietatis ejusque speciebus, ubi et de usufructu, usu et servitute.

Q. 16. Dic : 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit DOMINIUM *proprietatis ?*

R. Ad 1^{um}) DOMINIUM *proprietatis*, quod idem est ac JUS *in re*, ut modo dicebamus, communiter definitur : *facultas legitima disponendi de aliqua re tanquam sua*, i. e. proprio nomine et auctoritate. Vocatur etiam dominium *bassum* per oppositionem cum dominio quod dicitur *altum* de quo supra (pag. 8 seq.).

R. Ad 2^{um}) Dividitur in *perfectum* seu plenum, et *imperfectum* seu semi-plenum. *Primum* est, quod complectitur simul proprietatem et utilitatem rei ; *secundum* est, quod alterutra ex his destituitur, et subdividitur : in *directum* et *indirectum* seu *utile*. DOMINIUM *directum* dicit solam rei proprietatem sine jure utendi vel fruendi ; DOMINIUM *utile* seu *indirectum* dicit jus utendi vel fruendi re, salva ejus substantia, cujus proprietas pertinet ad alterum. Praecipuae species DOMINII *indirecti* seu *utilis* sunt : USUSFRUCTUS, USUS et SERVITUS.

Q. 17. *Quid* sit USUSFRUCTUS ? *Quid* vero USUS ?

R. USUSFRUCTUS est *jus utendi et fruendi re aliena, salva ejus substantia*. USUS vero est *jus dumtaxat utendi re aliena, salva ejus substantia*. Hinc, qui habet simplicem USUM potest tantum uti re ad necessitatem propriam et quoti-

dianam, ita ut nec superfluos fructus, nec jus, quod habet, possit alteri locare, vendere aut gratis cedere ; dum e contra is, qui USUMFRUCTUM habet, possit haec omnia.

Explanatur. Dicitur : **salva ejus substantia** ; quia in USUFRUCTU, sicut in USU, debet res integra conservari domino. Ex quo sequitur, definitionem USUSFRUCTUS et USUS *proprie* non competere rebus unico actu consumptibilibus, cum earum substantia usu pereat ; ut sunt panis, vinum, oleum, etc., imo pecunia, quae ipso usu, assidua permutatione, non physice quidem, sed moraliter, exstinguitur.

Q. 18. An USUS separari possit a DOMINIO in rebus *unico actu consumptibilibus ?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Separari non potest USUS **juris**, i. e. usus independens et irrevocabilis : quia si quis habeat usum independentem et irrevocabilem, v. g. bibendi ex dolio vini, donec sit evacuatum, nihil videtur minus habere, quam qui ejus habet dominium. Separari vero potest USUS **facti**, i. e. usus dependens et revocabilis, qualem usum habere censentur : 1°) INVITATI AD CONVIVIUM respective ad cibos propositos ; non enim uti possunt illis quae mensae apponuntur ad quemlibet usum, sed tantum ad comedendum et ita dependenter a voluntate invitantis, ut hic nullam injuriam committeret, si quae exposita fuerant auferret ; 2°) RELIGIOSI solemniter professi, *in particulari*, quoad victum et vestitum, manente dominio penes communitatem ; et FRATRES MINORES DE OBSERVANTIA et CAPUCCINI, tam *in communi* quam *in particulari*, quoad omnia temporalia, quorum usum eis licet habere, ita ut ipse Ordo profiteatur se nullarum omnino rerum temporalium dominium habere, sed solum simplicem USUM *facti* ad nutum revocabilem, dominio manente vel penes dantes, vel si hi dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam ; unde equidem furtum committeret, qui res Franciscanorum auferret, faceretque ipsis injuriam, privando ipsos *usu facti*.

Scholion. Hac de re acriter olim **disputatum fuit** inter FRANCISCANOS et JOAN. XXII, qui desuper *tres* bullas edidit. In **prima** « *Cum inter nonnullos* » definit : Christum et Apostolos

habuisse quaedam propria in communi. Et quamvis Nicolaus III antea definivisset (cap. « *Exiit, qui seminat* » de verb. signif. in 6) : Christum et Apostolos non habuisse propria in communi, non tamen in hac parte sibi contradicunt hi Pontifices. Quia sensus Nicol. III est, quod Christus et Apostoli aliquando nihil habuerint in communi ; sensus vero Joan. XXII est, quod aliquando habuerint proprium in communi, quod utrumque verum est. — In **secunda** bulla « *Ad conditorem* » Joan. XXII declarat : R. Ecclesiam bonorum usu consumptibilium, quae conferuntur FF. Minoribus, non habere dominium, quod ipse abjecit, quodque in posterum non sint constituendi *Syndici* seu oeconomi qui ea bona administrent nomine Ecclesiae ; pro ratione praecipue allegans : quod *usus facti non distinguatur a dominio*. Huic autem ordinationi Joan. XXII et dominii dictorum bonorum abdicationi expresse postea derogavit Paul. IV in Bulla « *Ex Clementis Sede.* » At dato Joannem XXII in hac parte errasse, nihil sequitur absurdi : cum non sit definitio fidei aut morum, sed constitutio disciplinaris ; et aliunde, etiam in definitione infallibili, motiva allegata non cadant sub infallibilitate. Praeterea dicendo : *usum facti non distingui a dominio*, intellexit solummodo usum non posse consistere sine aliquo jure, quia alioquin esset illicitus et injustus : illud autem jus, licet tenuissimum et revocabile, vocat dominium, quia quoad effectum revera aequivalet dominio, quamdiu non fuit revocatum. — Demum in **tertia** Bulla « *Quia quorumdam* » definit : eum esse haereticum qui contradicit *primae* Bullae, et quod ille, qui contra definita et ordinata in *secunda* dixerit aut defenderit, sit contumax et rebellis Ecclesiae Romanae. Ex quibus patet : ex hac controversia nihil posse confici contra **infallibilitatem** R. Pontificis ex cathedra loquentis. Cfr. Bill.

Q. 19. *Quomodo* constituatur ususfructus ?
R. *Dupliciter* constituitur (a. 579).

Explanatur. Vel constituitur 1°) **lege**, et dicitur *legalis*, qualis est v. g. ususfructus *patris* vel *matris* in bona filiorum ante certam aetatem (a. 384) ; *mariti* in quaedam bona uxoris ; *beneficiarii* in bona ecclesiastica. Vel constituitur 2°) **hominum voluntate**, puta *testamento*, *venditione*, *donatione*, et tunc dicitur *constitutionalis*. Hic autem *triplici* modo constitui potest (a. 580) : vel

pure, vel *in diem*, vel *sub conditione*. Uno verbo, qui USUMFRUCTUM constituit, potest quas voluerit modificationes apponere, modo nec naturae USUSFRUCTUS, nec dispositioni LEGUM adversentur. Si autem nulla specialis addatur determinatio seu modificatio, tunc censetur constitutus juxta praescriptiones et interpretationem legis (aa. 1159 et 1160). Constitui vero potest in omnibus rebus, sive mobilibus, sive immobilibus (a. 581).

Q. 20. *Quaenam*, generatim loquendo, sint 1°) JURA et 2°) OBLIGATIONES *usufructuarii legalis?*

R. Ad 1^{um}) *Generatim* loquendo, usufructuarii JURA sunt : *utitur* et *fruitur*, quasi esset proprietarius (a. 578), per se vel per alium (a. 595). De his *speciatim* agitur (aa. 582-599).

Resolvitur. Hinc **1**) si res usu legitimo deterioretur eam reddit in statu in quo invenitur (a. 589) : quia res domino deterioratur. Hinc **2**) percipere potest omnes fructus qui proveniunt ex re fructuaria sive ejus occasione ; ac proinde fructus sive *naturales*, sive *industriales*, sive *civiles* (aa. 582-587), de quibus fructibus postea, ubi de *accessione*. Hinc **3**) potest non solum ususfructus utilitatem, sed ipsum usumfructum vendere, locare, donare, modo tamen nihil immutetur in conditione domini fundi, sive quoad perceptionem fructuum, sive quoad exstinctionem ususfructus, et in locatione non recedat a regulis in (aa. 1429 et 1430) consignatis.

R. Ad 2^{um}) Ejus OBLIGATIONES generatim sunt : *non abutitur*, i. e. uti et frui debet instar boni patrisfamilias (a. 601) et salva rei substantia (a. 578) De his speciatim agitur (aa. 600-616).

Resolvitur. Hinc inter alia tenetur : **1**°) facere impensas conservatorias (a. 605) ; **2**°) solvere ex integro onera et debita quae ipsam fruitionem attingunt, v. g. servorum salaria, tributa annua (a. 608) ; ea vero quae ipsam proprietatem afficiunt dividere cum proprietario, juxta modum assignatum in (aa. 609 et 612) ; **3**°) reddere rem in statu in quo reperiri debet post bonam administrationem.

Q. 21. Quibus modis *finiatur* USUSFRUCTUS ?

R. *Octo* modis sequentibus.

Explanatur. Cessat : **1**°) **Morte naturali** usufructuarii (a. 617). Si autem constitutus fuerit ususfructus donec tertius aetatem

determinatam attigerit, v. g. 30 vel 40 annos, continuatur usus-fructus usque ad praestitutum tempus, etiamsi tertius antea decesserit (a. 620). Ex cod. civ. etiam cessat *morte civili ;* sed *mors civilis* abolita fuit per legem (31 Maii 1854). 2°) **Tempore praestituto,** si ad tempus vel in diem fuerit constitutus (a. 617) ; et elapso trigesimo anno, si in favorem communitatis cujusdam constitutus sit (a. 619). 3°) **Consolidatione,** cum nempe usufructuarius fit dominus rei fructuariae, aut vice versa dominus rei fructuariae acquirit usumfructum (a. 617). 4°) Per **non usum** spatio 30 annorum, nec per se nec per alium v. g. conductorem, colonum, donatarium (a. 617). 5°) Per **abusum,** interveniente sententia judicis (a. 618). 6°) **Interitu totius rei** ; unde si pars tantum perierit, continuatur usufructus in eo quod superest (a. 623). 7°) **Renuntiatione** usufructarii, modo non fiat in fraudem creditorum (a. 622). 8°) **Soluto jure** ejus qui constituit usumfructum, quippe, resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis. Excipe tamen, si lex aliter statuerit, ut in (aa. 132 et 133).

Q. 22. *Quid* sit SERVITUS ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si sumatur **active,** est jus in re aliena nobis constitutum, quo libertas domini sic minuitur, ut in commodum nostrum teneatur aliquid pati vel omittere. Si sumatur **passive,** est ipsa obligatio rei alienae, ut aliquid in ea fiat vel non fiat, in commodum alterius. Sic jus viae quod habeo in agro alieno ex parte mea est servitus *activa ;* ex parte domini agri est *passiva,* qua tenetur aliquid in meum commodum pati. *Passiva* vocatur etiam *realis* (gallice : *services fonciers*), quia immediate adhaeret rei transitque ad successores.

Q. 23. *Quotuplex* sit SERVITUS ?
R. *Multiplex.*

Explanatur. 1°) Ratione **originis,** est *naturalis, legalis* vel *conventionalis,* prout ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventione oritur (a. 639). 2°) Ratione **objecti,** est *urbana* vel *rustica,* prout instituitur in utilitatem aedium vel agrorum (a. 687). 3°) Ratione **modi,** est *continua* vel *non continua* (a. 688), prout durare potest absque hominis facto, v. g. servitus aquae-

ductus, aut sine eo exerceri nequit, v. g. servitus itineris. Item est *apparens* vel non *apparens* (a. 689), prout exteriori signo aperte declaratur, v. g. janua, fenestra, etc. ; aut tali signo caret, v. g. prohibitio aedificandi in tali loco. De *juribus* et *obligationibus*, quae proveniunt ex servitutibus, agitur (aa. 697-702) ; et de earum *exstinctione* (aa. 703-710).

CAP. IV. De objecto dominii.

Q. 24. *Quid* sit *objectum* DOMINII ?

R. *Generatim* loquendo, illa omnia, de quibus homo disponere potest in proprium suum commodum, constituunt *objectum* DOMINII, sive *perfecti*, sive *imperfecti*, prout de illis plenissime, vel non plenissime disponere valet.

Resolvitur 1. Nec singuli nec universi homines habent DOMINIUM **coelorum, astrorum** *secundum se :* quia, licet condita sint ad nostram utilitatem, non sunt tamen ita subjecta, ut possimus de iis disponere. Secundum tamen *effectus aliquos* habet homo circa illa DOMINIUM *indirectum :* potest enim illis uti in commodum suum. Quare in jure datur actio contra illos qui per aedificia vel alio modo privant domum vicini lumine solis. **Resol. 2.** Homo habet DOMINIUM *perfectum* in **famam** et **honorem** suum, utpote quae sibi acquisivit et auget per proprios actus : quod enim ex re nostra nascitur, nostrum est. Et ideo, sicut potest laesionem famae et honoris sui in judicio repetere, sic potest etiam illam condonare ; quin imo se ipsum ex rationabili causa infamare, revelando crimen suum occultum, ob humiliationem, consilium, secluso scandalo (tom. I, pag. 485, q. 161). **Resol. 3.** Homo habet DOMINIUM *utile* in **vitam** et **membra,** ut bene agendo vitam aeternam habeat. Non tamen DOMINIUM *directum* in illa. Quare, propria auctoritate nunquam licet seipsum *directe* occidere (*ibid.* pag. 450, q. 126). **Resol. 4.** Cum omnes homines sint natura pares, nemo habet **in alterum** DOMINIUM *perfectum*. Potest tamen homo habere DOMINIUM *utile* alterius hominis, quoad operas ejus. Unde **servitus** seu **status subjectionis,** quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare, *per se* juri naturae non repugnat. Dicitur : *per se ;* i. e. abstrahendo ab illis excessibus, quos reperimus apud ethnicos,

qui servitutem habent ut oppressionem et tyrannidem. **Resol. 5.** Homo habere potest *plenum* DOMINIUM in bona quaevis **externa sublunaria**, quae hominis usui subjiciuntur : quia Deus (Ps. CXIII, 16), « *terram autem dedit filiis hominum ;* » et quamvis eam singulis non diviserit, divisionem tamen post peccatum factam ita approbavit, ut (ECCL. XXXI, 8) dicatur : « *Beatus dives, qui inventus est sine macula.* »

Scholion. Praeclare pro more suo scribit BILL. (*de jure*, diss. IV, a. 1, dico 3) : « **Divisio rerum** facta est *non jure naturae :* quia jus naturae neque ad eam inclinat ut ad aliquid simpliciter necessarium, sed ut ad quid magis conveniens tantum ; *non jure divino positivo*, cum neque in Scriptura neque in Traditione ullum de ea exstet praeceptum ; sed *jure gentium*, quatenus homines dum attenta corruptione naturae, quae est sui amans, alieni negligens, cupiditati et ambitioni serviens, viderent gravia et plura incommoda sequi occasionaliter ex communitate bonorum, divisionem, non dico praeceperunt : alioquin peccarent Monachi [omnia in communi habentes], sed ut vitae sociali et bonorum administrationi magis convenientem communi consensu formali vel tacito introduxerunt. Unde (Lib. I, Digest. tit. 1, n. 3) dicitur : « *Ex hoc jure gentium discretas esse gentes, regna condita, dominia distincta, agris terminos positos.* » Hucusque BILL.

At rerum divisione semel facta earumque inchoata occupatione, **dominium privatum** evasit omnino **inviolabile** : tum 1°) *de jure naturae ;* nam sublato DOMINIO seu jure proprietatis, subverteretur societas : quisque enim vellet omnibus dominari, nulli servire nullique vacare labori, sicque corruerent agrorum cura, artes, commercium, industriae, etc. ; tum 2°) *de jure divino*, ut patet ex prohibitione furti ; tum *de lege humana*, tam *ecclesiastica*, quam *civili*, quae tota in eo est, ut jus proprietatis cuique tueatur. Quapropter merito a RR. PP. PIO IX (Enc. « *Qui pluribus* » 9 Nov. 1846) et LEON. XIII (Enc. « *Quod Apostolici* » 28 Dec. 1878) damnata fuerunt systemata illorum qui **Socialistae, Communistae** vel **Nihilistae** appellantur, quique, ut utar verbis LEONIS XIII (ibid.), « *jus proprietatis naturali lege sancitum impugnant, et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae*

haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parcimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt.»
Et quidem **jus proprietatis** tum **singularum personarum**, tum **patrisfamilias** in convictu domestico, invictis argumentis demonstrat idem Pontifex Leo XIII in Enc. « *Rerum novarum* » (15 Maii 1891). Circa 1^um^, haec inter alia habet : « *Possidere*, inquit, *res* **privatim** *ut suas jus est homini a natura datum... Homo enim, cum actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei se ipse gubernat providentia consilii sui : quamobrem in ejus est potestate res eligere quas ad consulendum sibi non modo in praesens sed etiam in reliquum tempus maxime judicat idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habent cujusque hominis necessitates velut perpetuos reditus, ita ut hodie expleta in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare, nisi cum ubertatibus suis terra, potest.* » — Circa 2^um^, haec tradit Pontifex : « *Jus dominii... transferri in hominem qua* **caput est familiae** *oportet. Sanctissima* [enim] *naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procrearit : idemque illuc a natura deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, acquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum quas ad liberos haereditate transmittat.* »

Q. 25. Ex *quotuplici* titulo constitui possit SERVITUS, seu DOMINIUM *utile* unius in operas alterius ?

R. Ex *quadruplici* titulo.

Explanatur. 1°) ***Ex* pacto** seu renuntiatione propria. Non enim repugnat, ut quis renuntiet libertati suae, ad propriam suam inopiam sublevandam, vel ad debita, quibus impar est, solvenda. 2°) ***Ex* jure belli** : si enim victor potest quandoque captivos occidere ob gentis securitatem, a fortiori potest eos in servitutem re-

digere. 3°) *Ex* **delicto** seu ex justa damnatione : nam si reus potest damnari ad mortem, a fortiori potest ad servitutem. 4°) *Ex* **nativitate**, si quis nascatur a serva : quia partus sequitur ventrem, i. e. conditionem ipsius matris.

Resolvitur 1. Servis, qui sunt tales : sive **ex pacto**, sive quia **ex matre** aliter quam bello serva nati sunt in servitute, *per se* non licet fugere : quia numerantur in rebus domini sui, sicut ceterae ejus possessiones. Dixi : *per se;* nam excipiuntur qui periculose sollicitantur ad peccatum, aut quos dominus vult occidere, aut quibus necessaria ad vitam denegat : jus enim quod illi habent a natura ad vitam suam sive corporalem, sive spiritualem, praevalet juri domini sui. **Resol. 2.** Contra servi *ex bello* **injusto** debent remitti, a fortiori possunt fugere. Idem dic de servis *ex sententia injusta*. **Resol. 3.** Utrum servis *ex bello* **justo** licitum sit fugere ad suos, DD. disputant. *Affirmant* Soto, Bann.s, Sylvius, Less., alii, contra Sylvestr., Navar. Molin. alios; quae sententia confirmatur nedum ex communi persuasione, sed etiam ex constanti usu bella gerentium, qui servorum fugitivorum nunquam pretium aut petunt, aut mittunt (Bill.). Ad servos *ex* **sententia justa** quod attinet, recole dicta (tom. I, *De Legibus*, q. 55, pag. 142 seq.).

Q. 26. An *licitum* sit SERVORUM *commercium (la traite des nègres)?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de nigris seu aliis **injuste** libertate spoliatis, vel in **legitima** servitute exsistentibus. Si **primum** : omnino illicitum est ex omni jure; si **secundum** : non est absolute illicitum **per se**, i. e. si fiat modo debito : nam, semel admissa servitute ut legitima, si dominus in servos verum habet jus quoad eorum operas, illud jus aliis transmittere potest. Dixi : **per se**; nam foret illicitum **per accidens**, i. e. : 1°) si obstent leges civiles, ut in Europa, ubi servitus interdicitur, praesertim ab an. 1814; 2°) in aliis locis, si obstent certae circumstantiae, ut si conjuges forent separandi aut proles a parentibus; vel si id fiat modo inhumano, ut plerumque contingit, ut si servi a suis regionibus turmatim transvehantur et vendantur ut vilia pecora. Contra quam inhumanam negotiationem fortiter insurrexerunt plures RR. PP.,

quos inter Paul. III, Urban. VIII, Bened. XIV, Pius VII et Greg. XVI, qui varias suorum praedecessorum Constitutiones recenset et auctoritate sua confirmat Const. « *In supremo Apostolatus* » (3 Dec. 1839), et imprimis Magnus Leo XIII in praeclaris suis Litteris « *In pluribus* » (5 Maii 1888) ad episcopos Brasiliae, ap. N. R. T. (XX, 341 seqq.), ubi cordis sui miserantis vota hisce verbis expandit : « *Utinam omnes, quicumque imperio et potestate antecedunt, vel jura gentium et humanitatis sancta esse volunt, vel religionis catholicae incrementis ex animo student, ubique omnes, hortantibus, rogantibus Nobis, ad ejusmodi* mercaturam, *qua nulla inhonesta magis et sceleratа, comprimendam, prohibendam, exstinguendam enixe conspirent.* »

Scholion. Ut legenti praecitatas *Litteras* Leonis XIII patebit, religioni christianae tribuenda est Servitutis **abrogatio**, de qua nullus antea legislator aut philosophus cogitaverat. Hanc autem abrogationem induxit, non repente et subito : quod gravissimorum malorum origini exstitisset ; sed paulatim et sapienter ; non quidem servitutem uti illicitam et juri naturali repugnantem pronuntiando ; sed per suam mirabilem doctrinam, quidquid in servitute erat inordinatum praescindendo. Quo spectant verba Pauli (Gal III, 26-28 ; Coloss. III, 11 ; Ephes. VI, 9 ; Coloss. IV, 1 ; 1 Cor. XII, 13 ; Philem 16).

Q. 27. *Qualia* sint *bona externa*, sublunaria quae sub dominio cadere possunt.

R. Sunt corporea vel incorporea.

Explanatur. Priora seu **corporea** sunt ipsamet bona externa, quae possidemus ; posteriora seu **incorporea** sunt ipsa *jura* ad illa bona habenda vel repetenda : jus enim habetur instar boni, de quo dominus disponere potest. Porro bona corporea sunt **mobilia** vel **immobilia**. Priora seu *mobilia* sunt, quae de loco in locum, vi sua vel aliena, moventur ; posteriora seu *immobilia* sunt, quae, salva earum substantia, de loco in locum moveri non possunt, ut praedia omnia, nempe agri, quae *praedia rustica* et aedificia, quae *praedia urbana* dici solent. Attamen inter res *immobiles* sunt, quae suapte natura *mobiles* sunt, sed fictione juris *immobilibus* accensentur, quatenus ita immobilibus sunt annexa, ut si ab invicem

disjungantur, utraque fere totum suum valorem amittant, et ideo vocantur immobilia *per destinationem* (aa. 522-525); tales, inter alias, sunt: quae immobilium partem constituunt, ut portae, tegulae domus; item fructus naturales praediorum, ut foenum, segetes, poma, quamdiu solo tenentur; secus, si ab eo separati fuerint, mobiles sunt. Similiter bona INCORPOREA, seu jura, modo *immobilibus*, modo *mobilibus* accensentur, juxta naturam rei, quam pro objecto habent: nempe jura ad res immobiles inter immobilia, jura autem ad res mobiles inter mobilia recensentur: ideo dicuntur mobilia vel immobilia *ex determinatione legis* (aa. 529 et 526). Demum bona *mobilia*, si usu haud consumuntur, ut libri, vestes, **non fungibilia**; secus, ut triticum, pecunia, **fungibilia** dici solent, i. e. mutua vice funguntur. Proinde cum sic data fuerint, ut restituantur, priora *eadem specie*, posteriora vero *eodem genere* reddenda sunt. Unde dicitur: fungibilia *constare pondere, numero et mensura*.

CAP. V. De subjecto dominii in genere, ubi de capacitate Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia.

Praenotandum. Quoniam dominium proprietatis, ut supra (pag. 10) dictum fuit, definitur *facultas legitima disponendi de aliqua re tanquam sua*, patet omni et soli *naturae intellectuali*, nempe Deo, Angelo et homini competere dominium.

Et quidem **Deus** habet dominium *universale*, *absolutum* et *independens*, et ut dicit S. THOM. (2. 2. q. 66, a. 1) « *principale* » in omnes res creatas ratione creationis et continuae conservationis earum juxta illud Ps. XXIII, 1: « *Domini est terra et plenitudo ejus.* » Et SAP. XII, 16: « *Omnium Dominus es.* » Unde quoque canit Ecclesia: « *Tu solus Dominus.* » Et hoc dominium Deus neque abdicare, neque ulli creaturae communicare, neque ullam creaturam ab illo eximere potest: quia ejus titulus, nempe creatio et conservatio assidua causae supremae et independentis neque potest communicari, neque quisquam ab ea eximi potest. Quod tamen non impedit quominus Deus communicet creaturis intellectualibus particulare dominium suo universali dominio *subordinatum*, sicut quamvis communicet virtutem agendi causis

creatis, remanet tamen suprema causa. **Angeli** quoque dominium habent proprie dictum suorum actuum liberorum; at vero rerum inferiorum ac corporearum non habent proprie dominium, cum non possint de eis disponere tanquam suis, sed praecise ex Dei mandato, ut ministri ipsius; et multo minus tale dominium habent **daemones**, qui tamen dicuntur *principes* hujus mundi et rectores tenebrarum harum, non quod sint vere alicujus rei domini, sed quia homines incitant ad malum, et eos sive peccato actuali, sive peccato originali obnoxios detinent captivos. Soli ergo **homini** inter omnes creaturas competit proprie dominium in res inferiores et corporeas, juxta illud Ps. VIII, 8 : « *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves,* » *etc.* Cfr. Billuart. — Hinc struitur via ad *sequentem quaestionem* :

Q. 28. *Quisnam* in terris sit DOMINII *subjectum?*

R. Omnes ac soli homines sunt DOMINII capaces, sive usum rationis habeant, sive eo careant, ut infantes et amentes.

Explanatur. Licet enim ad usum *actualem* DOMINII requiratur usus rationis, ad *habituale* tamen DOMINIUM intellectualis natura sufficit; alias dormiens vel ebrius amitteret dominium. Unde Apostolus (Gal. IV, 1) tribuit parvulo verum dominium haereditatis relictae, dicendo : « *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum* [quamvis] *sit dominus omnium.* » « Cujus aperta signa sunt, ait Bill., quod pueris et amentibus injuriam faceret, qui eorum bona usurparet; et quod tutor vel curator eorum bona administret non ut sua, sed ut eorum bona. » Imo, ex jure gallico, infantes nondum nati, sed concepti, *ab intestato* succedunt et possunt haeredes constitui; et, si vitales nascantur, non solum fiunt domini haereditatis, sed illam transmittunt haeredibus suis, etiamsi una tantum die vixerint (a. 725). — Ceterum, homines sub *duplici respectu* considerari possunt : vel ut **privati**; vel ut societate conjuncti, et **personam moralem** constituentes; et ideo in subsequentibus sub distinctis articulis agemus PRIMO : de dominio *privatorum*; SECUNDO : de dominio personarum *moralium*. Quia tamen, hisce praesertim diebus, multi sunt homines perversi qui, ut dominium Ecclesiae audacius invadant, eidem Ecclesiae aliisque societatibus ecclesiasticis capacitatem denegant bona temporalia possi-

dendi; ideo, agendo de *subjecto dominii in genere*, praemittetur generalis quaestio de capacitate Ecclesiae acquirendi ac possidendi bona temporalia.

Resolvitur. Dominii **fundamentum** cum S. Thom. (2. 2. q. 66, a. 1) reponendum est in *ratione* seu *natura intellectuali* : quia per hanc habet quis potestatem saltem radicalem disponendi de rebus suis. Quod significatur his verbis (Gen. I, 26) : « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis, universaeque terrae omnique reptili quod movetur in terra.* » Ubi tribuitur homini dominium in bestias et pisces, eo quod sit imago Dei : est autem imago Dei per intellectum et voluntatem. Quapropter *fundamentum* dominii non consistit : 1°) in **usu** actuali rationis, ut dictum fuit ; neque 2°) in **fide** : nam Christus dicit (Luc. XXII, 25) : « *Reges gentium dominantur eorum ;* » et S. Scriptura agnoscit pro veris dominis principes infideles, ut Pharaonem, Nabuchodonosorem, Balthasarem, Cyrum, etc. ; neque 3°) in **charitate**, adeo ut homo per peccatum mortale amitteret dominium et jurisdictionem : nam Scriptura pro veris dominis agnoscit reges peccatores, ut Davidem, Salomonem, Achab, etc., et (1 Petri, II, 17) dicitur : « *Subditi estote, in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* » Et ideo in Conc. Const. damnata fuit haec propositio 30 Joan. Huss. et 15 Wicleffi : « *Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* »

Q. 29. An *Ecclesia* sit capax acquirendi ac possidendi bona temporalia ?

R. *Affirmative,* estque de fide.

Explanatur. Conc. enim Constan., hac in re a Martino V per Bull. « *Inter cunctas* » (22 Febr. 1418) expresse confirmatum, damnavit has Wicleffi propositiones : 10. « *Contra sacram Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.* » 32. « *Ditare clerum est contra regulam Christi.* » 33. « *Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt, Ecclesiam dotando.* » Praeterea Martinus V in eadem Bulla, inter articulos de quibus praecipit, ut quilibet haereticus vel de haeresi suspectus interrogetur, ponit sequentes : 34. « *Item, utrum* **credat**, *quod liceat personis eccle-*

siasticis absque peccato hujus mundi habere possessiones et bona temporalia. » 35. « *Item, utrum* **credat**, *quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat ; imo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personae ecclesiasticae bona hujusmodi possidentes.* » 36. « *Item, utrum* **credat,** *quod hujusmodi ablatio et invasio, cuicumque sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium.* » Hinc in Bulla dicta « *In Coena Domini* » excommunicantur et anathematizantur usurpantes bona ecclesiarum. Similiter Conc. Trid. (Sess. XXII, *de ref.*, c. 11) dixit *anathema* contra usurpatores bonorum Ecclesiae. Tandem, ut de ceteris taceam, Pius IX in Bull. « *Apost. Sedis* » excommunicationi speciali modo R. P. reservatae subjectos declarat : « *Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.* »

Resolvitur 1. Quapropter **errant** auctores, praesertim juristae, qui, licet jus dominii Ecclesiae non denegent, contendunt illud ipsi non competere, nisi ex concessione legis civilis seu principis, ac proinde ab ejus nutu pendere ejusque arbitrio revocari posse. Quam pessimam doctrinam proscripsit Pius IX, damnando in Syllabo sequentes propositiones : sub n. XXVI : « *Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.* » Sub n. XXVII : « *Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.* »

Resol. 2. Ex controversia quae inter catholicos DD. ventilatur circa ecclesiastici dominii **subjectum immediatum** : utrum nempe bonorum ecclesiasticorum dominium immediate et proxime apud ipsum *Deum* sive *Christum* sit reponendum, an vero apud *R. Pontificem*, vel apud *pauperes*, vel apud *Ecclesiam universalem*, vel apud *varias communitates* Ecclesiae subordinatas; ex hac, inquam, controversia perperam quis concluderet istud dominium penes Ecclesiam non esse, sicut ex simili controversia quae circa dominium Status agitatur, immerito quis deduceret istud dominium *Statui* non esse vindicandum. Omnes enim DD. catholici bonorum ecclesiasticorum dominium penes Ecclesiam exsistere voce confitentur unanimi illudque praesupponunt, dum de subjecto immediato hujus dominii inquirunt. Quidquid interim de hac quaestione dis-

putetur, in hoc omnes convenire debent, nempe : R. Pontificem, vi primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam, plenariam et supremam habere *administrationem* ac *dispositionem* omnium bonorum ecclesiasticorum (cap. *Liceat* 2 de Praeb. et dignit. in 6°). Quo spectat illud S. Thom. (2. 2. q. 100, a. 1 ad 7) : « *Quamvis res Ecclesiae sint ejus* [Pontificis] *ut* PRINCIPALIS DISPENSATORIS, *non tamen sunt ejus ut domini et possessoris.* »

Scholion. Praeter dominium *proprietatis*, habet Ecclesia dominium **civilis jurisdictionis**, ut est R. Pontificis *dominium temporale*, quo nihil antiquius, nihil sanctius, nihil inviolabilius nihilque magis necessarium, « *ut idem R. Pontifex nulli unquam Principi aut civili potestati subjectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac majori ejusdem Ecclesiae et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit.* » Ita Pius IX in All. « *Maxima quidem* » (9 Jun. 1862), qui jure merito damnavit in Syllabo sequentes propositiones : sub n. 73 « *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se Christianae et Catholicae Ecclesiae filii.* » Sub n. 76 « *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.* » Profecto catholicorum omnium sensum referunt totius orbis Episcopi, ubi in sua protestatione Romae 9 Jun. 1862) coram Pontifice facta ita loquuntur : « *Civilem Sanctae Sedis principatum seu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus ; nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae caput Romanum Pontificem nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem ; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse, et in nobili, tranquilla et alma libertate catholicam fidem tueri ac propugnare, totamve regere ac gubernare Christianam Rempublicam.* » Et paulo infra : « *Quisnam principatum illum tam veterem, tanta auctoritate et tanta necessitatis vi conditum, audeat impugnare? Cui, si vel jus illud humanum, in quo posita est principum securitas populorumque libertas attendatur, quaenam alia potestas possit comparari? Quae tam*

venerabilis et sancta? Quae sive pristinis sive recentioribus saeculis monarchia vel respublica juribus tam augustis, tam antiquis, tam inviolabilibus possit gloriari? Quae omnia si semel et in hac Sancta Sede despecta atque proculcata fuerint, quisnam vel princeps de regno, vel respublica de territorio possint esse securi? » Unde quoque mirum non est, dum R. Pontificem nefario usurpatorum hominum scelere jam spoliatum cernimus, gentes regnaque miserrime perturbari, auctoritatem vilipendi, libertatem minui, securitatem nullam esse, iniquitatem et scelera cujuscumque generis abundare.

ART. I. De dominio privatorum.

§ 1° DE DOMINIO FILIORUMFAMILIAS.

Q. 30. *Quinam* ex Jure *Gallico* dicantur FILIIFAMILIAS ?

R. Sunt proles legitimae seu legitimatae utriusque sexus, qui nondum annum 21 compleverunt, nec liberati sunt a patria potestate per *emancipationem*, quae *duplex* distinguitur : *expressa*, quae fit a parentibus coram judice ; et *tacita*, quae fit ipso jure per matrimonium (aa. 476-478).

Q. 31. Quale *dominium* ex Jure *Gall.* habeant FILIIFAMILIAS?

R. Ex *Jure Gall.* statuuntur sequentia *Statuitur :* A) Filiifamilias habent dominium *utile :* 1°) in bona quae acquisierunt *propria industria ;* 2°) in bona quae ipsis data sunt *ea lege ut nec pater nec mater his frui possint* (a. 387) ; 3°) in bona quae ipsis advenerunt *ex successione parentibus ablata tanquam indignis* (a. 730). Sed hujusmodi bonorum administratio penes patrem est. Ceterorum autem bonorum *nudum* tantum habent dominium, donec annum 18 compleverint, vel a patria potestate liberati fuerint, interea patre aut matre post obitum patris eorumdem bonorum usumfructum habente(a 384), sub quibusdam tamen conditionibus (in aa. 385, 386 et 1442) designatis. *Statuitur :* B) Filiifamilias bona sua neque *vendere* aut *oppignerare* possunt, nisi tutoris ministerio, decreto judicis et aliis conditionibus (aa. 457, 458 et 459) insertis ; neque *donare inter vivos*, nisi in contractu matrimoniali et cum consensu eorum qui matrimonio consensum praestare debent (aa. 903 et 1095) ; neque etiam *administrare*, nisi emancipati

fuerint (a. 481). *Statuitur :* C) Filiifamilias *testari* possunt, cum ad annum 16 pervenerint pro dimidia parte bonorum quorum libera dispositio ex lege majoribus conceditur (a. 904). Vide tamen exceptionem (in a. 907), quoad tutorem non ascendentem.

Nota. Ex Jure *Rom.* bona filiorumfamilias qui adhuc sunt sub patria potestate, *quadruplicis* generis distinguuntur : 1°) **Castrensia,** quae filiis obveniunt *ex militia saeculari vel ejus occasione*, ut sunt stipendia militum, praedae ex hostibus, donativa Ducum vel commilitonum, mobilia a parentibus vel aliis data proficiscenti ad militiam, etc. 2°) **Quasi-castrensia**, quae filiis obveniunt sive *ex militia sacra*, v. g. ex beneficio; sive *ex militia togata*, v. g. ex officio advocati, judicis, medici, aut alio officio non mechanico. 3°) **Adventitia**, quae *neque ex ullo militiae genere, neque a patre aut patris intuitu obveniunt, sed aliunde*, v. g. vel ex successione materna, vel liberali donatione alio intuitu principali quam patris facta, vel industria propria, vel fortuito, ut si thesaurus inveniatur. 4°) **Profectitia**, quae filius accipit a patre, vel intuitu patris, v. g. ab amico patris aut cui pater benefecerat, vel quae ex rebus patris, negotiando ejus nomine lucratur. — Porro bonorum CASTRENSIUM et QUASI-CASTRENSIUM filiifamilias habent dominium plenum; unde possunt sine consensu patris de illis pro libitu disponere per contractus, donationes, imo per testamentum, dummodo sint puberes. ADVENTITIORUM habent tantum dominium directum seu proprietatem; pater vero usumfructum et administrationem. PROFECTITIORUM nec proprietatem nec usumfructum habet filius, i. e. nec directum, nec utile dominium habet, sed totum est patris.

Q. 32. An quae FILIUSFAMILIAS in domo paterna *lucratur* ad ipsum *pertineant?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Lucra, quae non ex bonis patris, sed **ex industria filii separata** proveniunt, v. g. si filius sit musicus vel alterius artis sive liberalis sive mechanicae peritus, ad ipsum pertinent (a. 387), nisi ea patri titulo pietatis remittendi voluntatem habuerit. Nec tenebitur filius impensas deducere quas in eo alendo fecit pater hujus industriae conscius, nisi aliter conventum fuerit;

quia (ex a. 852) tales impensae non sunt collationi obnoxiae (*ne sont pas sujettes à rapport*). 2°) Lucra vero, quae **ex expressa et authentica societate** cum patre inita proveniunt, pro parte proportionata ad filium pertinent : nam hujusmodi conventio non est in se illicita, nec per legem reprobata. Idem dicendum de statuto stipendio ; idque etiam in foro externo admitteretur.

Q. 33. An filius, dum una cum patre *prae ceteris filiis* laborat, sed *absque societate*, aliquid instar salarii *inscio patre* retinere queat ?

R. CONTROVERTITUR.

Explanatur. Alii **negant** cum SYLVEST., MOL., LAYM., BILL.; hic tamen contrarium non improbabile judicat ; alii probabiliter **affirmant** cum LESS., LUG., NAV., si nec gratis hoc praestare voluerit, nec ob parentum inopiam debuerit. Non enim debet filius deterioris esse conditionis quam extraneus, qui in simili casu jus ad salarium aliquod pro rata laboris acquireret ; nec filius tenetur jure naturali pro patre non indigente laborare. Unde Jus *Rom.* dicebat : « *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* » Cfr. S. LIC. (III, 488, v. 3° ; 544 et 910).

Resolvitur. In **praxi**, *ante factum* prudenter consulerem 1^am^ sententiam : tum quia 2^ae^ sententiae jura resistere videntur, ut eruitur ex dictis ; tum ne liberorum cupiditati faveam ; at *post factum* in 2^am^ inclinarem, praesertim si agatur de filiis *majoribus*, qui voluissent, sed ex filiali reverentia aut alio motivo non sunt ausi salarium exigere, et aliunde cum patre laborando maxima familiae emolumenta procurarunt.—Ceterum evidens est familiarum paci maxime interesse, ut quaelibet earum membra totius prosperitati adlaborent quamdiu in domo paterna versantur ; et valde periculosum esset hac in re liberorum cupiditati favere, compensationem occultam facile et sine delectu permittendo ; quod fatentur benignioris sententiae patroni, qui suam hac de re opinionem publice non tradendam censent.

Q. 34. An filiusfamilias *perfectum* habeat dominium in bona *minuta* ac *mobilia*, sibi a parentibus vel cognatis data ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **absolute** data sunt et absque ulla determinatione; vel **sub explicita aut implicita conditione**, illa determinato modo adhibendi, ut vestes, pecunia ad libros scholasticos emendos. Si *primum*, potest pro nutu de istis disponere; secus, si *secundum*; quare ad restitutionem tenetur, nisi rationabiliter judicet, parentes de hoc rogatos facile esse condonaturos.

§ 2° DE DOMINIO UXORUM.

Q. 35. An DOMINIUM *uxorum* in sua bona semper sit *aequale?*

R. *Negative:* nam ex lege civili valde diversum esse potest, prout sub diverso *regimine* matrimonium contrahunt. Per *regimen* autem intelligitur complexio regularum, quibus jura mutua conjugum in alterutrius bona determinantur.

Q. 36. Sub *quotuplici* REGIMINE matrimonium ex Jure *Gall.* contrahi possit?

R. Sub *triplici* regimine.

Explanatur. Contrahitur: vel **1°**) sub regimine **communitatis**, quae duplex esse potest: *legalis* vel *conventionalis*, prout scilicet aut jure communi regitur juxta aa. 1401-1496; aut pendet a stipulatione conjugum (aa. 1497-1528); vel **2°**) sub regimine **dotali**; vel **3°**) sub regimine **exclusivo communitatis**, quod *duplici* praesertim modo institui potest, nempe: *simpliciter* sine communitate, aut sine communitate *cum separatione bonorum*. Quod si matrimonium initum sit sine contractu matrimoniali, initum censetur sub regimine COMMUNITATIS (a. 1400). Ceterum, in favorem matrimonii licet conjugibus in contractu matrimoniali quaslibet stipulari conventiones, modo non repugnent bonis moribus et regulis in lege consignatis. Vide aa. 1387, 1388, 1389 et 1390. Istae autem conditiones seu conventiones debent iniri ante matrimonium et quidem per actum authenticum coram notario (a. 1394), et matrimonio contracto immutabiles persistunt (a. 1395).

Q. 37. *Quotuplicis* generis esse possint *bona* conjugum sub regimine COMMUNITATIS, sive *legalis*, sive *conventionalis?*

R. *Duplicis* generis: alia sunt *propria*, alia *communia*.

Explanatur. Bona **propria** dicuntur, quae communitati non subjiciuntur, et pertinent exclusive ad alterutrum ex conjugibus.

Talia sunt bona immobilia designata in aa. 1404 usque ad 1408. Bona vero **communia** sunt, quae communitati subjiciuntur, qualia sunt : 1°) omnia bona mobilia quae conjuges possidebant die celebrationis matrimonii, vel quae utriusque conjugis labore, stante matrimonio, acquisita sunt, aut alterutri ex conjugibus eodem tempore advenerunt titulo successionis et etiam donationis; nisi aliud stipulaverit donator in instrumento donationis; 2°) omnes reditus et quilibet fructus bonorum immobilium, quae possidebant conjuges die celebrationis matrimonii, vel quae conjugibus, constante matrimonio, quocumque titulo advenerunt; 3°) denique omnia bona immobilia, quae conjuges ex bonis communibus tempore matrimonii acquisierunt, juxta aa. 1401-1403. Dicitur : *ex bonis communibus;* quia si praedium quoddam, durante matrimonio, ematur ab alterutro conjugum ex pretio boni proprii alienati, praedium illud non est commune, sed proprium conjugi ad quem pertinebat bonum alienatum, et hoc est quod gallice vocatur *remploi* (a. 1407). Idem dicendum est de bonis immobilibus quae alterutri ex conjugibus, stante matrimonio, titulo donationis vel successionis advenerunt, nisi aliter in instrumento donationis vel in testamento statutum fuerit (a. 1404).

Q. 38. *Quale* sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine COMMUNITATIS?

R. Est diversum, prout COMMUNITAS est *legalis,* vel *conventionalis.*

Explanatur. 1°) Sub regimine COMMUNITATIS **legalis**, mulier non habet nisi dominium nudum bonorum *propriorum*; fructus vero eorum augent bona communia (a. 1401), et illorum administratio pertinet ad maritum (a. 1428); vide tamen a. 1449. Quoad bona *communia* uxor nullum in illis fere jus habet, quamdiu durat COMMUNITAS. Hinc A) dicta bona alienare nec obligare potest absque consensu mariti, etiam cum Judicis auctoritate, nisi mercaturam suo nomine, cum mariti consensu publice exerceat, et contrahat ratione ipsius mercaturae. B) Non potest se obligare neque bona communia gravare, etiam ad maritum e carcere liberandum, vel ad filios, absente marito, collocandos, nisi Judicis auctoritas intercesserit (a. 1427). Maritus e contra bonorum *communium* solus habet administrationem, eaque potest vendere, alienare et oppignerare

sine consensu uxoris (a. 1421). Imo potest bona mobilia cuicumque donare titulo gratuito et particulari, modo illorum usumfructum non retineat (a. 1422); et si agatur de filiorum communium collocatione, de ipsis bonis immobilibus, necnon de bonorum mobilium universitate vel quota eorum parte disponere potest (ibid.). *Dissoluta autem communitate*, bona communia dividuntur et aes alienum solvitur juxta regulas in aa. 1467 ad 1491 positas, nisi malit uxor communitati renuntiare, ne teneatur aes alienum, ceteraque onera solvere (a. 1494); quod illi semper conceditur (a. 1453), modo bonis COMMUNITATIS non ultro se immiscuerit, vel in aliquo instrumento, jam major facta, se communem non dixerit, aut bona communitatis non averterit (aa. 1454, 1455, 1460). 2°) In COMMUNITATE **conventionali**, si quaedam stipulationes speciales adjectae sint, eae sunt servandae, sive *tempore* COMMUNITATIS, sive post ejus *solutionem*, modo non repugnent legibus et bonis moribus, nempe auctoritati maritali aut paternae (a. 1497).

Q. 39. *Undenam* regimen DOTALE sic vocetur ?

R. Nomen suum accipit non a constitutione dotis : potest enim exsistere, quin dos constituatur, et insuper in aliis duobus regiminibus dos potest constitui; ast ita vocatur, quia dos sub hoc regimine constituta quibusdam specialibus privilegiis gaudet, quae in aliis regiminibus ei denegantur. Ceterum, ut matrimonium sub regimine DOTALI contrahatur, non sufficit dotis stipulatio, nec exclusio communitatis, neque etiam bonorum separatio; sed requiritur expressa super hoc voluntatis conjugum declaratio (a. 1392).

Q. 40. *Quotuplicis* generis esse possint *bona* uxorum sub regimine DOTALI ?

R. *Ordinarie* sunt *duplicis* generis : alia DOTALIA, alia PARAPHERNALIA.

Explanatur. Bona **dotalia** sunt, quae mulier marito affert ad sustinenda matrimonii onera (a. 1540), et talia censentur cuncta bona quae mulier sibi constituit, vel ipsi dantur in contractu matrimoniali, nisi aliud in stipulationem deductum fuerit (a. 1541). Bona autem mulieris, in dotem non constituta, **paraphernalia** sunt (a. 1574). Dixi : *ordinarie*; quia quandoque

accidit, ut cuncta mulieris bona sint dotalia : v. g. si in contractu matrimoniali mulier in dotem sibi constituerit omnia bona sua praesentia aut futura, aut si mulier nihil habeat praeter dotem sibi constitutam (a. 1542). Aliquando etiam cuncta bona esse possunt PARAPHERNALIA, nempe si nihil in dotem intulerit (a. 1575).

Q. 41. Quale sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine DOTALI ?
R. Est *diversum*, pro *diversitate* bonorum.

Explanatur. 1°) Quoad bona **dotalia,** uxor habet tantum dominium *directum*, maritus vero habet eorum administrationem ac fructus percipit, salva tamen stipulatione, quae in contractu matrimoniali fieri potest de quadam parte redituum ab uxore pro suis privatis necessitatibus percipienda (a. 1549). Nec uxor potest ea alienare, nec oppignerare, etiam cum consensu mariti et auctoritate judicis a. 1554), nisi in casibus designatis (in aa. 1553 ad 1559). **2°)** Quoad bona **paraphernalia**, uxor habet plenum dominium et administrationem ; potest illa alienare cum mariti consensu vel judicis auctoritate, fructus illorum percipit, et tenetur tantum, si nihil in dotem intulerit, onera matrimonii sustinere pro parte conventa in contractu matrimoniali ; vel, deficiente pacto, pro tertia parte redituum suorum (aa. 1575 et 1576).

Q. 42. Quodnam sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine EXCLUSIVO COMMUNITATIS ?
R. Est *diversum*, prout regimen EXCLUSIVUM COMMUNITATIS instituitur *simpliciter*, vel *cum separatione bonorum* (p. 28).

Explanatur. 1°) Si mulier nupserit sub regimine EXCLUSIVO COMMUNITATIS, **simpliciter**, i. e. *sine stipulatione separationis*, tunc omnium bonorum suorum dominium directum servat, sed maritus eorum administrationem habet, fructusque omnes acquirit ad sustinenda onera matrimonii (aa. 1530 et 1531), solvendo cuncta usufructus onera (a. 1533). Possunt tamen in hoc casu conjuges convenire de quadam parte redituum uxoris, quam ista pro suis privatis necessitatibus percipiet (a. 1534). **2°)** Si mulier nupserit sub regimine EXCLUSIVO COMMUNITATIS, **cum stipulatione separationis bonorum,** tunc bonorum suorum mobilium et immobilium fruitionem et administrationem retinet, nec confert ad onera

matrimonii nisi summam aliquam determinatam, cujus dominium plene marito tradit. Sub eo tamen regimine potest uxor pro hujusmodi oneribus sustinendis conferre marito *fruitionem et administrationem quorumdam bonorum*, aliis sibi retentis. Unde exsurgit speciale quoddam regimen EXCLUSIVUM COMMUNITATIS, quod *mixtum* vocatur.

Q. 43. Quomodo *conjuges* sibi INJURIAM inferant in bonis, et *teneantur* ad RESTITUTIONEM?

R. Toties alteruter ex conjugibus agit contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, quoties sibi usurpat et consumit de bonis quorum alter dominium habet, vel usumfructum, vel administrationem, *ipso rationabiliter invito* : quia toties laeditur jus alterius.

Resolvitur 1. Peccat **uxor** contra justitiam et tenetur ad restitutionem erga maritum vel ejus haeredes, si aliquid de fructibus rerum *dotalium* vel de bonis *communibus*, et multo magis de bonis *propriis* viri subripiat aut impendat, *eo rationabiliter invito*. Dixi : **eo rationabiliter invito**. Nam potest uxor : 1°) *de bonis communibus et fructibus dotalibus* clam accipere, quantum opus est ad solvenda debita, ad suam sustentationem, ad quamcumque familiae necessitatem, si maritus ea deneget, cum dare possit; vel ad faciendas moderatas eleemosynas, etiamsi vir sufficientes largiretur: quia jus habet ad omnia quae spectant ad decentiam status, nec in his potest maritus esse rationabiliter invitus; vel ad avertendum damnum familiae aut mariti, ut fecit ABIGAIL (1 REG. XXV, 18 seqq.). 2°) Potest etiam uxor *ex bonis communibus vel fructibus dotalibus*, si alia non habeat, nec vir dare velit, clam accipere, quantum opus est ad suppeditandam sustentationem necessariam patri, vel matri vel proli propriae indigenti, si quam habeat ex alio matrimonio; imo fratribus aut soribus unde sibi subveniant non habentibus, modo remaneant necessaria marito et ejus familiae. Nec tenetur uxor ea sic clam accepta in suam partem referre, cum ad partitionem cum haeredibus mariti venerit, vel dotem recuperaverit, si sint *parvi momenti* : quia tunc habentur ut eleemosynae communes; neque etiam *probabiliter*, quamvis sint *majoris momenti* : quia ea lege censentur matrimonia contrahi, ut onera et debita realia, quae

superveniunt uni conjugum, fiant quoque debita alterius. 3°) Uxor licite retinet, quae per parcimoniam reservavit, ex iis quae maritus pro vestitu vel familiae sustentatione, recreatione et ceteris concessit : quia reputantur fructus *industriae*. 4° Non peccat uxor, si accipiat aliqua quae maritus certo concederet, si rogaretur : quia adest licentia praesumpta et plerumque justa causa non petendi, ne se ostendat ancillam potius quam adjutricem. Sic etiam postquam injuste aliquid accepit, excusari potest a restitutione, si illam maritus prudenter, prout saepe fit, praesumatur non velle. Interim consulendum est, ut pro meliori pace faciat omnia marito consentiente, et suadendum viro, ut non sit nimis rigidus. **Resol. 2.** Similiter **maritus** justitiam violat et tenetur restituere uxori vel ejus haeredibus, si dissipet ejus dotem, aut bona ejus paraphernalia, aut etiam bona communia contra legis tenorem, v. g. si titulo gratuito bona immobilia vel bonorum mobilium totalitatem aut quotitatem alienaverit (a. 1422). Si vero bona communia dissipet indigne, non tamen contra tenorem legis, peccat certe contra *pietatem* uxori debitam. An autem peccet contra *justitiam*, inter DD. *disputatur*. Interim consuetudo eum excusat ab onere restitutionis, si tantum dilapidet quae propria sua arte vel opificio comparavit, modo subministret uxori et prolibus necessaria ad honestam sustentationem. Cfr. Bill.; Sass.; Lacroix.

§ 3° DE DOMINIO CLERICORUM SAECULARIUM.

Q. 44. *Quotuplicis* generis sint *bona* CLERICORUM SAECULARIUM ?

Q Sunt *triplicis* generis : 1°) PATRIMONIALIA ; 2°) QUASI-PATRIMONIALIA ; 3°) BENEFICIALIA seu ECCLESIASTICA.

Explanatur. 1°) Bona **patrimonialia** sunt : quae clerici habent independenter a ministerio et beneficio ecclesiastico ; puta haereditate, donatione, industria, aut simili modo cum laicis communi. 2°) **Quasi-patrimonialia** sunt : quae acquiruntur ministerio clericali, v. g. celebrando, concionando, sacramenta administrando, et solent vocari *jura stolae* ; quibus accensentur distributiones quotidianae, quae dantur canonicis ad divina assistentibus. Vocantur etiam *quasi-ecclesiastica* vel *casualia*. Demum 3°) **beneficialia** seu

ecclesiastica sunt : annui reditus, quos clerici ex beneficiis ecclesiasticis percipiunt. His annumerandae sunt pensiones, quae in Gallia et Belgio sacerdotibus a Gubernio solvuntur in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quae tempore perturbationis Galliae subrepta sunt, uti constat ex pluribus S. Poenit. responsis. (19 Jan. 1819 ; 9 Aug. 1821 ; 9 Jan 1823). Item probabilius pensiones, quae a communitate supplentur (*suppléments de la commune*) ; quia sunt veluti pars dotationis jussu gubernii factae. Porro, bona **ecclesiastica** seu **beneficialia** subdividuntur : A) in **necessaria** ad competentem sustentationem, atque illa non excludunt honestas recreationes, moderatas donationes, convivia moderata, etc. ; B) in **superflua**, quae scilicet remanent ultra requisita ad honestam sustentationem ; C) in **parcimonialia**, quae clericus sive parcius vivendo quam honeste vivere potuisset, sive ob aliunde acquisita et impensa, de portione redituum ecclesiasticorum honestae sustentationi congrua sibi subtrahit.

Q. 45. *Quale* DOMINIUM habeant *clerici* in varia illa *bona?*
R. *Distinguendum* est.

Explanatur. 1° Habent DOMINIUM *perfectum* in bona **patrimonialia, quasi-patrimonialia**, et ECCLESIASTICA, qua parte **necessaria** sunt ad honestam sustentationem, vel etiam **parcimonialia**. Ratio **primi** est : quia per hoc quod quis fiat clericus, non amittit libertatem, quam ex natura sua habet ; ergo potest de patrimonialibus non aliter ac laicus disponere absque ullius praejudicio. Praeterea clerici, ut notat BILL. ex S. THOM. (2. 2. q. 185, aa. 6 et 7) « in sua ordinatione non abdicaverunt tale dominium, neque ordinatio aut officium clericale ad id eos obligat : unde quantum ad hoc paris sunt conditionis ante et post susceptum clericatum. » Ratio **secundi** est : quia haec dantur in stipendium laboris ; jam vero, ut dicitur (1 Cor. IX, 7) : « *Quis militat suis stipendiis unquam?* » et (1 Tim. V, 18) : « *dignus est operarius mercede sua.* » Ratio **tertii** est : quia fructus beneficii, ad sustentationem *necessarii*, sunt justum stipendium ; atqui, ut dicitur (1 Cor. IX, 13) : « *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* » Praeterea *parcimonialia*, cum detracta sint ex iis quae ad clericos de jure pertinent, non jam habenda sunt ut fructus beneficii, sed

parcimoniae. Hinc beneficiarius licite suos ditat consanguineos : A) ex suis *patrimonialibus;* B) ex *quasi-patrimonialibus;* C) ex reditibus *ecclesiasticis*, qui *necessarii* sunt ad honestam sustentationem, quamvis sit dives; D) ex *parcimonialibus*, seu ex iis quae clericus, sive parce vivendo, sive ob aliunde acquisita et impensa de bonis ecclesiasticis seposuit, dum ea licite suae sustentationi insumere potuisset. 2°) Quoad bona ECCLESIASTICA, qua parte sunt **superflua**, tenentur clerici *sub gravi* ea impendere in pauperum sublevamen vel in alias causas pias. Ratio est : quia est graviter indecens et fundatorum intentioni contrarium, bona ad Dei cultum et animarum salutem oblata in usus profanos expendere. « *Hanc obligationem*, ait BENED. XIV (*de Syn.* l. VII, c. 2), *omnes Ecclesiae canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt, qui Ecclesiae militant stipendiis.* »

Q. 46. An obligatio clericorum erogandi *superfluum* redituum ECCLESIASTICORUM in pias causas oriatur *ex justitia*, an vero *ex praecepto Ecclesiae?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** oriri ex justitia; alii vero probabilius et communius **negant** cum S. THOM. (2. 2. q. 185, a. 7; *Quodl.* 6, q. 7, a. 12). Cujus sententiam multis argumentis illustrat insignis ejus interpres BILL. Item BENED. XIV (l. c.). Quae S. THOM. auctoritas hac in re tanti aestimatur a S. LIG., ut ipse, postquam *primam* sententiam prius *probabiliorem* dixerat (IV. 492); postea (in Elen. qq. ref. q. X) magis accedat ad secundam, inquiens : « *peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem* S. THOM. » Confirmatur ex Conc. TRID. (sess. 25, c. 1; et sess. 24, c. 12 *de ref.*). De clericis enim beneficiariis non residentibus aut fidei professionem intra praescriptum tempus emittere negligentibus dicit : « *Non faciant fructus suos.* » Ergo, qui resident, *faciunt fructus suos*; suum autem facere, perinde est ac dominium acquirere.

Resolvitur 1. Clericus, qui bona ecclesiastica **superflua** in usus profanos impendit, ea v. g. elargiendo consanguineis non egenis, praevaricator quidem est et inobediens in Ecclesiam; fur

autem dici nequit, et consequenter obligari non potest ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam. Quod si SS. Patres dicant aliquando committi furtum, rapinam, sacrilegium, si superflua ad usus profanos impendantur; magis concionatorie, quam theologice loquuntur; quemadmodum etiam laicos, de quorum dominio nemo dubitat, vocant pauperum homicidas, quando non dant eleemosynam ad quam tamen ex justitia non tenentur. Interim nisi clericus serio in hisce se emendet, absolutione indignus est, utpote manens in continuo peccato mortali. Ut enim scribit Bellarm. ad nepotem suum, Episcopum Theanensem : « *Parum refert utrum praelatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas.* » **Resol. 2.** Quoniam haec obligatio clericorum est **personalis**, nec transit ad haeredes seu donatarios, ideo consanguinei vel alii non pauperes, qui superflua redituum male a clericis expensa recipiunt, non tenentur ad ea explenda in pios usus. An autem peccent ea recipiendo, alii *affirmant* cum Sanch. : quia peccato clericorum cooperantur; alii probabilius *negant* cum Lug. : quia, si clericos non instigant ad dandum, non cooperantur eorum peccato, quod jam commissum est; eo modo quo dicitur conjux non cooperari peccato conjugis nec peccare, si conjugi habenti votum castitatis et debitum petenti reddat. **Resol. 3.** Haec materia de bonis ecclesiasticis **superfluis** hodiedum in plerisque locis speculativa potius quam practica dicenda est : nam adeo tenue est illud quod gubernia et civitates ministris religionis catholicae tribuunt, ut otiosum sit desuper inquirere de superfluo, cum nequidem ad honestam sustentationem sit sufficiens.

§ 4° DE DOMINIO RELIGIOSORUM.

Q. 47. An dominii sint capaces *religiosi* voto solemni *paupertatis* ligati ?

R. *Ex jure communi*, religiosi, qui solemniter emittunt tria vota : paupertatis, obedientiae et castitatis in religione ut tali approbata ab Ecclesia, *in particulari* incapaces sunt omnis dominii in res *temporales et externas*, idque *ex institutione Ecclesiae* ; ut adeo non possint, sive licite sive valide,

nomine proprio seu personaliter rem quamlibet pretio aestimabilem possidere, nec quoad proprietatem, nec quoad usum et usumfructum, ut constat ex TRID. (sess. 25, c. 2, *de Regul.*). Quare nullam possunt rem temporalem pretio aestimabilem, sine licentia superioris *expressa*, *tacita*, vel prudenter *praesumpta*, accipere, retinere, permutare, alienare, commodare aut ea uti.

Explanatur. Dixi **1)** : **in particulari** ; nam dominii sunt capaces *in communi*, exceptis Fratribus Minoribus de Observantia et Capuccinis, qui habent solum usum revocabilem eorum quae possident, reservato dominio Sedi Apostolicae (pag. 11). Dixi **2)** : **in res temporales** ; ut excludantur res *spirituales*, quae pretio non aestimantur, v. g. reliquiae, Agnus Dei, jus eligendi, praecedendi, jus in famam, honorem ; beneficia ecclesiastica, manuscripta, cum sint partus ingenii ; ad quae omnia acquirenda vel retinenda nomine suo agere non prohibentur ex voto paupertatis, quamvis in similibus contra votum obedientiae peccare possint. Dixi **3)** : **idque ex institutione Ecclesiae** ; unde incapacitas dominii non oritur ex natura voti paupertatis ; alioquin et simplex inhabilitaret, quod nemo dixerit ; nec ex solemnitate voti, cum votum solemne non differat essentialiter a voto simplici ; sed ex institutione Ecclesiae, quae voto solemni tribuit vim proprietatis exclusivam. Quare in eo dispensari potest, sicut revera pluries a Papis dispensatum fuit. Hinc S. POENIT. (1 Dec. 1820) auctoritate apostolica concessit Regularibus Belgii utriusque sexus, etiam solemniter professis, ut bona acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possint, non obstante solemni voto paupertatis. Quod decretum confirmans LEO PP. XIII (31 Julii 1878) declaravit : « *Quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, praedictos omnes actus valide ac licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum juramento asserere, se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum jure de iis disponendi.* » Ap N. R. T. (X,610). De cetero, perfectio paupertatis religiosae potissimum consistit in abdicatione omnis usus a voluntate superiorum independentis : nam usus magis avocat ab obsequio divino, quam dominium.

Nota. *Ex jure gallico*, codex civilis non agnoscit vota *solemnia*, sed tantum *simplicia*, et solum ad *quinque annos* duratura. Sed haec legis civilis dispositio solum attendenda est ut habens effectus mere externos. Quum enim vota religiosa, utpote materia mere spiritualis, unice sint de foro Ecclesiae, lex civilis nulla efficere potest, ut vota solemnia non sint, quae ut talia ab Ecclesia accipiuntur. Hinc **Regulares** in Gallia, in Belgio atque in ceteris locis, ubi viget idem codex legum civilium, vere emittunt vota solemnia et consequenter sunt religiosi proprie dicti, si profiteantur in ordine in quo, ex instituto a S. Sede approbato, vota sunt solemnia. Constat ex authentica declaratione Greg. XVI (an. 1840) quoad religiosos S. Bened. *de Solesmes*.—Contra, in Gallia (Sabaudia excepta), in Belgio ceterisque locis, ubi viget idem codex gallicus, attentis peculiaribus circumstantiis, vota **Monialium** non habentur ut solemnia, prout pluries a S. C. Episc. et Reg. et a S. Poenit. responsum est, eorumque monasteria « *non tanquam Ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur*, » ut totidem verbis declaravit S. Poenit. (23 Dec. 1835). Ex quo sequitur : 1°) quod in iisdem locis, rebus sic stantibus, Episcopi dispensare valeant in his votis *Monialium*, excepto voto castitatis perpetuae ; 2°) quod S. Sedi non sit reservatum votum ingrediendi religionem in monasteriis *Monialium*, prout nunc in iisdem locis exsistunt ; 3°) quod hae *Moniales* non gaudeant exemptione, qua gauderent si haberent vota solemnia, et consequenter quod subjiciantur ordinariae jurisdictioni Episcopi, et quod superiores *regulares* nullam jurisdictionem in tales conventus *Monialium* suorum ordinum sibi vindicare possint ; 4°) quod ad clausuram de jure ordinario non teneantur, et quod violantes clausuram poenis canonicis non subjaceant ; 5°) quod pro iis, *per se* seu ratione legis ecclesiasticae, non urgeat obligatio divini officii, sed tantum ex respectivis Ordinum regulis, quae generatim sub gravi non obligant. Ita S. Poenit. (26 Nov. 1852). Interim, hujusmodi *Moniales* lucrari possunt omnes indulgentias, quibus gaudent respectivi Ordines approbati Romae vel alibi exsistentes, uti constat ex S. Poenit. (10 Jul. 1843) et S. C. Indul. (22 Febr. 1847).

Q. 48. An DOMINII sint capaces *religiosi* ligati voto *paupertatis* SIMPLICI ?

R. *Distinguendum* est inter VALIDITATEM et LICEITATEM.

Explanatur. Quoad **validitatem**, potest talis religiosus valide quidquid proprio nomine acquirere et de re disponere. Quoad **liceitatem**, *subdistinguendum* est : vel istud votum simplex fuit *absolutum et perpetuum ;* vel *non*. Si PRIMUM, tali religioso non plus licet quam religiosis solemniter professis. Excipiunt tamen varii, contradicentibus aliis, ea bona, quae tali religioso obvenirent per successionem, quae bona sine superioris licentia abdicare potest cuilibet voluerit : quia per suum votum, quamvis absolutum, non censetur se obligasse ad haereditatem, forte obventuram, arbitrio superioris in favorem communitatis relinquendam. Si SECUNDUM, seu, si non sit *perpetuum* et *absolutum*, sed emissum juxta alicujus domus regulas, potest servare dominium directum bonorum SUORUM et circa ea exercere quodcumque istae regulae particulares permittunt, modo in omni casu excludatur *usus juris*, i. e. usus rei liber et independens a voluntate superioris.

§ 5° DE DOMINIO AUCTORUM ET INVENTORUM.

Q. 49. *Quale* sit DOMINIUM *auctorum* et *inventorum ?*

R. 1°) Certum est auctorem vel inventorem, qui nondum opus suum vel industriam palam fecerunt, jus strictum habere, ne quis artem adhuc arcanam vel opus adhuc manuscriptum surripiat, et ipsis invitis edat vel divulget. 2°) An vero, facta divulgatione, auctori vel inventori competat jus exclusivum proprietatis, ita ut impedire possint, ne quisquam artem exerceat vel librum iterum prelo committat et vendat sine suo consensu aut eorum ad quos jura sua transmiserunt, valde *controvertitur*. Spectando *jus naturae*, probabilior videtur sententia *negans :* quia res, in communitatem tradita, eo ipso fit de jure communi. Secus dicendum, artem vel librum societati valde proficuum supprimi posse ad nutum inventoris vel auctoris, quod cederet in detrimentum commercii et societatis. Ast, spectando *jus positivum*, certum est, legem potuisse jus aliquod conferre auctori seu inventori, tum ad fovendam industriam, tum ad compensandas expensas quas saepe fecerunt. Quod jus in plerisque regionibus viget. Pro *Belgio* Cf. Lex 22 Mart. 1886.

ART. II. De dominio personarum moralium.

Q. 50. *Quid* 1°) sit PERSONA MORALIS, 2°) *Quotupliciter* distinguatur?

R. Ad 1^um^ PERSONA MORALIS *est aggregatio plurium personarum, quarum bona in communi reponuntur partim vel in totum*, adeo ut illa bona ad corpus pertineant, non vero ad singula membra.

R. Ad 2^um^) Aliae sunt mere *civiles*, ut sunt Respublica (*l'Etat*), Provinciae, Municipia, Societates industriales et commercii; aliae *ecclesiasticae*, quales sunt : Ecclesia universalis, cujus caput est R. Pontifex; ecclesiae, dioeceses, parochiae, quae sunt partes universalis Ecclesiae; societates religiosae, quae pro fine habent sanctificationem ipsorum membrorum vel etiam proximi Quae societates vocabantur *viri manus mortuae (gens de main morte)* : vel quia societas religiosa, aliquo vel aliquibus e vivis decedentibus, non perit; vel quia bona ecclesiastica alienare non possunt, et ideo extra commercium et quasi in manu mortua sunt posita.

Q. 51. *Quotuplex* distingui possit DOMINIUM *Reipublicae, Provinciarum* et *Municipiorum (des Communes)?*

R. *Duplex* distinguitur; unum *publicum stricte dictum :* aliud *nationale, provinciale* vel *communale.*

Explanatur. 1°) DOMINIUM **Reipublicae,** ratione bonorum circa quae versatur, *duplex* distinguitur : A) DOMINIUM **publicum stricte dictum** (*le domaine public*), quod comprehendit quae inserviunt usui publico, quaeque proinde non sunt objectum dominii privati et ab ipso Statu non possidentur jure verae proprietatis, sed titulo supremae auctoritatis. Praecipuae bonorum hujusmodi, seu potius rerum, species sunt : *a)* viae publicae; *les chemins, routes et rues à la charge de l'Etat*, a. 538; *b)* flumina; *les fleuves et rivières navigables et flottables*, ibid.; *c)* maris littora; *les rivages, les ports, les hâvres, les rades*, ibid.; *d)* arces munitae; *les portes, murs, fossés, remparts des places de guerre et des forteresses*, a. 540; *e)* tandem *généralement toutes les portions du territoire français, qui ne sont pas susceptibles d'une propriété privée*, a. 538. — B) DOMINIUM **nationale**, vulgo *le domaine de l'Etat*, coa-

lescit ex bonis fructiferis, quibus Respublica fruitur eodem modo ac privati fruuntur de bonis privatis, seu quorum reditus ad aerarium publicum devolvuntur. Talia praecipua sunt : *a)* loca a mare relicta, *les lais et les relais de la mer*, quae possunt a Gubernio concedi privatis pro certa pecuniae summa; *b)* insulae efformatae in fluminibus navigabilibus, a. 560; *c)* bona quae domino carent, a. 713, seu, ut magis evolvitur in a. 539 : *tous les biens vacants et sans maître et ceux des personnes qui décèdent sans héritiers, ou dont les successions sont abandonnées*. Quod potissimum intelligitur de bonis *immobilibus :* quoad vero *mobilia*, intelligendum est cum restrictionibus quas ipsa lex agnoscit, ut patet ex exemplo *thesauri*, de quo a. 716, et plurium aliarum rerum, de quibus aa. 715 et 717; *d)* quae desinunt esse dominii publici stricte dicti, v. g. viae suppressae; *e)* sylvae, aedificia publica, etc., quae penes gubernium sunt. — **2°)** Idem, servata proportione, dicendum est de DOMINIO **Provinciarum** et **Municipiorum.** Sub utroque enim comprehenduntur res *duplicis generis* : aliae quae non sunt ex se fructiferae, nec objectum proprietatis privatae, sed omnium incolarum usui consecratae; aliae quae fructificant provinciae seu municipii incolis Hinc DOMINIUM **publicum** provinciale seu municipale et DOMINIUM **provinciale** seu **communale.**

Q. 52. An *codex civilis* admittat DOMINIUM societatum, etiam *religiosarum* seu *ecclesiasticarum?*

R. *Affirmative :* quia a. 910 supponit fieri posse bonorum dispositiones « *au profit des hospices, des pauvres d'une commune ou d'établissements d'utilité publique.* » Hodie tamen in Gallia et in Belgio et in multis aliis regionibus pleraeque domus religiosae non amplius agnoscuntur ut *personae morales*; et ideo, *civiliter*, i. e. quoad effectus civiles ad exercendum DOMINIUM, recurrere coguntur ad unum ex sequentibus modis : 1°) *la constitution d'une société civile entre les religieux d'un ordre;* 2°) *la constitution d'un acte d'association entre les membres d'une communauté;* 3°) *la possession des biens par chaque religieux en nom personnel.*

Resolvitur. Multiplici injuria **societates religiosas** seu **ecclesiasticas** affici, luculenter ostendit LEO PP. XIII, ubi in

famosa Encycl. « *Rerum novarum*, » loquens de sodalitatibus, collegiis et Ordinibus religiosis « *quos Ecclesiae auctoritas et pia christianorum voluntas genuerant* » ita conqueritur : « *Societates ejusmodi, si ratio sola dijudicet, cum initae honesta caussa sint,* JURE NATURALI *initas apparet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt,* SOLA EST ECCLESIA *cui juste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare juris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt qui praesint civitati : eas potius officium est reipublicae* VERERI, CONSERVARE, *et, ubi res postulaverit,* INJURIA PROHIBERE. *Quod tamen longe aliter fieri hoc praesertim tempore vidimus. Multis locis communitates hujus generis respublica* VIOLAVIT AC MULTIPLICI QUIDEM INJURIA *; cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo jure personae moralis exuerit, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum habebat Ecclesia jus, suum singuli sodales, item qui eas certae cuidam caussae addixerant et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus, quin spoliationes ejusmodi tam injustas ac perniciosas conqueramur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus iter praecludi videmus, quo tempore edicitur utique coire in societatem per leges licere : eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.* »

CAP. VI. De modis acquirendi dominium extra contractum.

ART. I. De Occupatione.

Q. 53. *Quomodo* DOMINIUM *acquiri* possit?

R. Acquiri potest : vel *per contractum*, vel *extra contractum*. Varii autem sunt modi quibus DOMINIUM *extra contractum* acquiri potest. Praecipui sunt : *occupatio*, *accessio*, *praescriptio*.

Q. 54. *Quid* 1°) sit OCCUPATIO, et 2°) *quaenam* requirantur, ut *legitima* sit?

R. Ad 1^{um}) Est realis apprehensio rerum quae nullius sunt.

R. Ad 2^{um}) Ut autem fiat legitime, requiritur : 1°) ut res sit dominii capax et sit vel saltem censeatur nullius, alioquin fur-

tum committeretur ; 2°) ut occupans velit eam facere suam et signo externo hanc voluntatem manifestet, alioquin daretur locus innumeris litibus ; 3°) ut nulla lex occupationi obstet.

Q. 55. *Quaenam* sint praecipuae OCCUPATIONES ?

R. Sunt sequentes : 1°) *venatio, aucupium et piscatio ;* 2°) *extractio fodinarum ;* 3°) *lignatio et pastio* ; 4°) *apprehensio bonorum derelictorum vel vacantium ;* 5°) *apprehensio rerum in bello captarum ;* 6°) *inventio* sive thesauri, sive bonorum nuper amissorum.

Q. 56. An VENATIO, AUCUPIUM et PISCATIO fieri possint *illicita?*

R. AFFIRMATIVE, ex *triplici* capite, quatenus prohibentur : vel 1°) ratione *status* seu *personae* ; vel 2°) ratione *publicae utilitatis ;* vel 3°) ratione *loci.*

Explanatur. 1°) Ratione **status** seu **personae** ; et ita ex jure canonico clericis et religiosis prohibita est VENATIO *clamosa*, quae scilicet fit cum strepitu multorum canum, armorum, tubae, praesertim si ipsi per se canes agitent, arma et venabula gestent. Quod additur, quia simpliciter adesse, tanquam spectatorem, non videtur prohibitum. *Quieta* autem VENATIO, necessitatis, honestae recreationis vel exercitii causa facta, *per se* mala non est, nec prohibita ecclesiasticis. Dico : *per se* ; quia consulenda sunt statuta particularia, et sic in dioec. MECHLIN. per stat. n° 56, clericis prohibetur : « *Omnis venatio, ea sola excepta, quae laqueis aut retibus fiat, sine strepitu et offensione populi.* » Imo in GAND. (tit. 17, c. 9) dicitur : « *Abstineat clericus a quocumque venationis exercitio.* » **2°)** Ratione **publicae utilitatis** ; ut dum prohibetur mensibus quibus segetes intumescunt, aut animalia sunt gravida pariuntve, vel dum prohibetur ne fiat certis instrumentis, quibus minuta et nimia animalia caperentur, sicque soboles exstingueretur aut multum minueretur. **3°)** Ratione **loci** ; ut non fiat in fundo alieno, vel publico sed reservato.

Q. 57. Quid *juris* circa VENATIONEM, AUCUPIUM et PISCATIONEM?

R. *Distinguendum est* inter ANIMALIA : *mansueta* seu *domestica ; sylvestria* seu *fera ;* et *mansuefacta* seu *cicurata.*

Explanatur. 1°) ANIMALIA **mansueta** seu **domestica**, quae scilicet talia sunt ex natura seu indole sua, ut oves, boves, equi,

gallinae, quantumvis aberrent, remanent prioris domini : quia, etsi fugerint, censentur tamen constituta intra moralem potestatem domini ob indolem suam naturalem. Quare ovis longius aberrans, etiam ex naufragio, ex faucibus lupi erepta, licet mortua, est domino suo reddenda. 2°) Animalia **sylvestria** seu **fera**, quibus scilicet vis naturalis insita est libere vagandi terra, aere, mari, si domino carent, fiunt primo capientis, et tamdiu in ejus dominio manent, quamdiu intra illius custodiam manent, nec naturalem libertatem recuperarunt. Recuperasse autem libertatem censentur, quum ita custodiam effugerunt, ut eorum consecutio difficilis sit, et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti nunquam capta fuissent. Nec refert quod ferae capiantur in fundo alieno, *dummodo aperto*, etiam contra prohibitionem domini : nam dominus fundi non habet dominium in aves vel feras, et hinc qui contra mandatum ibi capit, sibi capit, nec tenetur feras restituere. Tenetur tamen resarcire damnum *directe* illatum, proterendo sata, laedendo vineas, etc. Utrum vero etiam teneatur de damno quod dominus incurrit ratione lucri cessantis, si vel ipse per se venabatur, vel jus venandi alteri locaturus erat, inter DD. *disputatur*. Vasquez, quem sequitur Dicastillo, tenet, praeter damna directe fundo illata, nihil esse restituendum : quia alter nullum habet jus ad feras quae adhuc communes sunt ; additque id etiam verum esse respectu ejus, qui jus illud a Republica conduxit : quia, inquit, jus illud tantum est venandi impune, quod utique non violatur per hoc quod alius venetur. Juxta alios tenetur ad restitutionem, non quidem animalium venatione captorum vel in se, vel in valore, sed pro rata lucri cessantis merito ex venatione sperati ; spes autem capiendi non tantum valet, quantum fera, et ideo, aiunt, videndum morali judicio et spectatis circumstantiis, quantum imminuta sit spes lucri per venationem ab altero faciendi. Cum res dubia sit, valet hic juris regula 30 in 6°) : *In obscuris minimum est sequendum..* » Dixi supra : *dummodo aperto;* quia si quis pisces in vivario caperet, aut feras in loco circumsepto, ita ut non possint exinde exire et facile capi ibi queant, furtum committeret, et teneretur ad restitutionem ipsorum animalium, quae naturalem amiserant libertatem. Si tamen locus tam amplus sit, ut ferae in eo aeque difficulter capiantur ac in loco non con-

cluso, non censentur naturalem libertatem amisisse. Quod accidit juxta Lessium, quando v. g. sylva est duarum vel trium leucarum; vel juxta Rebellum, quando tantum excurrit, quantum esse solet cursus ferae ad evadendum. 3°) Tandem animalia **mansuefacta** seu **cicurata**, quae scilicet ex natura sua sunt sylvestria, sed humana industria cicurata, ut columbae, cuniculi, apes, manent sub dominio prioris domini, *quamdiu custodiam ejus non evaserint, aut consuetudinem redeundi non amiserint.* Unde qui ea propria sibi faceret, aut fraudibus et illecebris in columbarium vel alveum suum traduceret, furtum admitteret. Ex lege tamen 4 Aug. 1789, si tempore sementis vel messis columbae egrediantur in terras alieni domini, licitum est eas ibi occupare et occidere, quia lex supponit eas tunc graviter nocere, et ideo eas illo tempore includi jubet. Si vero *redeundi consuetudinem amiserint*, censentur recuperasse naturalem libertatem, et fiunt primo capientis, nisi *lex obstet*. Hinc cuique licet retinere columbas, quae sponte, non attractae, columbis ejus se sociarunt et ad proprium columbarium redire desierunt. Idem dicendum de cuniculis et piscibus (a. 564). Dixi : *nisi lex opstet*, et sic examen apum, quod evolavit ex alveario tuo pertinet jure gallico ex lege 6 Oct. 1791 ad dominum fundi in quo stetit. Si tamen quis alius, prius quam dominus fundi, occupasset examen, ad restitutionem obligandus non foret ante sententiam judicis, ut docet Gousset.

Resolvitur. Fera « si ita sit capta ut laqueo se extricare non possit, aut ita vulnerata, ut eam insequens certo sim capturus, est mea : quia per me amisit suam libertatem... Si vero sit ita capta laqueo (idem dic de piscibus captis in nassa vel rete) ut eo se possit extricare, aut ita vulnerata, ut eam insequens non sim certo capturus, aut etiam lethaliter vulneratam insequi desinam; non est mea, sed primo capientis : quia tunc aut non censetur amisisse libertatem naturalem, aut censeor eam deseruisse. » (Bill.). Interim scribit Steyaertius (*Aphor.* disp. V, n. V) : « Fera a me vulnerata, vel meo laqueo capta, sed ab alio occupata, *cujus sit*, in Theologia quaeritur, sed in sylvis parum admodum curatur; in praxi qui habet, tenet. » Quam praxim, teste Gousset (I, 700) multi sequuntur fideles, praesertim ruri : « *Ils s'approprient sans scrupule le gibier ou le poisson dont un autre n'a pas encore pris immé-*

diatement possession. » Additque : « *Nous pensons que les confesseurs ne doivent point les inquiéter à cet égard : il est prudent, à notre avis, de les laisser dans leur bonne foi.* »

Q. 58. An leges civiles circa VENATIONEM, AUCUPIUM et PISCATIONEM censeri debeant *pure poenales?*

R. CONTROVERTITUR.

Explanatur. Affirmat sententia communis. **Negant** alii, dicuntque venantes, aucupantes, piscantes, contra legis civilis prohibitionem, per se peccare tantum contra JUSTITIAM *legalem*, et nonnisi venialiter. Dicunt : *per se* ; quia per accidens violatio JUSTITIAE *legalis* saepe annexam habet violationem JUSTITIAE *commutativae*, ut si venaretur, aucuparetur aut piscaretur contra prohibitionem factam : aut ratione *utilitatis publicae*, juxta explicata superius (pag. 43), aut ratione *loci*, v. g. in loco circumcepto, vel in fundo pervio alterius habentis jus venandi, aut in loco publico, sed principi vel alteri de ejus concessione reservato. — Cum res **dubia** sit, existimamus hujusmodi leges *practice* sub poena dumtaxat obligare, nimirum post sententiam judicis. Valet enim hic iterum regula juris in 6° : « *In obscuris minimum est sequendum.* » Apud nos *venatio* nunc regitur lege 22 Febr. 1882 ; *piscatio* lege 19 Jan. 1883.

Q. 59. Quid *juris* circa OCCUPATIONEM *fodinarum?*

R. DISTINGUENDUM inter jus *naturae* et jus *civile*.

Explanatur. *De jure* **naturae**, uti satis communiter docent DD., lapidicinae, carbonaria, cretariae, arenariae, fodinae ferri, plumbi, etc., pertinent ad dominum fundi. Hic enim non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terrae; adeoque dominus fundi potestatem habet inde fructus percipiendi. Contradicunt tamen auctores plures, praesertim jurisperiti, quorum aliqui res subterraneas habent ut res nullius, quae fiunt primo occupantis. Quidquid sit, *de jure* **civili** fere ubique fodinae *metallicae* et *carbonariae* ad gubernium pertinent. Neque haec legum civilium dispositio est injusta : nam dirigitur ad sustinenda onera reipublicae, neque adest inaequalitas in gravamine subditorum, quia lex sese extendit ad fundos singulorum civium. Apud nos haec materia regitur per leges 21 April. 1810, 2 Maji 1837 et

7 Oct. 1886.—Quod vero *gemmas, lapillos* et similia attinet, quae in littore maris inveniri solent, ex a. 717 de iis statuendum erit per leges particulares. Quum autem hujusmodi leges hucusque non conditae sint, plures censent standum esse juri naturali, ac proinde pertinere ad inventorem. Alii existimant servandas esse leges antiquas, et signanter constitutionem regiam an. 1681, quae dicitur : *Ordonnance de la marine.*

Q. 60. Quid dicendum de *lignantibus*, aut pecora *pascentibus?*

R. *Distinguendum est.*

Explanatur. *Sylvae* et *pascuae* aut habent suos **dominos privatos**, aut pertinent ad **communitatem,** nec aliis fuerunt elocatae. Si **prius**, nullus alius poterit eis frui, invito domino, sine furti crimine, gravi aut levi, pro gravitate damni illati. Dixi : *invito domino ;* quia contingit aliquando, ut dominus non curet de furtis hujusmodi, v. g. si in vastissimis sylvis arida tantum ligna colligant pauperes indigentes, aut ducant sua animalia ad pascenda ea quae dominus nec est collecturus, nec suis animalibus in pabulum daturus. Si **posterius**, frui potest quivis civis pro sua necessitate, nisi magistratus ex justa causa inhibeat. Sed hujusmodi leges juxta communem sententiam (tom. I, pag. 145) sunt *mere poenales*, quae sub poena dumtaxat obligant post sententiam judicis subeundam, nisi damnum notabile inferatur, v. g. stirpes notabiliter minuendo, grandiores arbores sternendo, etc.

Q. 61. Quid *juris* circa bona *derelicta* et *vacantia?*

R. DISTINGUENDUM inter jus *naturae* et jus *civile*.

Explanatur. De *jure* **naturae** bona *derelicta*, quae scilicet dominus ea mente abjicit, ut in numero suarum rerum jam esse nolit, (qualia sunt v. g. bona amissa quae dominus scit ubi sunt, et tamen de iis amplius non curat); et bona *vacantia*, quae relinquuntur a moriente absque testamento vel absque haeredibus haereditatem accipientibus, sunt primo occupantis. Sed de *jure* **positivo** apud varias gentes communiter reipublicae devolvuntur ; quod tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante sententiam judicis (pag. 41). Ex jure nostro civili bona *derelicta*,

saltem immobilia, pertinent ad Statum (a. 715). Item *vacantia* cedunt fisco (a. 539); sed ne respublica gravetur aere, et aliunde ad servanda uniuscujusque jura, sequendae sunt regulae (aa. 769 et 770) insertae, tum de sigillorum appositione et confectione inventarii, tum de possessione obtinenda. Quod si bona *vacantia* ab ipsa republica repudientur propter onera quibus gravantur, tunc haereditati vacanti curator nominatur juxta praescripta Cod. judic. (a. 998 seq.)

Resolvitur. Patet non haberi pro **derelictis** res amissas naufragio, aut navis levandae causa in mare projectas, aut per inundationem abreptas, quia domini earum dominium non abjecerunt easque libentissime recuperarent; unde furti rei sunt qui res hujusmodi subripiunt.

Q. 62. Ad *quem* pertineant BONA *jure belli* capta?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Milites retinere possunt omnia quae sibi **per leges aut concessionem ducis** tribuuntur, modo evidens non sit belli aut concessionis injustitia. Quae vero **alio modo** usurparunt, restituere tenentur, *saltem regulariter* loquendo. Sic ad restitutionem tenentur illi qui, per terram non hostilem transeuntes, res ad victum non necessarias extorquent, vel qui in bello etiam justo adversus hostes auctoritate privata incursiones faciunt, aut aliter damnificant; vel qui, concessa depraedatione, bona non concessa diripiunt. Quae quidem restitutio facienda est iis qui damnum passi sunt, vel saltem, quum hi raro noscantur in individuo, episcopis vel magistratibus, qui ea bona locorum pauperibus distribuunt. Dixi : **saltem regulariter**; quia non sunt restituendae res captae quae militi ad victum necessariae erant, nec res quaecumque, si post bellum principes invicem condonent damna injuste illata.

Q. 63. *Quid* 1°) sit THESAURUS, et 2°) quid *juris* circa illius *occupationem?*

R. Ad 1^{um}) Definiri potest ex jure vel *Romano* vel *Gallico.*

Explanatur. THESAURUS, EX JURE **Romano,** definitur : « *Vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* » Dicitur : *vetus* ; si enim esset recens de-

positio, haberet dominum, scilicet deponentem seu ejus haeredes. Dicitur : *depositio ;* sive in re immobili, ut in agro ; sive in re mobili, ut in vetusta veste, in saccis laneis ; perinde enim est ad rationem THESAURI ubi lateat. Dicitur : *pecuniae ;* quo nomine intelligitur quaecumque res pretio aestimabilis, ut gemma, vas, statua, etc. Dicitur : *cujus non exstat memoria ;* a quo scilicet et quando sit deposita sive occultata : quia si haec exstaret, dominus posset inveniri. — Ex Jure **Gallico** (a. 716) definitur : « *Res quaecumque abscondita vel infossa, cujus se dominum esse nemo probare potest, quaeque casu mere fortuito invenitur.* » Quae ultima verba non pertinent ad naturam THESAURI, nec applicantur quoad illum qui THESAURUM invenit in proprio fundo ; sed ideo in lege fuerunt adhibita, ne extranei incitarentur ex spe THESAURI inveniendi ad effodiendum in agris alienis.

R. Ad 2^{um}) Ex S. THOM. (2. 2. q. 66, a. 5 ad 2) *distinguendum* est inter jus *naturae*, et jus *civile*.

Explanatur. 1. *De jure* **naturae,** THESAURUS est totus inventoris, titulo occupationis rei domino carentis. Nequit enim censeri pars fundi, sicut aurum et argentum, quod ibi non manus hominum, sed natura deposuit. **2.** Ast *de jure* **communi,** seu *Romano*, cui concinit *Gallicum* in praesenti materia, necnon *Italicum* et *Austriacum*, haec **tria** statui possunt. **A)** THESAURUS est illius qui eum in *proprio suo fundo* reperit, sive fortuito, sive industria. Dicitur : *in proprio fundo ;* unde usufructuarius nullum jus habet in THESAURUM inventum in fundo, cujus tantum habet usumfructum, nisi ipse illum invenerit fortuito, quo casu jus haberet ad dimidiam partem. **B)** Inventus THESAURUS casu fortuito *in fundo alieno* pro dimidio pertinet ad inventorem et pro altero dimidio ad dominum fundi, qui potest esse vel respublica, vel ecclesia, vel privatus. **C)** THESAURUS inventus ex industria in fundo alieno, *sine consensu domini*, totus tribuitur domino fundi et nihil inventori, saltem post sententiam judicis, quia ex actione alteri injuriosa nemo fructum percipere debet. Ante sententiam judicis videtur inventor habere jus ad dimidiam partem. Lex enim, quae domino fundi totum attribuit THESAURUM de industria quaesitum et repertum sine consensu domini, est lex *poenalis*. Porro lex poenalis, quando

poena est activa et gravis, non obligat ante sententiam judicis, ut videri est in mulctis quae certis criminibus lege decernuntur. Quod si *cum consensu domini* id factum sit et secluso pacto cum domino inito, totus est inventoris : quia terram fodiendo injuriam domino non intulit, imo dominus consentiendo jus suum dedisse censetur. Excipit Lessius casum, quo inventor certo sciret ibi latere THESAURUM, et simularet domino fundi quasi nihil sciret.

Resolvitur 1. Ex communi sententia cum Soto, Bannez, Sylv., Nav., Bill., sciens latere THESAURUM in agro alieno, licite hunc agrum emit pretio communi. Ratio : quia pretium commune seu ordinarium est pretium justum istius agri, cum THESAURUS non sit pars fundi, sed ante inventionem et apprehensionem sit nullius. Nec **Objicias** : non licet a rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum. Ergo. **Resp.** Disparitas est, quod sic vendens gemmam decipiatur quoad substantiam, cum praestantia gemmae sit pars ejus; deinde non solvitur pretium, quod gemma habet ex communi aestimatione; THESAURUS vero non est pars agri, et ager emitur justo pretio secundum communem aestimationem. Nec **Urgeas** dicendo : THESAURUS jam est inventus, dum scitur latere : ergo dimidium est domini agri augetque pretium. **Resp.** *Dist. ant.* : est inventus inchoate, *conc.*; est inventus complete et sufficienter ad acquirendum ejus dominium, *neg.* : nam ad hoc requiritur apprehensio seu occupatio. **Resol. 2.** Si THESAURUM inventum et apprehensum ex fundo alieno, iterum in eo recondas, potes emere hunc fundum communi pretio et fieri totius THESAURI dominus, si jus *naturae* solum consideras, juxta quod THESAURUS est totus inventoris; idque indicat parabola Christi (Matth. XIII, 44). Ast id non potes, attento jure *positivo*, juxta quod, ut dictum est, medietas THESAURI inventi et apprehensi pertinet ad dominum fundi, in quo repertus est.

Q. 64. Quid *juris* circa RES *nuper amissas?*

Praenotandum. Si quae leges latae sint in aliqua regione circa res amissas, iis utique standum est. Sic in Provinciis foederatis Americae Septentrionalis leges civiles plerumque exigunt, ut res omnes inventae ad publicam deferantur notitiam, et, si dominus non detegatur, fisco cedant, data aliquando inventori mercede.

In *jure gallico* nulla quidem exstat generalis dispositio circa res amissas, qua de illis aliquid statuatur. Habetur interim ex a. 2279 res amissas praescribi posse per spatium trium annorum. Praeterea profertur decretum an. 1810, circa res apud vectores publicos derelictas, quod adhuc viget; item decretum 28 Febr. 1860, decretum 30 Maii 1879 (art. 9), et quaedam alia circa res apud scribam (*au greffe*) depositas. Hoc posito :

R. Quaedam desuper *certa* sunt, quaedam vero *dubia*.

Explanatur. 1°) Qui rem amissam invenerit, **certo** tenetur saltem ex *charitate*; imo, juxta plures, ex *justitia*, ratione quasi-contractus, qui *gestio negotiorum* dicitur, inquirere dominum cum diligentia eo majori, quo res reperta est majoris pretii. Si hanc diligentiam culpabiliter omittat inventor, erit malae fidei; unde ad ea omnia in conscientia tenebitur, ad quae postea dicemus teneri possessorem malae fidei. 2°) Inventor etiam **certo** tenetur aliquo tempore rem inventam conservare. Ast *quamdiu* exspectare debeat? Hoc prudentis arbitrio ex circumstantiis discerni debet. Observat Ballerini : « Normam aliquam suppeditari a quibusdam codicibus civilibus, qui decernunt generatim, ut quoties adhibita sit praescripta diligentia ad quaerendum rei dominum, hoc *post biennium* non apparente, res inventori cedat. Etsi enim lex ista alicubi non vigeat, cum tamen valere ut prudentiae dictamen possit, merito quis inferet, biennio post diligentias idoneas adhibitas elapso, posse inventorem de re tanquam sua ita disponere, ut sive eam absumpserit, sive possidendo ut suam praescripserit, ad nihil, etiam comparente dein forte domino, teneatur. » In jure *gallico* (a. 2279), conceditur domino *triennium* ad rem amissam repetendam ubicumque eam invenerit. Debet igitur servari eo usque, nec potest inventor antea de re inventa disponere. 3°) Facta diligenti inquisitione et elapso notabili tempore, si rei amissae dominus non detegatur, tunc adest inter DD. **disputatio**. Juxta alios potest inventor rem amissam sibi retinere, quia res illa ut moraliter derelicta habenda est, eo quod dominus, licet non amiserit dominium *metaphysicum* in rem suam, amiserit tamen dominium *morale*, consistens in facultate utendi re sua et de ea disponendi; haecque sententia a Less., Laym., Lug., aliis, vocatur « *probabilis* ; » additque Spor. : « *probabilem ergo hanc sententiam confessarius*

tuto sequi potest in praxi. » Nec obstat illud dictum S. Aug. (serm. XIX de verb. apost.) : « *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.* » Id enim intelligitur de illo, qui retinet animo non reddendi domino noto, aut qui retinet non praemissa prius diligentia pro eo inveniendo.—Juxta alios vero debet rem erogare pauperibus vel in causas pias expendere, nisi ipse sit pauper, ut saltem prosit spiritualiter, quod corporaliter prodesse nequit. Ita omnes fere DD. usque ad Dom. Soto, ipso fatente ; et eruitur ex S. Thom.(2. 2. q. 62, a. 5 ad 3), ubi dicit : « *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive vivens, praemissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda.* » Cui sententiae suffragatur auctoritas Cath. *Conc. Trid.* (p. 3, c. 8) de rebus amissis inquientis : « *Quod si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.* » Quae auctoritas tanta est, ut haec secunda sententia jure meritoque in praxi saltem sit **suadenda.** 4°) Quod si post diligentiam adhibitam, sed antequam tempus notabile seu triennium juxta *jus gallicum* effluxerit, dominus compareat, cum res clamet domino suo in quibuscumque manibus devenerit, utique res domino **reddi debet** in se, si adhuc exstet in se. Si vero consumpta fuerit, tunc vel ipse inventor eam consumpsit, vel pauperibus erogavit, vel in alios pios usus impendit. Si eam in bona fide consumpserit, tenetur id domino reddere ex quo factus est ditior. Si pauperibus eam erogaverit, ad nihil ipse tenetur, et pauperes id tantum restituere debent ex quo ditiores facti sunt ; plerumque, ut patet, ad nihil tenentur. Si tandem in alios pios usus illam impenderit, tunc ecclesia, xenodochia, monasteria, etc., quibus fuit distributa, eam, si adhuc exsistat vel ejus aequivalens reddere debent, secus ad nihil tenentur. Ratio : quia res inventa non datur nisi sub conditione saltem implicita eam reddendi, si dominus compareat. 5°) Si inventor tum diligentiam requisitam, tum notabile tempus culpabiliter omiserit, erit **malae fidei**, et consequenter ad ea omnia in conscientia tenebitur, ad quae tenetur possessor malae fidei.

ART. II. De accessione.

Q. 65. Dic : 1°) *Quid* sit, 2°) *quotuplex* distinguatur, et 3°) *quibus modis* fieri possit ACCESSIO?

R. Ad 1^um^) ACCESSIO est modus acquirendi dominium in rem, quae tanquam accessorium vel pars accedit ad rem nostram tanquam principalem et praesuppositam, juxta axioma : *Accessorium sequitur principale; pars sequitur totum.*

R. Ad 2^um^) *Triplex* generatim distinguitur : *naturalis*, *artificiosa* et *mixta*, prout sola natura locum habet, vel hominis industria, vel utraque.

R. Ad 3^um^) Variis modis fieri potest : *productione* seu *nativitate*, *adjunctione*, *alluvione*, *commixtione* seu *confusione*, *specificatione*, *aedificatione*, seu *plantatione.*

Q. 66. *Quid* juris circa ACCESSIONEM.

R. Ex jure gallico *varia* statuuntur, pro variis *modis*, quibus ACCESSIO contingere potest.

Explanatur. 1°) Ratione **productionis** seu **nativitatis,** acquirimus omnes fructus qui ex re nostra vel occasione rei nostrae proveniunt (a. 547), ac proinde : **A**) *fructus naturales,* i. e. quos natura producit sine ullo aut fere ullo hominum labore, ut foenum, lignum, poma ; **B**) *fructus industriales,* i. e. qui cultura majori indigent, ut segetes, vinum, legumina ; **C**) *fructus civiles,* i. e. qui non ex re ipsa proveniunt, sed occasione rei, ut pensiones aedium locatarum, praediorum rusticorum quae conducta sunt, usurae pecuniarum, quando legitime percipi possunt ; **D**) *foetus animalium,* i. e. ea quae ex animalibus dominio nostro subjectis nata sunt. Duo tamen heic observanda sunt. *Primum :* partum animalem sequi ventrem, seu matrem, cujus viscerum foetus quasi quaedam portio esse videbatur, antequam nasceretur ; unde qui habet matrem, habet jus ad animal ex ea natum. *Secundum* est : fructus quoscumque, qui ex re nostra proveniunt, non acquiri nisi sub onere solvendi expensas, quae quaerendorum, colligendorum, conservandorum eorum gratia factae sunt (a. 548) ; quae etiam ante alia debita solvenda sunt (a. 2102) ; et merito quidem : quia sine iis impensis fructus non fuissent, et nemo fieri debet locupletior cum detrimento et injuria alterius. 2°) Res per **adjunctionem** unitae, licet sint separabiles, pertinent ad dominum rei principalioris, modo solvat pretium rei minoris (a. 566). Res autem principalior est, cui altera accedit solius usus, ornamenti aut complementi gratia (a. 567).

Sic, v. g. si purpura aliena vestimento cujusdam intexta fuerit, vestimentum consideratur tanquam res principalis. Si tamen res addita multo pretiosior est re principaliore, dominus illius, si adjecta fuerit eo inscio, exigere poterit, ut divellatur a re principali, etiamsi sine aliquo detrimento rei principalis separari nequeat (a. 568). In dubio tandem, quid sit in rebus per accessionem unitis principale, videndum est, quae res alteram valore, aut saltem volumine superat, si valor sit idem; haec erit principalis (a. 569). **3°**) Quae terra paulatim et insensibiliter ripae fluvii vel amnis adjicitur, **alluvio** dicitur *latens*, atque ad fluvii accolam pertinet (a. 556). Similiter, si alveus insensibiliter ad aliam partem diverterit, ripa derelicta ad accolam fluminis spectat, quin accola alterius ripae fundum amissum exigere possit (a. 557). Quod si vis repentina de tuo fundo partem notabilem detraxerit et vicini praedio adjecerit (**alluvio** *patens*), pars detracta tua manet, modo infra annum eam repetas (a. 559). **4°**) Quae **confusione** commixta fuerunt, quorum tamen nulla pars principalis distingui posse videatur, separentur, si sint separabiles, exigente domino, quo inscio confusio aut commixtio facta fuerit. Si vero separari nequeant, possessio rei confusae aut mixtae communis evadit, habita ratione quantitatis, qualitatis et valoris rei singulae (a. 575). Quod si res una alteram quantitate aut pretio multum superet, dominus rei principalioris totum repetere poterit, modo alteri solvat pretium rei propriae (a. 574). **5°**) Ratione **specificationis,** statuitur : **A**) Si quis ex materia aliena rem novam effecerit, hanc dominus materiae semper repetere poterit, dummodo pretium operae restituat (a. 570). Quod si forma rei ipsa materia multo pretiosior sit, utpote principaliorem opifex servare poterit, modo pretium materiae domino restituat (a. 571). **B**) Si quis opus fecerit partim ex propria, partim ex aliena materia, adeo ut utraque maneat integra, quin tamen divelli possit, illud commune erit (a. 472). **C**) Si quis ex aliena materia et inscio domino, rem novam confecerit, ad damna, quae emerserunt, damnari poterit (a 577). **D**) Cum dominus, si ipso inscio nova rei propriae species inducta fuit, eam repetendi jus habeat, liberum ipsi erit, vel totam in eadem natura, quantitate, mensura, bonitate ac pondere, vel ipsius solum pretium exigere (a. 576). **6°**) Quoad **aedificationem** seu **plantationem,** duplex hypo-

thesis fingi potest : vel quis ex aliena materia in proprio suo fundo aedificavit, plantavit, vel ex propria materia in fundo alieno. Si PRIMUM, aedificationes suas retinere potest, sed debet solvere proprietario materiae justum ejus pretium. Praeterea, si malae fidei fuerit, sciens esse alterius materiam, debet resarcire damna illata. Si SECUNDUM, *subdistinguendum est* : vel fuit *malae*, vel *bonae fidei*. Si fuerit *malae* fidei, sciens se aedificare in fundo alieno, invito domino, dominus fundi potest retinere aedificationes, soluto tamen pretio materiae et laboris (*main d'œuvre*), sed non attendendo ad augmentum valoris quem inde fundus habere potuit. Si retinere nolit eas, tunc potest exigere, ut aedificator malae fidei propriis suis expensis has aedificationes auferat, et insuper ut resarciat omnia damna inde domino fundi causata. Ast si fuerit *bonae* fidei, proprietarius fundi non potest exigere ut aedificationes auferat propriis suis expensis, sed tenetur solvere pretium materiae et laboris aut ejus aequivalens, scilicet augmentum valoris fundo ejus adjecti.

ART. III. De praescriptione,

Q. 67. Dic : 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit PRAESCRIPTIO?

R. Ad 1^{um}) PRAESCRIPTIO est *modus acquirendi dominium vel se liberandi ab aliqua obligatione, per certum temporis lapsum, sub conditiõnibus a lege praefixis.*

R. Ad 2^{um}) Hinc *duplex* distinguitur : una *positiva* seu *acquisitiva* (gallice : *prescrire une chose, prescrire un droit)*; altera *negativa* seu *liberativa* vel *exstinctiva* (gallice : *prescrire contre un droit*). Prima proprius *usucapio*, secunda magis *praescriptio* dicenda foret.

Q. 68. An PRAESCRIPTIO *acquisitiva* valeat *in conscientia?*

R. *Affirmative*, si debitis stipata sit conditionibus.

Explanatur. Nam **1°) potuit** princeps, vi alti dominii quod habet in bona subditorum, illud operari : A) quod nullius jura laedit; B) quod bonum publicum promovet. Jam vero praescriptio, etiam quatenus in ipsa conscientia vim habet, *nullius jura laedit :* consideranda enim est, non in casu tantum particulari, sed generaliter et ante omnem eventum, et eatenus nullius jura laedit, cum

unusquisque habeat spem lucrandi et timorem amittendi. Praeterea *bonum publicum promovet* : nam praecaventur lites innumerae et uniuscujusque excitatur vigilantia in res suas conservandas. 2°) Non tantum *potuit* princeps, sed et **voluit** per praescriptionem in conscientia transferre dominia, et non mere denegare actionem in foro externo : nam verba legis sunt omnino generalia. Dicitur enim dominium transferri, acquiri, etc. Porro, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. 3°) Constat ex *jure* **canonico**, quod vim praescriptionis in foro interno recognoscit : non enim loquitur tantum pro foro externo, si quidem finis ejus praecipuus sit salus animarum. Approbare autem non posset, quod illicitum foret et animas damnaret. Cfr. Bill. — Hinc ex S. Thom. (*Quodl.* XII, q. 24) legitime praescribens non tenetur ad restitutionem, etiamsi alienum fuisse sciat post praescriptionem.

Q. 69. Quaenam *conditiones* requirantur, ut PRAESCRIPTIO *acquisitiva* transferat dominium *in conscientia?*

R. *Quinque* requiruntur : 1°) *res apta* seu praescribilis; 2°) *possessio*; 3°) *titulus*; 4°) *tempus legitimum*; 5°) *bona fides*. Hinc vulgares versiculi :

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque :
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

Explanatur. Requiritur itaque : 1°) *ut res sit* **apta**, adeoque ut non excludatur a commercio humano, sive ex *natura rei*, qualia sunt v. g. quae sunt juris naturalis aut divini; item quae pertinent ad dominium publicum, ut plateae, quippe quae non possunt cadere sub dominio privato; sive ex *dispositione legum*, qualia sunt v. g. bona minorum. Ratio est : quia praescriptio est modus acquirendi dominium per rei possessionem; quae autem sub commercio non cadunt, possideri non possunt, nec proinde praescribi. Observandum hic est : ex jure *civili* bona ecclesiastica aliaque bona eodem temporis lapsu et iisdem aliis conditionibus praescribi, exceptis ecclesiis, quippe quae a privatis possideri nequeant. Ast aliter jure *ecclesiastico* statutum est, ad cujus praescriptum solvendae sunt quaestiones quae circa bona ecclesiastica versantur. Unde, ut in foro conscientiae boni ecclesiastici valeat praescriptio, requiruntur

100 anni, si contra Ecclesiam Romanam currat; 40 vero, si contra alias ecclesias.

Requiritur : 2°) **possessio.** Nam praescriptio fundatur super possessionem rei alterius. Ubi autem fundamentum deest, superaedificari nequit. Haec autem possessio debet esse : **A**) *vera ac propria*, ita ut quis rem alienam detineat proprio nomine seu opinione domini. Et hinc praescribere nequit, qui v. g. rem alienam habet in deposito : non enim rem possidet, sed potius custodit. **B**) Debet esse *continua* et non *interrupta*, ita ut habeatur possessio vera et propria seu animo domini, tum in principio, tum in decursu, tum in fine. Non requiritur tamen ut possessio fiat per eamdem personam. Unde possessio antecessoris seu auctoris numerari potest cum possessione successoris. Quandonam praescriptio *interrumpatur*, quandonam vero tantum *suspendatur* seu *dormiat*, dicetur postea.

Requiritur : 3°) **titulus** seu causa ob quam aliquid possidemus, v. g. emptio, donatio. Ratio est : quia titulus est fundamentum justae possessionis et sine eo non potest possidens habere bonam fidem, cum credere nequeat se habere jus possidendi, nisi existimet se habere titulum ex quo jus istud oriatur. Non tamen requiritur titulus *verus*, v. g. emptio *valida*, donatio *valida* : nam talis per se dominium illico transfert; sed sufficit *coloratus*, i. e. qui ex natura sua aptus est ad transferendum dominium, sed qui ob aliquem defectum vim suam non obtinet, et ita nonnisi colorem seu speciem veri tituli habet, v. g. venditio ab eo facta, qui non erat illius rei dominus. Imo sufficit titulus *existimatus*, i. e. qui adesse creditur, licet revera non adsit, v. g. si quis prudenter judicat rem a patre suo esse emptam, quod tamen factum non est, nequidem per emptionem invalidam. Sed hic notandum est : **A**) In praescriptionibus 10 vel 20 annorum, seu *longi temporis*, titulus *probari* debet. Unde requiritur ut adsit saltem titulus *coloratus*, et praeterea ut sit confectus juxta solemnitates requisitas a lege. Non prodest itaque titulus, qui non fuerit rite confectus (a. 2267). **B**) In praescriptionibus vero *longissimi temporis* seu 30 annorum, titulus probari non debet. Possessio enim tam longa locum tituli supplet et merito quidem : quia verus titulus per tempus adeo longum multis modis perire potest.

Requiritur : 4°) **tempus legitimum**. Et quidem ex *jure gallico* statui possunt sequentia : **A**) Ad praescriptionem *rerum immobilium*, ut possint praescribi absque tituli probatione, requiruntur 30 anni. Si vero titulus probari juridice possit, sufficiunt anni 10, si dominus, contra cujus bonum praescribitur, fuerit praesens ; anni vero 20, si fuerit absens. Censetur autem *praesens* si habitet intra territorium curiae superioris *(cour d'appel)*, in qua jacet bonum quod praescribitur ; *absens* vero censetur, si habitet extra illud. Quod si partim fuerit praesens, partim absens, tunc duo anni absentiae reputantur pro uno praesentiae. Sic v. g. qui habitavit *intra* per 6 annos, debet habitasse *extra* non per 4, sed per 8 annos, ut compleatur praescriptio 10 annorum. **B**) Ad praescriptionem acquisitivam servitutis *activae*, si sit *continua* et *apparens*, requiruntur 30 anni, sed tunc nullus titulus exhiberi debet. Si autem titulus exhiberi potest, sufficiunt 10 vel 20 anni, sicut in praescriptione rerum immobilium. **C**) Ad praescriptionem vero *rerum mobilium*, requiruntur *ex jure Romano* tres anni cum titulo, triginta vero sine titulo. Ast *ex jure gallico*, si agatur de mobilibus, quae nec sunt *amissae*, nec *furtivae*, nullum tempus nullusque titulus requiritur, sed sola possessio sufficit juxta a. 2279 : « *En fait de meubles, la possession vaut titre.* » Sin autem agatur de praescribendis rebus amissis seu furtivis, requiritur breve tempus, scilicet spatium trium annorum, neque ullus titulus exhiberi debet. Et has quidem dispositiones valere in conscientia, modo adsit *bona fides*, tuta in praxi est sententia.

Requiritur : 5°) **bona fides**, non solum initio possessionis, sed toto tempore ad praescribendum requisito. Est autem bona fides in praescriptione *acquisitiva* judicium practicum, quo quis prudenter judicat se habere jus talem rem possidendi ut suam, quia vel positive existimat saltem probabiliter esse suam, vel se habere jus ponendi talem actionem ; vel invincibiliter aut saltem ex negligentia inquirendi leviter tantum culpabili ignorat esse alienam aut se agere contra jus alterius. Ideo autem requiritur *bona fides*, quia iniquum est alienum, *cognitum ut tale*, sibi arrogare aut detinere. Hinc cum *mala fide* nunquam praescribitur, nequidem per tempus immemoriale juxta regulam juris 2 in 6° : « *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* » Quod definitum est in Con.

LATER. IV (1216) hisce verbis : « *Quoniam* omne quod non est ex fide peccatum est, *synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque* MORTALI PECCATO *non potest observari. Unde oportet ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* » Unde dispositiones juris civilis (aa. 2262, 2268 et 2269), in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, aut statuunt bonam fidem praesumi, malam esse probandam, pro foro interno non valent, et veluti mera recursus, i. e. actionis contra alium denegatio sunt habendae.

Resolvitur 1. Itaque ut praescriptio acquisitiva valeat in conscientia requiritur *bona fides*, et quidem **theologica**, ea nempe quae excludit coram Deo culpam saltem gravem ; nec proinde sufficit *bona fides*, quae dicitur **juridica**, ea nempe quae excludit indicia ex quibus in foro civili mala fides praesumitur, ita ut quotiescumque reperiantur illa indicia, possessio habeatur ut illegitima, v. g. quando quis habet titulum *vitiosum*. Quia tamen tota vis praescriptionis pendet a lege civili, si lex civilis hanc bonam fidem postulat, initio saltem possessionis, ut in praescriptionibus 10 vel 20 annorum (a. 2265), juxta dicta superius (pag. 57), tunc praeter *bonam fidem* **theologicam** etiam requiritur **juridica**. — **Resol. 2.** Exsistere potest bona fides **theologica** sine **juridica**, ut in dicto exemplo de titulo vitioso : si enim tunc in rei veritate absit omne peccatum vel saltem culpa gravis, aderit bona fides coram Deo, non tamen coram judice. Similiter exsistere potest bona fides **juridica** sine **theologica**, v. g. in eo qui detegit vitia tituli quae ignorabat initio possessionis.

Scholion. Bonae fidei tria adversantur, videlicet : **fides mala, fides dubia**, et quaedam **ignorantia.**

Et 1°) quidem **fides mala**, qua nempe quis agnoscit, ante tempus praescriptionis completum, rem quam possidet esse alienam, semper praescriptionem perturbat. Utrum vero fides mala *antecessoris* semper noceat *successori* dicetur postea ad q. 70. Ad malam fidem etiam reducitur *conscientia illiciti*, etsi infundata : quia non potest esse in bona fide qui agit contra suam conscientiam, sive erroneam sive rectam.

Quod 2°) **dubium** seu **fidem dubiam** attinet, sequentia sunt dicenda : **A**) Qui ab initio, ante inchoatam possessionem dubitat an res sit sua an aliena, caret bona fide sufficienti ad praescriptionem : quia non habet titulum illam usurpandi, et sibi eam appropriando se exponit periculo laedendi jura alterius. **B**) Qui vero bona fide possessionem incipit et postea prudenter dubitat an res sit sua, tenetur diligenter inquirere. Si, facta morali diligentia, non constet rem esse alienam, potest insistere possessioni, et expleto tempore praescribit : quia potest rem habere ut suam, cum *melior sit conditio possidentis*. Itaque in casu, licet non possit deponi dubium speculativum, potest tamen deponi dubium practicum, ope principii reflexi : « *In dubio melior est conditio possidentis.* » **C**) Si prior possessor, a quo rem accepisti, bona fide eam possederit, tu vero ab initio statim dubites an sit aliena, teneris inquirere. Si non invenias esse alienam, potes pergere et praescribis : quia acquisivisti jus, quod habuit prior, qui suborto dubio potuisset pergere. Ergo et tu, qui quasi continuas bonae fidei possessionem, poterisque tempus illud computare cum tuo.

Denique 3°) quod spectat **ignorantiam** dicendum est : **A**) omnis ignorantia *graviter culpabilis* seu *mortaliter mala*, sive sit FACTI qua quis novit legem sed ignoret tale factum esse legi oppositum, sive sit JURIS, qua quis novit quidem factum sed ignorat legem illud prohibentem, aufert bonam fidem *theologicam* quae consistere non potest cum culpa gravi, ut dictum fuit (pag. 59), et aliunde nemo ex gravi culpa debet commodum reportare. — **B**) Ignorantia FACTI *inculpabilis* nedum bonam fidem impediat, potius eam inducit, cum bona fides semper aliquid erroris supponit. Idemque dicendum est, si ignorantia sit tantum *leviter* culpabilis, quia in Conc. LAT. IV, de quo supra (pag. 59) non damnatur nisi sola fides cum *peccato mortali*. Aliunde, si ignorantia *leviter* mala impediret praescriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia : nam posset quilibet illius suspicione agitari quolidie (Cfr. S. LIG. III,511). — **C**) Ignorantia JURIS CLARI *inculpabilis* vel *leviter* tantum *culpabilis* non obstat quidem bonae fidei *theologicae ;* obstat tamen bonae fidei *juridicae,* quia facit fidem, theologice bonam, civiliter malam : nam vis praescriptionis ex legum statutis pendet ; leges autem non admittunt praescriptionem fundatam in ignorantia invincibili

juris; unde dicitur in jure (lib. 4 ff. *de juris et facti ignorantia*) : « *juris ignorantia negatur in usucapione prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat.* » Et hinc sub jure novo impedit praescriptionem 10 vel 20 annorum ad quam requiruntur bona fides *juridica* et titulus juxta dicta superius pag. 57, non vero nocet praescriptioni 30 annorum ad quam sufficit bona fides *theologica*, quae nempe excludit coram Deo culpam saltem gravem. — Dixi : *juris* CLARI; quia ubi jus est *dubium*, quia utrimque dantur opiniones de eo, utrum tunc ignorantia *juris inculpabilis* noceat praescriptioni inter DD. controvertitur. — Fatentur omnes : in tali dubio standum esse sententiae judicis, quia ad eum pertinet dubia hujusmodi solvere.

Q. 70. An *mala fides* antecessoris defuncti semper *impediat* successorem a PRAESCRIPTIONE?

R. Quaestio expendi potest tum ex Jure *Romano*, tum ex Jure *Gallico*.

Explanatur. 1°) Ex **jure Romano**, *distinguendum* est : **A)** Successor *universalis*, i. e. qui sive solus, sive una cum aliis titulo haereditatis auctori succedit, si sit *immediatus*, ex fictione juris censetur eadem persona cum defuncto, et una est eorum possessio. Idcirco *mala fides* auctoris redundat in successorem universalem *immediatum*, utpote qui, sicut succedit in omnia jura et commoda defuncti, sic etiam succedit in omnia ejus onera. Probabilius tamen posset praescribere tempore extraordinario seu 30 annorum, non quidem vi tituli successionis, sed vi tituli praesumpti, si permanserit in bona fide. Dixi : successor universalis *immediatus;* quia haeres *mediatus*, sive haeres haeredis, si uterque bona fide possideat, praescribit tempore ordinario; quia jura vetant duas fictiones in eadem causa, sicut umbra non facit aliam umbram. Sed primus haeres, possessori *malae fidei* succedens, est fictione juris una persona; ergo illa fictio non transit ad secundum; ergo successor *mediatus* potest inchoare praescriptionem, si ipsius antecessor fuerit in bona fide. **B)** Successor vero *particularis*, i. e. qui alio titulo, v. g. legati, emptionis, donationis, etc., succedit auctori, non repraesentat personam ejus, et hinc *mala fides* antecessoris non nocet ejus successori, seu non impedit quominus ille

possit rem praescribere, inchoando praescriptionem a propria possessione.

2°) Sub **Jure Gallico**, ut communiter docent DD , mala fides antecessoris nocet successori bonae fidei, si is succedat titulo universali et agatur de praescriptione *ordinaria* seu 10 vel 20 annorum : quia in illa praescriptione requiritur bona fides *juridica*, haec autem defuit in antecessore cum quo succedens titulo universali fictione juris unam facit personam moralem ; secus dicendum, si agatur de praescriptione 30 annorum, in qua non requiritur bona fides *juridica*, et aliunde successor supponitur toto tempore fuisse in bona fide *theologica*. Equidem affertur sententia omnino probabilis, quod etiam sub **Jure Gallico** haeres furis seu *malae fidei* possit praescribere tempore *ordinario* : quia habet titulum translativum dominii, scilicet haereditatis, et aliunde supponitur bona fides. Etenim lex an. 12 Reip. (du 30 Ventose, a. 7) dicit : « Leges Romanae, consuetudines, desinunt habere vim legis sive generalis, sive particularis. » Ergo per illam legem **Jus Romanum** fuit totaliter abrogatum. Cum autem post illud tempus non fuerit data nova lex circa hoc, non videtur, quomodo principium **Juris Romani** adhuc admitti debeat. Nullibi in toto codice Napoleonis dicitur, quod per fictionem juris haeres fiat una persona cum defuncto. Unicus tantum datur casus in jure novo, ubi haeres supponitur eadem persona cum defuncto (a. 2257) ; et cum agatur de re odiosa, non debet ad alios casus extendi. Exemplum est : Avus meus possedit domum ut usufructuarius, et ex mala fide invertit titulum et sic moritur. Filius ejus domum illam ex haereditate obtinet bona fide, putans esse suam. Post 80 annos veniunt proprietarii illius domus et probant avum meum mala fide titulum invertisse. Teneor domum cedere, nec ulla valet praescriptio.

Q. 71. *Quotupliciter* distinguatur PRAESCRIPTIO *liberativa* seu *exstinctiva?*

R. Ex JURE GALLICO *tripliciter* distinguitur : 1°) *Longi temporis* seu 30 annorum ; 2°) *brevis temporis* seu quinque annorum ; 3°) *brevissimi temporis*, seu duorum annorum, unius anni vel sex mensium. — Alii utuntur aliis verbis et tempus distinguunt : *longissimum*, *longum* et *breve*.

Q. 72. *Quaenam* exstinguantur per PRAESCRIPTIONES *liberativas?*

R. *Distinguendum* inter PRAESCRIPTIONES *longi*, *brevis* et *brevissimi* temporis.

Explanatur. 1°) Per PRAESCRIPTIONEM **longi temporis** seu 30 annorum exstinguuntur omnia debita quaecumque et omnes servitutes passivae. 2°) Per PRAESCRIPTIONEM **brevis temporis** seu 5 annorum exstinguitur, generatim loquendo, quidquid annue seu breviori tempore solvendum est : « *Les arrérages de rentes perpétuelles et viagères ; ceux des pensions alimentaires ; les loyers des maisons et le prix de ferme des biens ruraux ; les intérêts des sommes prêtées, et généralement tout ce qui est payable par année ou à des termes périodiques plus courts* (a. 2277). Tandem 3°) per PRAESCRIPTIONEM **brevissimi temporis,** si sit **A**) *duorum annorum*, praescribuntur stipendia procuratorum *(des avoués)*, finita causa (a. 2273) ; si sit **B**) *unius anni*, praescribuntur : « *L'action des médecins, chirurgiens et apothicaires, pour leurs visites, opérations et médicaments ; celle des huissiers, pour le salaire des actes qu'ils signifient et des commissions qu'ils exécutent ; celle des marchands, pour les marchandises qu'ils vendent aux particuliers non marchands ; celle des maîtres de pension pour le prix de la pension de leurs élèves et des autres maîtres, pour le prix de l'apprentissage ; celle des domestiques qui se louent à l'année, pour le payement de leur salaire* (a. 2272). » Denique si sit **C**) *sex mensium*, praescribuntur : « *L'action des maîtres et instituteurs des sciences et arts, pour les leçons qu'ils donnent au mois ; celle des hôteliers et traiteurs, à raison du logement et de la nourriture qu'ils fournissent ; celle des ouvriers et gens de travail, pour le payement de leurs journées, fournitures et salaires* (art. 2271). »

Q. 73. *Quaenam* sint praecipua *motiva* PRAESCRIPTIONIS *liberativae?*

R. Sunt : 1°) praesumptio solutionis ; 2°) ne debitores teneantur diutius servare solutionis apochas ; 3°) ut sic puniatur negligentia creditorum ; 4°) quoad solutiones periodice faciendas, ne debitores, coacti solvere magnam ex accumulatis pecuniae summam, ad miseriam redigantur.

Resolvitur. Cum nulla negligentia imputari possit **defuncto,** qui extra hominum commercium manens non potest petere quod

sibi debetur, patet, respectu ipsius, fundamentum praescriptionis liberativae non habere locum, ac proinde, quidquid hac de re olim disputatum fuerit, nullam admitti posse PRAESCRIPTIONEM **contra onera Missarum.** Constat ex decisione S. C. C. (20 Dec. 1879) ap. N. R. T. (XIII, 16 seqq.).

Q. 74. An PRAESCRIPTIONES *liberativae* valeant *in conscientia*?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative,* quoad PRAESCRIPTIONEM **longi temporis** seu 30 annorum, modo adsit bona fides. **2°)** Etiam probabilius *affirmative,* quoad PRAESCRIPTIONEM **brevis temporis** seu 5 annorum, si iterum adfuerit bona fides per totum quinquennium. Rarissime tamen bona fides in primo debitore aderit. Adesset v. g. in casu sequenti : dedi interesse famulo meo, ut solvat pro me ; sed ipse conficit falsam apocham *(fausse quittance),* et post 8 annos venit creditor, rogans canones 8 annorum. Ego cum fuerim in bona fide, dabo tantum pro 5 annis, non solvam pro tribus prioribus. Si post 9 annos, solvam pro 5, non pro quatuor prioribus et ita porro. Uno verbo, non solvam in istis casibus quidquid est ultra 5 annos. Tandem **3°)** *Negative,* quoad PRAESCRIPTIONES **brevissimi temporis** seu *duorum annorum, unius anni,* vel *sex mensium :* quia non sunt veri nominis PRAESCRIPTIONES, sed mera negatio actionis in foro externo. Patet hoc ex (a. 2275), ubi decernitur, juramentum exigi posse in casu a volente praescribere, quod revera solverit. Ex quo manifestum fit, legislatorem non voluisse liberare debitorem in conscientia, si revera non solverit.

Q. 75. Quid intelligas per *bonam fidem* in PRAESCRIPTIONIBUS *liberativis*?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Vel agitur de PRAESCRIPTIONE liberativa ab aliquo **debito personali,** vel **2°)** ab aliqua **servitute passiva.** Si PRIMUM, bona fides est ignorantia inculpata juris alterius qua credam me nihil debere, quia puto debitum esse solutum, condonatum, vel quia memoria excidit. Si SECUNDUM, *subdistinguo :* vel **A)** est servitus qua pati debeo ut *aliquid fiat* in re mea, vel **B)** est servitus

qua pati debeo ut *aliquid non fiat* in re mea. Si PRIMUM, bona fides in hoc consistit, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur. Sic possum praescribere servitutem, quam aliquis habet in meo fundo, v. g. ut utatur meo puteo, ut possit transire *(servitus rustica)*, si alter jure suo non utatur, licet sciam jus illud illi deberi : quia nihil facio illicitum, nec teneor ipsum monere ut utatur jure suo, videturque servitutem habere pro derelicta, dum uti potuit et non fecit. Si SECUNDUM, bona fides est ignorantia qua credam me acquisivisse dominium a tali servitute liberum. Hinc si alter habeat jus circa rem meam, ut ego aliquid non faciam, v. g. ne fenestras aperiam *(servitus urbana)*, tunc ut PRÆSCRIPTIONE jus illud exstinguam, requiritur ut bona fide faciam contrarium, et ipse per certum tempus non contradicat : quia, si scienter agam contra jus illius, facio illi injuriam.

Q. 76. *Quandonam* PRAESCRIPTIO dicatur 1°) *interrumpi*; *quandonam* vero 2°) *suspendi* tantum seu *dormire?*

R. Ad 1^{um}) *Interrumpitur*, dum incoepta sic cessat, ut posteriores anni non possint cum prioribus computari.

Explanatur. Hoc autem **duplici** modo fieri potest : **1°) Naturaliter,** quotiescumque cesset aliquid ex requisitis substantialibus, uti, v. g. si mala fides superveniat; si possessor agnoscat jus illius contra quem praescribit (a. 2248); si ultra annum re sua privetur, sive per proprium dominum, sive per alium (a. 2243) : quia si tanto tempore actionem possessoriam non intendat, a lege censetur amisisse possessionem. **2°) Civiliter,** per interpellationem judiciariam, etiam coram judice non competente (a. 2246); et per alios modos in (aa. 2244 et 2245) enumeratos ; sed observandum est, quod si interpellatio non sit juridica, vel si petitionem suam auctor deserat, aut perimi patiatur, vel si petitio rejiciatur, interruptio pro nihilo habetur, ac currit praescriptio perinde ac si interrupta non fuisset (a. 2247).

R. Ad 2^{um}) *Suspenditur* seu *dormit*, dum legitime inchoata sic cessat, ut finita dormitionis causa, reviviscat et anni priores computentur cum posterioribus, omissis illis, quibus dormivit.

Explanatur. Ex JURE GALLICO **suspenditur** PRAESCRIPTIO, dum agitur : **1°**) adversus minores et interdictos, salva exceptione in

(a. 2278) consignata, et exceptis aliis casibus lege definitis (a. 2252); **2°**, inter conjuges (a. 2253); **3°**) adversus uxorem constante matrimonio, quoad alienationem fundi in dotem constituti sub regimine dotali (a. 1561), atque quoad actiones quas uxor exercere nequit, nisi postquam electionem fecerit de acceptanda vel repudianda communitate, vel quoties maritus, qui vendit propria bona uxoris suae absque ejus consensu, quidquid incommodi est praestare tenetur, et in cunctis aliis casibus in quibus uxoris actio in maritum redundaret (aa. 2255 et 2256); **4°**) contra haeredem beneficiarium quoad propria credita, quae habet adversus haereditatem (a. 2258'; **5°**) adversus creditum conditionale, donec conditio evenerit, et adversus actionem gallice dictam *(en garantie)*, donec res evicta fuerit, atque quoad creditum in diem certum, donec dies venerit (a. 2257).

CAP. VII. De modis amittendi dominium.

Q. 77. *Quot* sint *modi*, quibus amittitur DOMINIUM?

R. Praeter casum *mortis*, quae omnia jura solvit, *triplex* est modus DOMINIUM amittendi : *voluntas domini; sententia judicis; ipsa lex.*

Explanatur. 1°) AMITTITUR **voluntate domini** : vel **A**) per *contractus* translativos proprietatis; vel **B**) per *abdicationem*, quae *duplex* est : *prior* fit absque ullo abdicantis commodo; *posterior* fit eo fine, ut dominus se liberet ab oneribus quae rei annexa sunt, i. e. ab obligationibus realibus soli rei non vero personae annexis. Sic in materia servitutum, potest se liberare derelinquendo fundum, cui annexa est (a. 699); sic quoque quoad muros dimidios *(murs mitoyens)* potest se eximere a reparationibus faciendis, juri suo renuntiando. **2°**) AMITTITUR **sententia judicis** pronuntiantis : vel **A**) *expropriationem* in favorem creditoris; vel **B**) *proscriptionem (confiscation)* in poenam delicti. Quae confiscatio iterum est *duplex* : una *specialis*, respiciens quaedam bona vel ex delicto provenientia, vel quorum usus est prohibitus; altera *generalis*, quae respicit omnia alicujus bona fisco addicenda; sed haec tum in Gallia, tum in Belgio est abolita. **3°**) AMITTITUR **ipsa lege** : vel **A**) in casu mortis civilis, quae in Gallia et Belgio est abolita; vel **B**) quando donationes ipso jure revocantur propter ortum filii *(par survenance*

d'enfants) (a. 960); vel **C**) quando fit expropriatio causa boni publici *(expropriation forcée pour cause d'utilité publique)*; vel **D**) in casu praescriptionis.

PARS SECUNDA.

DE INJURIA SEU INJUSTITIA.

CAP. I. De injuria in genere.

Q. 78. *Quid* 1°) sit INJURIA, et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1^{um}) INJURIA, prout JUSTITIAE opponitur, generatim loquendo, est « *laesio juris alterius inviti.* » Vocatur etiam INJUSTITIA ; sed ista vox tum habitum seu vitium, tum actum virtuti justitiae oppositum significat ; imo *praecipue* sumitur pro habitu : quia loquendo more philosophorum, *injustus* non dicitur nisi qui injustum facit ex habitu, uti post S. THOM. (2. 2. q. 59, a. 2) explicat BILL. ; INJURIA vero proprie designat ipsummet actum injustum.

R. Ad 2^{um}) INJURIA, sicut et JUSTITIA, est : *A)* vel *stricta* vel *non stricta*, prout laeditur jus strictum vel non strictum. In hoc autem tractatu agimus tantum de juris stricti violatione. *B)* INJURIA *stricta* est : *a) formalis* vel *materialis*, prout jus alienum laeditur culpabiliter vel non ; *b) gravis* vel *levis* ; illa autem censetur *gravis*, quae, spectata communi hominum complexione et consideratis circumstantiis, de se apta est apud virum de cetero prudentem causare magnam contristationem, indignationem, aut dissolutionem amicitiae inter laesum et laedentem ; *levis* autem, quae talis non est ; *c) directa* vel *indirecta*, prout intenditur in se, vel ex alio directe volito veluti ex causa secutura praevidetur.

Q. 79. *Quaenam* conditiones requirantur ad INJURIAM strictam *formaliter* sumptam ?

R. Quoniam INJURIA *stricta*, si *formaliter* sumatur, est « *laesio voluntaria juris stricti alterius rationabiliter inviti,* » patet ad eam requiri : 1°) *Ut quis laedat jus alterius strictum*, prout nimirum est objectum JUSTITIAE *commutati-*

vae, sive sit jus in re, sive jus ad rem tantum. 2°) *Ut laesus sit rationabiliter invitus.* 3°) *Ut laedens id faciat sciens volens.*

Resolvitur 1. Defectu **primi requisiti,** nulla mihi INJURIA fit ab eo qui nullum jus meum intervertit, etsi rem mihi damnosam faciat, veluti si puteum aperiat, quo aperto, meus puteus exaruit, sive *in suo fundo* aperuerit, adeoque utendo jure suo; sive *in alieno fundo;* sive etiam *cum animo et affectione laedendi,* ut scilicet, fundum aperiendo, mihi noceat. Similiter INJURIAM non facit recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur; nec judex homicidam ex odio ad mortem damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet; nec miles qui in bello justo quempiam occidit aut spoliat ex prava intentione; nec qui plantat arborem juxta agrum vicinum, intentione nocendi vicino. — Econtra, si jus meum laedit, INJURIA est, etsi damnum absit; et ita per *judicium temerarium, suspicionem, dubitationem,* (de quibus tom. I, pag. 491 seqq.) fit INJURIA proximo, etsi nullum inde damnum exterius inferatur. Pariter INJURIA fit, si Titius, volens nocere inimico suo Cajo, domui ejus ignem applicet, qui mox, superveniente pluvia, nullo damno dato exstinguitur; aut si judex improbus ferat sententiam, quam putat esse injustam, si reipsa justa sit; aut si rapiam a te vestem, quam puto esse tuam, et tamen est mea. **Resol. 2.** Defectu **secundi requisiti** non fit INJURIA : **A**) *irrationabiliter* invito, si quis nempe alium laesit, ut se juste tueretur, puta, si quis furetur in extrema necessitate; similiter **B**) juxta regulam 27 in 6 : « *Scienti et consentienti non fit injuria.* » Advertendum tamen, quod ad hoc, ut quis sciens volens non patiatur INJURIAM, requirantur **duo** : nempe voluntas *plena* cedendi juri suo, et jus *plenum* seu libera facultas cedendi juri suo. Quare, defectu *plenae voluntatis,* si quis ex metu, vel necessitate consentiat, puta, si ex metu mortis latroni det bursam, vel ex impossibilitate aliter obtinendi mutuum solvat usuras, adhuc patitur INJURIAM : quia non habet voluntatem plenam, sed mixtam cum involuntario, uti nec ille qui ex dolo aut supra justum emit, aut infra justum vendit. Defectu *pleni juris,* occidens aliquem ita petentem; committens adulterium cum ligata, marito consentiente; aut percutiens clericum consentientem; adhuc facit INJURIAM : vel ipsi con-

sentienti, ut volunt multi, eo quod in illis nemo possit cedere juri suo; vel certe Deo tanquam unico Domino vitae, statui matrimoniali et clericali : esto enim potuerit forte ille volens cedere juri, quantum est *ex parte sua*, non tamen, quantum est ex *parte Dei*, vel *istorum statuum*. Quidquid dicatur, maritus nequit consensu suo impedire, quin violatio uxoris suae non sit adulterium stricte dictum, ut constat ex propositione ab INNOC. XI damnata sub. n. 50 : « *Copula cum conjugata*, CONSENTIENTE MARITO, *non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* » (Cfr. tom. I, pag. 241). **Resol. 3.** Defectu **tertii requisiti**, non tenetur INJURIAE, etsi alterum laeserit : qui **A**) *ignoravit* se INJURIAM facere, ut puta si rem alienam destruxerit, putans esse suam : vel **B**) *noluit* INJURIAM facere, veluti si quem laesit casu, aut joco, vel corrigendi gratia; vel **C**) *errans* alium pro alio laesit, ut puta si Titium occiderit, putans esse Cajum; vel Titii, putans Caji, domum incenderit : quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum, cum processerit ex inculpabili ignorantia juris ejus. Dicitur : *errans;* nam si tantum ignoret quis ille sit, cui INJURIAM facit, non excusatur, ut si clericum caedat, nuptam ineat, nesciens quis ille vel cujus haec uxor sit : is enim cuicumque clerico, cuicumque marito vult facere INJURIAM. Nec excusatur eo, quia facturus non esset, si sciret, v. g. quod clericus ille filius et mulier uxor sit amicissimi sui : quippe *interpretativa* haec intentio, cum nihil sit, nihil mutat.

Q. 80. *Quale* peccatum sit INJURIA stricta *formalis?*

R. Est peccatum mortale *ex genere suo*, seu ex natura sua, i. e. quod manendo intra suam lineam et speciem potest esse mortale absque eo quod accedat malitia alterius speciei. Ratio est : quia graviter adversatur legi divinae et rectae rationi. Qui enim violat jus strictum alterius hominis, necessario laedit ejus independentiam naturalem; ex quo sequitur ordinis socialis perturbatio. Potest esse peccatum *leve* : vel ex indeliberatione actus, vel ex parvitate materiae.

Q. 81. An *omnis* INJURIA fundet *obligationem* restitutionis?

R. *Negative.* Si enim non fit actio damnosa, non est obligatio restituendi.

Resolvitur. Hinc, qui interne optat inferre damnum alteri, quamvis in affectu committat injuriam, non tenetur restituere.

Idem dic de judice pronuntiante sententiam justam quam putat esse injustam, aut de auferente ab alio propriam suam vestem, quam putabat esse alienam; aut de illo qui temere judicat; hic enim tenetur tantum deponere judicium, suspicionem, etc., quippe sic et non aliter redintegratur fama proximi. — Equidem, ut per transennam dictum sit, qui optat *inferre* damnum (desiderium *efficax*), tenetur in confessione illa damna specifice manifestare : quia voluntas efficax auferendi v. g. famam, specie differt a voluntate occidendi. Secus vero dicendum de illo, qui ex odio malum proximo simpliciter exoptat (desiderium *inefficax*) : quia, licet mala volita et desiderata sint specie diversa in esse *physico* et *materiali*, non differunt tamen in esse *morali* et *formaliter* : nam omnia desiderantur sub eadem ratione formali, quatenus sunt malum proximi; puta, qui desiderat proximo mortem, aegritudinem, infamiam, non illa desiderat, prout sunt talia mala reduplicative, sed prout sunt malum proximi, sub qua ratione omnia conveniunt. Unde sufficit in confessione dicere malum grave proximo ex odio desideravi, absque eo quod sis sollicitus explicare, quale illud sit malum desideratum. Cfr. tom. I, pag. 210 seq.

CAP. II. De injuria in specie.

ART. I. De injuria circa bona animi.

Q. 82. *Quot* sint INJURIARUM *species?*

R. *Tot* sunt INJURIARUM species, *quot* species jurium seu bonorum; ac proinde dicendum esset de INJURIIS circa bona *animi*, circa bona *corporis*, circa bona *famae* et *honoris*, circa bona *fortunae*. De INJURIIS autem in bonis *corporis*, *honoris* et *famae* jam actum est in *quinto* et *octavo* Decalogi praecepto. Unde disserendum superest : 1°) de INJURIIS circa bona *animi*; 2°) de INJURIIS circa bona *fortunae*.

Q. 83. *Quotuplicia* sint BONA *animi?*

R. Alia sunt *naturalia*, ut ingenium, libertas, scientiae naturales, etc.; alia sunt *supernaturalia*, ut status gratiae, innocentia vitae, jus ad sacramenta, status clericalis aut religiosus.

Q. 84. An INJUSTITIAM committat qui alteri damnum infert in BONIS *animi*, tum *naturalibus*, tum *supernaturalibus?*

R. SUB DISTINCTIONE : *affirmative*, si id fecerit mediis injustis, v. g. vi, metu injusto, fraude, dolo, vel omissione diligentiae, quam *ex officio* impendere tenebatur ; *negative* vero, si mediis injustis non fuerit usus.

Resolvitur 1. INJURIAM **infert** : **A**) qui philtro hominem dementat ; **B**) qui hominem liberum injuste vinctum tenet ; **C**) qui vi vel fraude aliquem inducit ad peccatum, v. g. fornicationem, apostasiam, haeresim, vel retrahit a virtutibus, v. g. ab ingressu religionis vel professione ; **D**) qui perniciosos instillat errores, v. g. quoad fidem vel mores, *scienter* quidem, vel etiam *ex ignorantia culpabili*, si *ex officio* teneatur veritatem docere, puta ut Doctor, Confessarius, Praedicator. **Resol. 2.** Econtra INJURIAM **non infert** : **A**) Qui alium sollicitat ad peccatum consilio tantum vel precibus, quippe *scienti et consentienti non fit injuria ;* sed peccat solum contra charitatem ratione *scandali* (tom. I. p. 525 seqq.). Excipe, nisi pater sollicitet filium, dominus servum, praelatus subditum ; quia *ex officio* tenentur a malo retrahere, multo magis non inducere. **B**) Consilio tantum vel precibus novitium extrahens a professione, vel professum a religione. **C**) Qui alterum in errorem induxit falsumque docuit in materia mere speculativa et indifferenti, seu non pertinente ad fidem nec ad bonos mores, nec necessaria aut utili ad aliquā lucra comparanda, regulariter non peccat contra justitiam cum obligatione restituendi : nam licet quilibet error positivus sit aliquod malum privans intellectum cognitione quae ipsum ornat et perficit, est tamen parvi momenti, ut si quis rustico persuadeat sidera esse paria ; nisi forte sit magister, qui ex officio teneatur verum docere ; nam tunc si voluntarie plures errores docet, gravem injuriam infert discipulis.

ART. II. De injuria circa bona fortunae, ubi speciatim de furto.

Q. 85. *Quibus modis* INJURIA proximo inferri possit in BONIS *fortunae ?*

R. Omnis INJURIA seu laesio proximi in BONIS *fortunae* aut 1°) fit *lucrose*, i. e. acquirendo, auferendo vel usurpando rem alienam, invito rationabiliter domino ; aut 2°) fit *non lucrose*, i. e. nihil sibi acquirendo, auferendo vel usurpando, sed solum destruendo vel deteriorando rem proximi.

Explanatur. Si fiat **lucrose**, potest fieri : vel *A)* occulte et domino plerumque ignorante, et dicitur *furtum*; vel *B)* aperte per vim praesenti, scienti ac nolenti domino, et tunc dicitur *rapina*; vel *C)* medio modo, i. e. non omnino ignaro vel non omnino invito domino, et dicitur *contractus damnosus*, ut si quis alterum in contrahendo decipit circa rei substantiam, qualitatem, valorem vel pretium, aut quocumque metu injusto cogit ad contractum quocumque modo injustum et ei damnosum. Tunc enim injuria fit non omnino ignaro domino, cum videat ipsum factum, etsi non videat injuriam illatam; nec omnino eo invito, quia consentit *simpliciter*, sed cum admixto involuntario *secundum quid*. Si vero fiat **non lucrose**, dicitur *injusta damnificatio*, quae est occulta vel violenta destructio aut deterioratio rei alienae invito rationabiliter domino, ut si quis domum alienam incenderet.

Q. 86. *Quid* sit FURTUM : 1°) in *lato* sensu; 2°) in *stricto* sensu ?

R. Ad 1um) *Late* sumptum, prout generatim prohibetur *septimo* DECALOGI praecepto : « *Non furtum facies* » (tom. I, pag. 469 seqq.), complectitur omnem INJURIAM proximo illatam in BONIS *fortunae*, et in *quatuor* species distribuitur, juxta modo dicta, quarum prima est *furtum proprie dictum*; altera *rapina*; tertia *contractus damnosus*; et quarta *damnificatio injusta*.

R. Ad 2um) *Proprie* et *theologice* dictum, ex S. THOMA (2.2.q.66,a.3), est « *occulta acceptio rei alienae.* » Additur plerumque : « *invito rationabiliter domino* »; sed hoc fit majoris explicationis causa, siquidem sub voce *occulta* comprehendatur : « ideo enim, ait BILL., fur *occulte* accipit, quia est res aliena et is ad quem pertinet non vult eam accipi. » FURTUM autem, ut notat S. THOM. (ibid) ex S. ISID., dicitur a *furvo*, i. e. atro seu fusco, quia plerumque fit in tenebris.

Explanatur. Dicitur : 1°) **occulta**, i. e. quae fit sine vi et plerumque domino nesciente. Dico *plerumque* : quia, si domino praesente et vidente auferas ejus pecuniam in mensa positam et illico aufugias, adhuc est FURTUM, cum fit sine vi. Hinc FURTUM differt a *rapina*, quae fit cum vi, sciente, vidente, et, quantum in

se est, reluctante domino. Dicitur : 2°) **acceptio**, i. e. sive *ablatio*, sive *detentio*, sive utraque *simul* ; et sic differt a mera *damnificatione*, ut si quis domum alienam incenderet. Erit simpliciter *ablatio*, si fur in flagranti deprehensus re FURTO ablata statim spolietur ; erit simpliciter *detentio*, si v. g. rem alienam casu in domo sua relictam injuste retineat ; erit utraque *simul*, si rem alienam et auferat et simul retineat. Dicitur : 3°) **rei alienae**, i. e. jure DOMINII sive *perfecti* sive *imperfecti* ad alium pertinentis ; et hinc FURTUM committitur etiam contra depositarium, commodatarium, conductorem, etc., si ab eis auferas rem depositam, commodatam, conductam, etc. Dicitur : 4°) **invito**, i. e. eo, ad quem res quomodocumque pertinet, contradicente, saltem habitualiter seu animi dispositione. Dicitur : 5°) **rationabiliter** ; nam si non possit esse rationabiliter invitus, non est FURTUM ; ut si quis accipiat rem alienam tanquam sibi debitam titulo justae compensationis ; aut si auferas gladium ab ebrio vel a mente capto, aut librum perniciosum a juvene, ne pervertatur. Nec fures erant Israelitae bona AEgyptiorum auferentes, quia id fecerunt ex mandato Dei, cui nemo rationabiliter resistere potest ; nec FURTUM committit uxor marito decoctori surripiens pecunias, ne in lusus vel compotationes impendat : sic enim mariti negotium utiliter gerit, qui proinde nequit esse rationabiliter invitus.

Q. 87. *Quid* 1°) sit RAPINA et 2°) an *specie* differat a FURTO ?

R. Ad 1^{um}) RAPINA est *violenta acceptio rei alienae, invito rationabiliter domino*. Dicitur : *violenta* ; i. e. illata per vim ; quo nomine intelligimus non tantum vim *proprie dictam* (tom. I, pag. 29), i. e. impetum illatum corpori domini, v. g. manibus seu armis ; sed etiam *improprie dictam*, seu metum gravem injuste incussum, ut si latro minetur mortem, nisi des pecuniam.

R. Ad 2^{um}) RAPINA *specie* differt a FURTO, quia superaddit modum tendendi in rem alienam notabiliter diversum, scilicet cum vilipendio et injuria personae praesentis ac renitentis. RAPINA itaque, praeter *injustitiam* FURTI, continet aliam speciem INJUSTITIAE contra honorem proximi, speciem scilicet *contumeliae* (tom. I, p. 488). Hinc fieri potest quod, quidpiam per violentiam auferendo, pecces mortaliter in specie RAPINAE,

et venialiter tantum in specie FURTI, ut si a viro illustri praesenti et graviter renitenti tollas rem exiguam.

Q. 88. *Quotupliciter* distinguatur tum FURTUM, tum RAPINA ?

R. FURTUM (idem dic de RAPINA) aliud est *simplex*, quod modo definitum fuit ; aliud *qualificatum*, cui adjungitur circumstantia vel 1°) speciem *mutans*, et dicitur *sacrilegium*, quod fit, cum quis aufert sacrum, seu de sacro, seu de non sacro ; vel non sacrum de sacro, idque, juxta probabiliorem sententiam, sive in loco sacro repositum fuerit *custodiae causa*, sive *non* (tom. I, p. 369 seq.) ; vel 2°) malitiam tantum *aggravans*, ratione cujus FURTUM magis enorme evadit vel bono publico specialiter adversatur. Et hinc in jure antiquo distinguuntur : *A) Peculatus*, dum res seu bona publica ad fiscum vel Principem pertinentia auferuntur, quo spectat falsificatio monetae. *B)Abigeatus*, i. e. furtum animantium ; ad quod reducitur furtum instrumentorum necessariorum ad culturam. *C) Plagium* seu *Plagiatus*, i. e. furtum hominum sub aliorum potestate constitutorum, v. g. mancipiorum, filiorumfamilias, etc.

Q. 89. *Quale* peccatum sit FURTUM ?

R. Est peccatum mortale ex genere suo, utpote quod directe repugnat tum charitati, tum justitiae, quae utraque virtus ex genere suo obligat sub mortali. Hinc Apost. (1 COR. VI, 10) : « *Neque fures,... neque rapaces regnum Dei possidebunt.* » Adde ex S. THOM. (2.2. q.66, a.6) FURTUM opponi bono publico : nam « *Si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas.* »

Objicitur. Dicitur (PROV. VI, 30) : « *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit.* » **Resp.** Cum S. THOM. (2. 2. q. 66, a. 6) : « Dicendum quod furtum dicitur *non esse grandis culpa*, duplici ratione : primo quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quae diminuit, vel totaliter tollit culpam. Unde subditur : *Furatur enim ut esurientem impleat animam.* Alio modo dicitur furtum *non esse grandis culpa*, per comparationem ad reatum adulterii, quod punitur morte. Unde subditur de fure quod *deprehensus reddet septuplum ; qui autem adulter est, perdet animam.* »

Q. 90. Ex *quotuplici* capite FURTUM evadat peccatum *veniale ?*

R. Ex *triplici* capite.

Explanatur. 1°) *Ex parte* **ipsius furantis** : *A)* ob imperfectionem actus, ut si fiat absque sufficiente deliberatione, ex aliqua praecipitantia, vel metu minuente voluntarium ; *B)* ob ignorantiam juris vel facti, etsi non omnino inculpabilem ob defectum sufficientis inquisitionis, ut si ignores rem esse alienam, vel existimes licere tibi auferre rem alienam ob necessitatem non sufficientem, aut falso putes dominum non fore invitum. 2°) *Ex parte* **ipsius domini,** cui res sua aufertur, si sciatur vel probabiliter putetur parum esse invitus, sibi talem rem auferri, utpote quam, etsi in re notabilem, tamen parum curat. 3°) *Ex* **parvitate materiae,** cum utique versetur circa materiam quae est divisibilis et suscipiens majus et minus.

Q. 91. Quaenam *materia* censeatur *gravis* in FURTO seu sufficiens ad peccatum mortale ?

R. Ad hoc determinandum, ratio habenda est QUANTITATIS rei ablatae, quae quidem QUANTITAS considerari debet sub *triplici* respectu : tum *absolute* seu *in se* ; tum *relative ad variam personae fortunam aut necessitatem* ; tum *in ordine ad dispositionem personae laesae.*

Explanatur. Considerari debet : **1°) Absolute** seu **in se** : i. e. admittenda est quantitas *in se et absolute gravis*, quae scilicet ad peccatum mortale sufficiat respectu *quorumcumque*, etiam *ditissimorum*, nec proinde unquam levis culpa censeri possit : alioquin, cum homines sint divitiarum cupidissimi, frequentissima fierent furta erga divites, et sic brevi tempore maximum detrimentum afferretur etiam ditissimis et principibus. **2°) Relative** *ad variam personae laesae fortunam aut necessitatem :* ita ut gravior materia requiratur ad mortale erga divitem quam erga pauperem : tum quia minor censetur reluctantia voluntatis in divite quam in paupere ; tum quia minus damnum patitur dives, quam pauper. Jam vero cum S. THOM. (2. 2. q. 73, a. 3) : « *Dicendum quod peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta quae proximo inferuntur ; quia ex hoc habent rationem culpae.* » Unde, praeter materiam absolute gravem, admitti debet materia *relative gravis*. **3°)** *In ordine* **ad dispositionem personae laesae** : prout inter homines communiter et

rationabiliter habetur, et ita v. g. vir est minus invitus, vel saltem minus rationabiliter invitus, quoad furta *uxoris* et *filiorum*, quam *extraneorum*.

Resolvitur. Gravitas furti non est mensuranda praecise ex quantitate rei ablatae, sicut docent DD. varii, iique gravissimi, quos inter Bill., Mald., Dicast.; sed simul ex circumstantiis personae cui aufertur : an sit dives, pauper, maritus, etc. Ratio : quia furtum essentialiter consistit non quidem praecise in ablatione rei alienae spectata velut in abstracto, sed in concreto, quatenus conjungitur simul cum levi vel gravi eoque rationabili dissensu domini. Ergo ejus natura adeoque et gravitas debet desumi partim per ordinem ad rem quae aufertur; partim ad rationabilem voluntatem ejus cui aufertur. *Subsumo* : atqui certum est pauperem pati majus damnum et esse magis rationabiliter invitum respectu v. g. solidi, quam divitem; ergo.

Objicitur. 1°) Ut plurimum nescimus quinam vere sint divites vel pauperes : ergo nunquam poterit statui regula, quantum citra mortale liceat furari huic vel illi. **Resp. 1.** *Transeat* totum; hinc habes causam nulli furandi, ut a periculo te liberes. **Resp. 2.** *Neg. cons. :* quia quisque potest haberi talis, qualis communiter habetur, nisi aliud constet. **Inst.** Avarus valde dives in furto rei minoris est magis invitus quam alius. Ergo et tunc magis pecco auferendo. **Resp.** *Dist. ant.* Est magis invitus rationabiliter, *neg.;* irrationabiliter, *conc.* **Objicitur. 2°**) Jus divitis ad suum v. g. solidum, est aeque magnum, quam jus pauperis ad suum; ergo laedo aeque magnum jus; ergo aequaliter pecco contra justitiam, quamvis gravius contra charitatem respectu pauperis. **Resp.** *Dist. ant.* Jus divitis est aeque magnum materialiter, *conc.;* formaliter, *neg.* Jus formaliter spectatur secundum utilitatem et necessitatem habentis, quae est major in paupere. **Inst. 1.** Solidus pauperis non plus valet quam solidus divitis : ergo est aequale furtum. **Resp.** *Dist. ant.* Non plus valet materialiter, *conc.*; formaliter, *neg.* Plus enim valet pauperi, cui unus solidus est necessarius, adeoque licet furtum materialiter sit aequale, non tamen formaliter. **Inst. 2.** Quod unus sit pauper, alter dives est conditio furto extrinseca : ergo se habet per accidens. **Resp.** *Dist. ant.* Est extrin-

seca furto materialiter spectato, *conc.*; formaliter in ratione injuriae ac damni, *neg.*

Q. 92. *Qualis* censenda sit in FURTO materia *absolute gravis?*

R. Materia *absolute gravis*, quae scilicet talis est respectu omnium, etiam ditissimorum, nequit *pro omni tempore* et *loco* assignari; sive eam determinare velis in rebus ipsis, sive in sola pecunia : quoniam res, v. g. triticum, in hoc loco vel tempore propter abundantiam parvi aestimatur, in alio vero loco seu tempore, propter penuriam et necessitatem pluris fit; similiter valor pecuniae seu ejus aestimabilitas non est aequalis in omni loco et tempore.

Nota. Considerato praesenti pecuniae valore, « qui, ut tradit cl. MARC (I, 906) *saltem* duplo minor est quam tempore S. ALPH., » existimamus, hodiedum materiam *absolute gravem* attingere posse summam 20 ad 25 francorum. In eamdem sententiam conspirat cl. MARC, ubi loquens de materia *absolute gravi*, sic scribit : «S. ALPH. (III, 528) assignabat ut gravem, *respectu regum*, summam excedentem duos aureos (10 fr.) vel 20 carolenos. Hodie vero, mutatis circumstantiis, assignandi videntur 20 vel 25 franci. » Conspirat quoque BUCCERONI, inquiens : « Ad materiam furti *absolute gravem* sufficere non videntur duo vel tres aurei, decem nempe vel quindecim circiter libellae; sed *viginti* vel *triginta* libellae;... et *triginta* potius quam *viginti*. » Pariter KENRICK, scribens pro Provinciis foederatis Amer. Sept., ait : « *Quinque nummi argentei seu unus aureus* [25 circiter franci] *sunt utique materia gravis.* » Pro iisdem Provinciis scribit SABETTI (n. 404) : « Apud nos quinque dollaria videntur esse materia *absolute gravis*. Hoc colligitur tum ex sensu multorum theologorum et missionariorum; tum ex proportione quae videtur adesse inter talem summam, nostris usibus impensam, et materiam absolute gravem prout haec hodie statuitur a TT. in diversis Europae partibus. » Nec dissentit in Germania LEHMK. (I, 931) inquiens : « Pro *ditissimis* vero et tanquam summam *absolute gravem* statuerem circiter 15 marc. (20 fr.). » Additque in nota : « In iis autem regionibus, ubi pecuniae valor minor est, ut in Anglia, etiam majorem materiam sumere debes :

ibi sume pro materia absolute gravi libram auream (in America sept. 5 doll.). » Ceterum, loquendo de hujusmodi determinationibus pro materia tam *absolute* quam *relative* gravi, recte notat Sass. : « Debent autem haec sumi non **mathematice**, sed **moraliter**; in moralibus autem, quae parum distant, nihil distare censentur. »

Q. 93. *Qualis* censenda sit in FURTO materia *relative gravis?*

R. Materia *relative gravis*, quae scilicet talis est respectu quorumdam, cum tamen respectu aliorum levis haberi queat, *generatim loquendo*, illa dicitur, quae sufficiat ad honestam sustentationem, i. e. ad victum, vestitum et habitationem unius diei illius personae cui ablata est. Qui enim tollit homini necessaria ad sustentationem pro die integra, censetur illi dare causam gravis contristationis et dissolvendae amicitiae : reddit enim illum pro die illa valde miserum. Quaenam vero *in specie* ea materia sit, iterum nequit pro omni tempore et loco assignari.

Nota. Existimaverim, attentis temporum adjunctis, quod gravem materiam, pro his partibus, et dummodo commercium non patiatur angustiam, constituant : **A**) circiter 13 ad 15 franci relative ad divites ordinarios; **B**) 9 ad 10 franci relative ad homines mediocriter divites; et etiam minus, si ex propriis misere vivant; **C**) salarium laboris unius diei pro operariis, quod cum multum variari possit pro locorum diversitate, omnino nequit uniformiter determinari. Unde ad confessarium spectat prae oculis habere locorum circumstantias, cum diurnus v. g. operarii labor alicubi tres aut quatuor francos aut etiam plus afferet, dum alibi idem labor vix duos aut unum francum feret; **D**) circiter valor unius franci relative ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu necessitatis. Haec scribit Bucceroni (I, 450) : « Ad gravem materiam relative spectatam, attentis praecipuis Europae locis et temporum nostrorum adjunctis, requiri videntur : 1°) circiter valor unius libellae relative ad pauperes, et aliquando minus vel plus pro majori vel minori gradu necessitatis; 2°) circiter duae vel tres libellae relative ad operarios qui labore diuturno victum sibi comparant; 3°) circiter quinque vel sex libellae relative ad homines liberalem exercentes professionem et honeste ex ea viventes; 4°) circiter

novem vel undecim libellae relative ad divites ordinarios; decem vero vel quindecim relative ad divites opulentiores non autem ditissimos. » Pro America sept. ita scribit Sabetti (l. c.) : « Materia autem *relative gravis* ita videtur statuenda ; quarta pars dollarii vel triginta oboli pro indigentibus qui mendicant; unum dollarium pro ordinariis operariis, duo pro mechanicis et tria pro ordinariis divitibus. » Vestigia S. Alph. (III, 528) secutus, pro norma generali in praecipuis Europae locis, sic statui posse censet cl. Marc : « 1°) Respectu *mendicantium*, materia gravis foret valor unius franci seu 20 assium ; et minus, si quis pauper quotidiana sua mendicatione minus lucretur. 2°) Respectu *fossorum* et similiter operantium, circiter 2 franci, respectu autem *artificum* et *mercatorum* tenuis fortunae, duo franci cum dimidio. 3°) Respectu *mediocriter divitum*, seu eorum qui ex propriis reditibus vivunt, 4 franci ; et minus respectu eorum qui ex propriis misere vivunt ; respectu vero *absolute divitum*, v. g. respectu mercatorum sat opulentorum 5 vel 6 franci. 4°) Respectu *magnatum* vel communitatis opulentae, 10 franci aut etiam 15, si communitas sit valde opulenta. » Tum addit : « *In dubio*, v. g. si ignoras cuinam damnum factum sit grave, reputatur furtum 5 vel 6 francorum : quia damnum praesumitur diviti illatum. » Denique sic judicat Lehmk. (l. c. « Potest autem ita fere statui : pro *hominibus fortunae mediocriter bonae* (quae eadem statui potest, si conditio domini laesi ignoratur) 5-6 marc. ; pro *ordinariis operariis* 3 mc. ; pro *vere pauperibus* etiam 1 mc. ; pro *divitibus* hominibus 8-9 mc. » Et addit in nota : « Nec repugno, si quis *universim* paulo latius limites extendere velit. »

Q. 94. Quid ex dictis de materia *absolute* et *relative* gravi pro *praxi confessariorum* veniat notandum ?

R. *Duo* sunt notanda.

Explanatur. *Notandum*. 1°) : Si quis confiteatur se furto abstulisse 20 ad 25 francos, confessarius non tenetur inquirere in conditiones personae laesae, an dives sit, an vero pauper ; quia quilibet, cujuscumque sit conditionis, merito censetur graviter invitus, ut tantum pecuniae sibi simul ac semel auferatur. Nec obstat, quod forsan persona, quae laesa est, abundet opibus ac proinde ex

tali furto vix aliquod damnum persentiat : nam ad hoc, quod quis merito censeatur graviter invitus, non requiritur quod fuerit graviter laesus *formaliter*, sed satis est, quod fuerit laesus graviter quasi *radicaliter*, i. e. in ea re, quae nisi graviter prohibeatur, maximum inde sequeretur inconveniens contra bonum publicum et contra indemnitatem etiam singulorum civium, cum passim similia furta multiplicarentur. *Notandum* **2°**) : Si quis se accuset v. g. de furto unius franci, debet confessarius inquirere de adjunctis personae laesae : quamvis enim valor unius franci plerumque levem materiam constituat, nihilominus respectu pauperis ad furtum grave sufficit.

Q. 95. Quid dicendum de FURTIS *domesticorum*, scilicet : *uxorum*, *filiorumfamilias*, *famulantium*, *religiosorum*?

R. 1°) Certum est, etiam hos surripiendo aliqua invitis marito, patre, domino, praelato, vera FURTA committere, quandoquidem vere usurpant rem alienam invito domino. Et si agatur de *religiosis*, praeter peccatum FURTI contra justitiam, etiam peccatur contra votum paupertatis. Ut tamen illa FURTA sint mortalia, *regulariter* requiritur major quantitas, quam in FURTIS *externorum* : quia dominus plerumque non est ita invitus, quod res sua surripiatur a *domesticis*, quam si surriperetur ab *extraneis* ; nec censetur jus suum ita adversus *domesticos* quam adversus *extraneos* velle urgere, vel si graviter invitus videatur, non est tam invitus quoad substantiam seu ratione rei ablatae, quam ratione modi accipiendi, videlicet clanculo, non petita licentia. R. 2°) Quaenam vero in ejusmodi FURTIS quantitas necessaria et sufficiens sit ad peccatum mortale, non potest uniformiter resolvi, sed diligenter pensandae sunt circumstantiae.

Explanatur. Etenim **1**) minus praesumitur invitus esse dominus dives vel liberalis, quam pauper vel avarus ; minus etiam quoad FURTUM esculentorum, quam quoad alia ; minus si quid modicum et raro, quam si quid magnum et frequenter ; minus si domestici furentur ad proprios suos usus, quam si ad dandum aut vendendum aliis ; minus si domesticus sit valde utilis, industrius, quam si negligens, ignavus. **2**) Praeterea minus invitus praesumitur quoad uxorem, quam quoad liberos, praesertim si haec frugi sit

et prudens materfamilias; minus quoad liberos, quam quoad famulos, praesertim si liberi jam adoleverint et in usus non turpes impendant; minus quoad famulos quam quoad extraneos, quippe perdifficile sit ita fideliter res domini ab aliis administrari, quin aliquid adhaereat manibus contrectantium; immo quoad esculenta, quae caute servari non solent, famuli nunquam peccant graviter, nisi forte accipiant in quantitate extraordinaria, aut haec sint pretii extraordinarii, dummodo tamen ad comedendum accipiant, non ut dent aliis aut vendant. Juxta DD. nonnullos, domini non censentur minus inviti, quod eorum pecunia a famulis quam quod ab aliquo extraneo auferatur, propter abusum scilicet fidei aut fidelitatis. Quod tamen non videtur extendendum ad levissimas alicujus oboli aut semioboli substractiones, ancillis famulisve sat frequentes, dum quotidianum victum pro heris suis emere solent. 3) Plures DD. censent, in FURTIS **uxorum** et **filiorumfamilias**, quando maritus vel pater est invitus etiam quoad substantiam rei ablatae, ad peccatum mortale ex parte materiae requiri *duplum* illius quod requiritur ad FURTUM mortale ab extraneo patratum. Sed multi alii DD. materiae quantitatem ad peccatum mortale necessariam et sufficientem *multo latius* extendunt, praesertim in FURTIS UXORUM, quum veniant in aliquam partem administrationis rei familiaris. Quod autem dicitur de filiisfamilias, idem probabiliter dicendum est cum SPOR., SASS., aliis, de **religiosis** : quia religiosi in favorabilibus computantur in jure inter filios, nec credendi sunt Praelati magis esse quoad suos inviti quoad substantiam. Contradicunt alii cum BILL. : tum quia religiosi ratione status profitentur majorem perfectionem et voto paupertatis obstricti sunt; tum quia non sunt haeredes in spe bonorum Monasterii, sicut filii bonorum paternorum; tum quia, si tanta in eis requiratur quantitas, quanta requiritur in filiisfamilias, cum plures soleant esse in Monasteriis, gravi bonorum communium dissipationi janua aperiretur. — Quia tamen religiosi sunt pars communitatis, penes quam est dominium bonorum communium, existimaverim cum TABERNA majorem quantitatem requiri respectu illorum ad constituendum peccatum mortale, quam respectu extranei surripientis bona ejusdem communitatis, minorem tamen quam in filiisfamilias, ob rationes a BILL. allatas.

Q. 96. *Quandonam* peccetur *mortaliter* per FURTA *minuta* seu in materia *levi?*

R. Id *sextuplici* potissimum de causa contingere potest : 1°) ratione *conscientiae erroneae;* 2°) ratione *damni extrinseci;* 3°) ratione *offensae contra charitatem;* 4°) ratione *intentionis;* 5°) ratione *complementi summae notabilis;* 6°) ratione *conspirationis.*

Explanatur. 1°) Ratione **conscientiae erroneae,** ut si quis rem levem furatur, putans esse pretiosam. **2°)** Ratione **damni extrinseci,** si nempe ablatione rei levis grave alicui damnum inferatur, v. g. si sartor post ablationem acus diebus aliquot ab opere cessare cogatur. Quo casu graviter peccatur contra *justitiam*, cum onere compensandi lucrum cessans et damnum emergens. **3°)** Ratione **offensae contra charitatem**, v. g. auferendo rem alienam de se modicam, qua tamen novit dominum valde affici, ut si alicui surripias numisma exigui quidem valoris, sed ipsi charissimum propter memoriam parentis aut amici defuncti. Similiter, si ex modico FURTO praevideas gravissimas rixas, suspiciones, blasphemias (tom. I, pag. 197). **4°)** Ratione **intentionis,** ut si quis sive uni sive pluribus modicum quid furetur, cum animo perveniendi successive ad magnam quantitatem; vel cum animo notabile damnum inferendi, puta si quis exeat furatum intentione captandi quidquid possit, sed nonnisi aliquot obolos invenire potuit. In utroque casu fur peccat mortaliter, et quidem in singulis furtis ratione ejusdem intentionis graviter malae : quia per singulas vices eamdem exsequitur. Hinc qui injusto pondere, mensura, ulna, intendunt se locupletare, in singulis etiam minimis peccant graviter. Idem dicendum de caupone, qui solet modicum aquae admiscere vino, et de similibus, v. g. sartoribus, qui sibi retinent aut vendunt panni fragmenta, dominis adhuc utilia, quae supersunt, nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui vel de illis parum curare. Non tamen tot committuntur numero distincta mortalia in ordine ad confessionem, quot sunt furta minuta; sed unum peccatum mortale, quia provenit ex eadem intentione. Aliud foret, si fur retractasset intentionem,

et iterum eam resumpsisset. 5°) Ratione **complementi summae notabilis,** et ita qui, mera occasione, successive plura levia furta committit, sine intentione ad notabilem summam perveniendi, peccat mortaliter in ultimo furto, quo complet summam notabilem, si illud *advertat,* et varia furta *eidem personae* facta sint. Eo enim ipso quo vult complere notabilem summam, vult inferre grave damnum huic personae. Ideoque tenetur sub mortali restituere, non quidem *totum,* sed tantum, ut non amplius maneat materia gravis. Idem affirmant DD. communiter, si agatur de furtis erga *diversos :* quia, licet non singulis grave damnum inferatur, infertur tamen omnibus collective seu ipsi communitati, cujus bonum postulat, ut talia furta graviter prohibeantur : secus desineret omnis industria et fures otio dediti furtis minoribus se quotidie alerent. Confirmatur ex prop. damnata ab Innoc. XI sub n. 38 : « *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumvis sit magna summa totalis.* » In utroque tamen casu requiritur *unio* seu *conjunctio moralis* inter furta hujusmodi minuta, quae quidem deerit, quando inter unum et alterum furtum *notabile* temporis spatium intercessit. Quantum autem temporis intervallum censeatur *magnum et notabile,* ita ut per illud moralis unio inter furta solvatur, et materiae leves non amplius coalescere censeantur, non convenit inter AA. Quae ipsa DD. dissentio satis ostendit normam aliquam certam vix tradi posse. Juxta S. Alph. (III, 530) furta non amplius coalescunt, si spatio *duorum mensium* disjunguntur et agitur de materia quae licet non sit gravis, tamen proxima est materiae gravi. Si vero agitur de furtulis, quorum materia qualibet vice sit valde modica, intervallum unius mensis vel 15 dierum jam erit magnum et excusans a mortali. 6°) Ratione **conspirationis** ad alia furta. Nimirum, si plura furta minuta eidem a diversis personis fiant communi consilio, auxilio vel concursu, ita tamen, ut furta singulorum levia constituant simul sumpta materiam gravem, singuli furantes peccant mortaliter, et ad restitutionem tenentur *in solidum,* i. e. in defectu singulorum, quia non tantum exsequuntur damnum secundum partem, sed etiam cooperantur ad totum. Exemplum habetur in iis, qui ingrediuntur vineam alterius, et communi consilio singuli paucos botros decerpunt, ita ut omnia

simul sumpta constituant quantitatem notabilem in grave detrimentum domini. Si autem singuli seorsim, **absque communi consilio,** suum modicum furati sint, tunc : **A**) certum est, nullum eorum mortaliter peccare, si ignoraverit furtum ab aliis esse perpetratum vel brevi perpetrandum ; idque **B**) probabilius adhuc verum est, etiamsi quisque advertat, quod per aliorum furtula simul cum suo causetur damnum grave domino, quia talis sola advertentia non efficit, ut quis eorum sit causa physica aut moralis damni ab aliis causati ; alioquin, qui alicui diviti auferret modicum, credere deberet, se peccare mortaliter, cum moraliter certus sit, alios eidem fecisse aut facturos multas similes injurias. Sequeretur praeterea, quod, posito ad furtum mortale sufficere 10 mensuras tritici et Julius jam abstulisset *novem*, Fabricius autem conscius absque ulla cooperatione auferret *unam*, hic quidem peccaret mortaliter, ille vero venialiter tantum. Nec obstat, quod peccet graviter, qui aliorum vulneribus addit leve vulnus ex quo laesus moritur, vel qui homini fere ebrio dat parvum poculum quo plene inebriatur. Nam ultimum vulnus aut poculum, etsi per se leve, tamen est causa novi effectus gravis, scilicet mortis vel ebrietatis, qui effectus consistit in indivisibili, nec erat positus a prioribus ; at furtulum ultimum in casu nostro auget tantum damnum illatum, nec est causa novi effectus. Imo **C**) probabilius adhuc idem dicendum est, ratione *justitiae*, etiamsi quis *pravo suo exemplo* alios ad furandum moverit : quia exemplum est quidem occasio, non vero causa positiva influens in damnum. Hinc, si quis vineam ingrediatur furaturus, quod alii videntes ad simile furtum excitantur, peccat quidem contra charitatem ratione *scandali*, non vero peccat graviter contra justitiam, etiamsi exemplum dedisset animo inducendi alios, quia non sufficit animus internus, si actus externus de se non influat (cfr. q. 144).

Q. 97. *Quaenam* requiratur materiae *quantitas* ad mortaliter peccandum per FURTA *minuta ?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si inter ablationes leves **apud eumdem** *parum temporis* intercedat, v. g. tantum unus aut alter dies, eadem quantitas, quae simul ablata sufficit ad mortale, etiam sufficit in

successive ablatis : quia censetur fere una ablatio et dominus aequaliter invitus. 2°) Si ablationes **apud eumdem** per *longiora intervalla* separentur, tunc ad mortale requiritur amplius, v. g. *duplum* illius, quod simul et semel eidem domino ablatum ad mortale sufficeret : quia tunc ablationes illae non censentur adeo injuriosae nec domini adeo inviti. 3°) Si ablationes leves fiant **apud diversos**, major adhuc quantitas requiritur ad mortale, quam si fierent apud unum, quia damnum divisum in plures censetur minus. Requiri autem videtur *duplum* illius, quod requiritur ad materiam *absolute* gravem, nempe juxta dicta superius (pag. 77), 40 ad 50 francos. Ubi enim damnum non uni sed pluribus infertur, quorum tamen nulli damnum relative grave illatum esse supponitur, communis mensura furti gravis non ex *relativa*, sed ex *absoluta* gravitate desumatur oportet, quae nimirum adhibetur, cum furta cedunt in damnum communitatis. 4°) Potest **tantum esse intervallum** inter minuta furta, sive *eidem* sive *diversis* facta, ut moraliter loquendo non censeantur connexa, nec proinde quamtumvis multiplicata componant gravem materiam, juxta dicta (pag. 83).

Q. 98. Utrum GRAVITER peccet, qui post *completam materiam gravem* quid *leve* adhuc furatur ?

R. *Controvertitur*.

Explanatur. 1) Alii dicunt peccari **mortaliter**, quoties cum advertentia ad priora furtula, etiam leve quid auferatur : quia implicite saltem adest voluntas prius damnum grave *augendi* : neque posteriora furtula se habent quasi seorsim a prioribus, sed conflant damnum cum illis grave. Ita LUG., LACROIX. **2**) Alii censent peccari **venialiter** tantum, seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi : quia non additur damnum notabile, sed illud jam causatum est leviterque augetur. Et novum illud furtulum non videtur referendum ad quantitatem gravem jam completam, sed potius ad novam, quam fur tunc inchoat. Ita LESS., S. LIG. (III, 538). **3**) Alii **distinguunt** : peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem jam possessam ; secus vero, si tale propositum habeat. Ita BILL. Secunda sententia est practice tuta, valetque hic juris regula : « *In obscuris minimum est sequendum.*

Q. 99. *Quomodo* restitutio fieri debeat, si notabilis summa per FURTA *minuta* sublata fuerit *diversis?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si domini sint *simpliciter* **incerti,** restitutio sub gravi fieri debet pauperibus aut locis piis. Si sint **incerti** *secundum quid*, facienda est, quantum fieri potest, ipsis dominis laesis, ut latius dicetur (Q. 161). 2°) Si domini sint **certi,** *subdistinguendum* est : vel *A*) unusquisque **graviter** fuit laesus, et tunc unicuique sua portio gravis restituenda est ; vel *B*) **leviter** tantum fuit laesus, et tunc non peccat graviter damnificator, si restituat in casu pauperibus ; immo id faciendo etiam a veniali excusaretur, accedente aliqua rationabili causa, v. g. si urgeat necessitas pauperum, vel infamia timeretur.

Q. 100. *Quomodo* determinanda sit *quantitas notabilis* in FURTO *sacrilego?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si materia FURTI *sacrilegi* sit res, quae **pretio aestimari possit,** v. g. calix, gravitas determinanda est sicut in re profana. 2°) Si vero res sit **adaequate sacra,** v. g. reliquiae, consideranda est dignitas et raritas, et ideo minimam particulam S. CRUCIS aut capillum B. M. V. furari, dicitur mortale ; de corpore vero alicujus Sancti auferre aliquid non deformans reliquias, nec minuens aestimationem, est veniale tantum extra districtum Romanum. Cfr. tom. 4, ADNOT. in Const. « *Apost. Sedis.* »

ART. III. De causis acceptionem rei alienae a furto excusantibus, scilicet 1° de necessitate ; 2° de occulta compensatione.

Q. 101. *Utrum* aliquando FURTUM sit *licitum?*

R. *Negative*, cum sit intrinsece malum. Unde, ut recte notat BILL., dum quaerunt DD. cum S. THOMA (2.2.q.66, a.7), utrum liceat FURARI propter necessitatem, est impropria locutio, posito FURTO pro *acceptione rei alienae*, et sensus quaestionis est : utrum liceat accipere alienum propter necessitatem.

Q. 102. *Quotuplex* sit NECESSITAS *corporalis?*

R. *Triplex.*

Explanatur. Et quidem 1°) **Extrema** seu extremae proxima, quae etiam *gravissima* seu *quasi extrema* vocatur, tunc adesse censetur, quando *ipsa vita* periclitatur, seu *bonum vitae aequale*, quod scilicet natura, per se loquendo, omnibus hominibus vult esse commune, puta libertas, sanitas, bona existimatio; ut si certo vel probabilissime timeatur mors vel malum aequale, v. g. amissio membri principalis, pedis, brachii, oculorum, injustus et perpetuus carcer, durissima captivitas, morbus non quidem lethalis, sed adferens diuturnam vel perpetuam carentiam sanitatis, infamia positiva. 2°) **Gravis** dicitur, quando adfert carentiam magni quidem boni, sed non ex iis quae natura, per se loquendo, voluit esse communia omnibus hominibus; ut si quis sit in periculo morali cadendi a statu nobili et opulento, quem fuerat assecutus; vel amittendi dignitatem, officium, magistratum quem quis possidet, quae bona non sunt communia omnibus hominibus. 3°) **Communis** seu *ordinaria*, quae etiam *mediocris* dicitur, tunc habetur, quando aliquod incommodum in necessariis ad vitam juxta statum patientis adest; seu, aliis verbis, ea intelligitur, in qua quis aegre quidem, sed nihilominus tolerabiliter diem carpit; uti plerique pauperes ostiatim mendicantes.

Q. 103. An *liceat* auferre rem alienam ob NECESSITATEM *extremam* seu *quasi-extremam?*

R. Ex S. Thom. (2.2.q.66,a.7) *per se loquendo* AFFIRMATIVE, in quantum opus est ad sublevandam eam.

Explanatur. In tali enim necessitate omnia sunt communia, saltem quoad usum. Nam unusquisque habet jus a natura, imo obligationem conservandi vitam suam seu bonum ipsi aequale per media ad hoc ordinata. Porro bona externa *primario* a Deo fuerunt ordinata ad conservationem hujusmodi bonorum, *secundario* tantum ad oblectamenta et commoda. Quare licitum est uti equo alieno non tantum ad vitandum periculum mortis ab hostibus inferendae, sed etiam ad evadendum periculum incidendi in servitutem, gravissimum aut perpetuum morbum, aut etiam infamiam positivam. Dixi : **per se loquendo** : nam excipitur, si dominus rei sit ipse in eadem necessitate, vel tua ablatione in eam incideret; quia juxta regulam juris 65 in 6 : « *In pari causa potior est conditio possidentis.* »

Resolvitur. 1°) Dives peccat contra justitiam, si *per vim* impediat illum, qui tali necessitate laborans vult sibi vindicare necessaria : quia jus strictum habet ad illa. **Resol. 2°**) Si volentem in tali necessitate accipere dominus vi expellere conatur, potest injustus juris illius invasor repelli, immo et occidi, servato moderamine inculpatae tutelae, sicut ille qui bona magni momenti actu invadit (tom. I, pag. 455 seq.). **Resol. 3°**) Positus in extrema vel quasi-extrema necessitate non tantum potest, sed et per se loquendo obligatur capere sibi necessaria, nisi subsit motivum honestum, v. g. vitandi scandalum, perturbationem, vel damnum grave alterius. **Resol. 4°**) Ex S. Thoma (l. c.), quod ipse laborans tali necessitate potest, hoc nomine ipsius potest quilibet alius, si ex propriis nequeat sufficienter proximo laboranti subvenire : quia quod quis potest per se, etiam potest per alium. Qui tamen in propriis habet superflua, de illis succurrere debet proximo extreme indigenti, non de alienis, nisi illa apud se haberet deposita. **Resol. 5°**) Si petendo possis rem habere, teneris petere ; attamen si ex erubescentia omittas petere, non peccas, nisi venialiter. Ratio est ex Less. : quia est tantum inordinatio in modo : sive enim concedat dominus, sive non concedat, extreme indigens potest accipere, ideoque dominus non potest esse invitus quoad substantiam, at quoad modum tantum. Si tamen humili petitione possis habere a Petro, peccas mortaliter auferendo a Paulo. Cfr. Spor. ; Sass. ; Bill.

Q. 104. An qui versatur in necessitate *extrema* vel *quasi-extrema*, possit sibi sumere rem valde pretiosam, aut ingentem pecuniae summam, quando haec absolute necessaria est ad vitam servandam, vel bonum ipsi aequale ? seu : An qui versatur in tali necessitate possit sibi providere mediis *exquisitis* et *extraordinariis ?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. 1°) Alii **affirmant** : quia in tali necessitate omnia fiunt communia. **2°**) Alii **negant** : quia, ut jus habeatur aliena sibi vindicandi, non solum res debet esse necessaria ad sublevandam necessitatem, sed insuper oportet, ut necessarium sit huic necessitati subvenire. Atqui nemo tenetur sibi providere mediis *extraordinariis* et *exquisitis*, praesertim si id in propriae

familiae grave damnam cederet. A fortiori igitur idem dicendum esse aiunt, de bonis alterius, qui idcirco esset rationabiliter invitus. 3°) Alii tandem **distinguunt** : **A**) scilicet *affirmant*, si agatur de re, quae naturalem habeat aptitudinem ad sublevandam extremam necessitatem, cujuscumque sit valoris, juxta principium : in extrema necessitate bona redeunt in statum communitatis primaevae; **B**) *negant* vero, si agatur de re, quae non habeat aptitudinem, nisi ex humanis institutionibus, v. g. pecunia.

Q. 105. An *dives* teneatur *ex justitia* subvenire *extreme* indigenti ?

R. 1°) Tenetur *ex justitia* non impedire *per vim* volentem sibi vindicare necessaria in tali necessitate : quia jus strictum ad illa habet. R. 2°) Circa obligationem vero succurrendi extreme indigenti per oblationem *spontaneam* rei necessariae, an oriatur ex JUSTITIA, *duplex* datur sententia.

Explanatur. Prima **affirmat** : quia dominus tenetur dare ex justitia, quod pauper ex justitia potest accipere. Secunda, quae est communior et probabilior, **negat** : quia dives non tenetur ad succurrendum pauperi in tali necessitate, nisi ex charitate et misericordia. Ratio est ex SPOR. : quia extrema seu quasi-extrema necessitas non facit egenum actu dominum rei alienae, sed solum tribuit jus ad eam sibi occupandum; unde, antequam res actu accipiatur, dominus non perdit rei dominium. Cfr. S. LIG. (III, 520, q. 6).

Q. 106. An *transacta* necessitate *extrema* vel *quasi-extrema*, ablata debeant *restitui ?*

R. *Sub distinctione.*

1°) *Affirmative*, si res adhuc **exstet,** v. g. equus, quo indigebas ad effugiendum hostem : quia extrema vel quasi-extrema necessitas non confert jus ad rem alienam, nisi in quantum opus est ad eam sublevandam, et consequenter non censetur in te transtulisse totum dominium illius rei, sed solum usum vel usumfructum illius rei. 2°) Si res ablata est **consumpta**, ut est pecunia, frumentum, vinum, tunc *subdistinguendum* est : vel auferens erat *absolute* pauper, vel tantum pauper *secundum quid*, habens scilicet alibi vel in proxima spe. Si *primum*, nihil debet restituere, quamvis postea

ad pinguiorem fortunam reversus : quia usus est re sua. Si *secundum*, tenetur restituere : quia necessitas tunc non exigit rem accipi gratis, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. 3°) Utrum qui rem ante necessitatem extremam vel quasi-extremam **furto** abstulit et ea superveniente postea consumpsit, teneatur eam restituere, DD. *disputant*. Alii **affirmant** : eo quod, cum res illa alio titulo fuerit domino suo debita, obligatio illa per supervenientem extremam necessitatem solum fuerit sopita, non vero exstincta. Alii vero **negant** : eo quod talis bona fide rem non tam alienam, quam ingruente necessitate suam effectam absumpserit ; eo modo quo, si res furto ablata non remaneret amplius aliena, sed per donationem domini fieret furis, exstingueretur prior obligatio ex furto contracta. Cfr. Bill., Sass.

Q. 107. An *licitum* sit ex *gravi* necessitate : 1°) *accipere* rem alienam ; 2°) *restitutionem* rei alienae *differre?*

R. Ad 1^{um}) In necessitate *gravi*, et a fortiori in *communi*, non potest indigens propria auctoritate aliena sibi usurpare, etiamsi dominus aliquando teneretur subvenire. — At licet *gravis* necessitas ablationem rei alienae non excuset in toto, excusat tamen a tanto ; ita, ut non facile peccet mortaliter, qui a divite, praesertim ante rogato, quantum sibi ad eam necessitatem sublevandam vere necessarium sit, auferat. Cfr. Bill., Sass.

Explanatur. Prob. *A)* ex cap. *Si quis* 5 de furto : « *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, poeniteat hebdomadas tres.* » Quem canonem S. Thomas (2. 2. q. 67, a. 7, ad 1), et cum eo alii, interpretatur de necessitate, quae non sit extrema. Confirmatur *B)* ex propositione damnata ab Innoc. XI sub n. 36 : « *Permissum est furari non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi ;* » ubi vox *furari* significat *surripere :* sic enim intelligebant auctores quorum opinio damnata fuit. Accedit *C)* ratio : quia *gravis* solum necessitas non facit res communes, sicut extrema, cum saepe nimis eveniat ; hinc facilis nimis fieret abusus contra bonum commune.

R. Ad 2^{um}) Licitum tamen est in *gravi* necessitate restitutionem rei alienae jam habitae *differre* propter moralem impotentiam.

Q. 108. *Quid* 1°) sit COMPENSATIO *occulta*; 2°) *quotupliciter* fieri possit, et 3°) *quomodo* differat a COMPENSATIONE *legali?*

R. Ad 1um) Est recuperatio debiti per rei alienae invasionem, facta plerumque *inscio debitore*, et ideo dicitur *occulta*, licet tamen aliquando possit esse manifesta.

R. Ad 2um) *Dupliciter* fieri potest : *A)* surripiendo occulte a debitore aequivalens rei debitae, si solvere aut restituere nolit ; *B)* occulte retinendo ex bonis debitoris tantum, quantum tibi debet.

R. Ad 3um) Differt a COMPENSATIONE *legali*, quae locum habet, quando duae personae, erga se invicem debitrices, rem alteri debitam reciproce servant : v. g. debeo tibi 100 pro panno, tu mihi debes 100 pro vino, retineo 100 quae tibi debeo pro 100 quae mihi debes. De hac agit codex civilis (a. 1289 seqq.).

Q. 109. An *occulta* COMPENSATIO possit esse *licita?*

R. *Affirmative*, si debitis sit stipata conditionibus. Nam 1°) non peccatur *in re*, si quidem non plus aufertur aut retinetur, quam quod debetur ; 2°) non peccatur *in modo*, quia supponitur quod recuperatio rei alio modo fieri nequeat. Ita S. ANTONIN., CAJET , BANN., SYLV., WIGG., BILL., et omnes discipuli D. THOM., inquit SERRA.

Q. 110. *Quaenam* sint *conditiones* requisitae, ut COMPENSATIO *occulta* fiat *licite?*

R. Sunt *septem* sequentes, quarum *quatuor* priores servandae sunt ex stricta *justitia*, ceterae vero ex *charitate* tantum.

Explanatur. 1°) Ut id, quod occulte accipitur, sit debitum **ex justitia,** non vero ex sola charitate, gratitudine, religione, etc. Nam COMPENSATIO fit ad recuperandum id quod alter tibi debet restituere ex delicto vel solvere ex contractu : sed nemo tenetur solvere vel restituere, nisi quod debitum est ex justitia. Ergo. Hinc si quid dedisti Titio titulo amicitiae, consanguinitatis vel paupertatis, non potes ab eo, si postmodum fiat locupletior, aliquid in COMPENSATIONEM tibi sumere. Si quid in hacreditatem vel legatum reliquisti Cajo sub spe, ut subveniat tuis consanguineis, non possunt hi aliquid a Cajo clam sumere, etsi Cajus spem illam defraudaverit, vel ingratus exstitit. Si quid vovisti dare pauperi, non

potest pauper id a te surripere, quia debetur illi tantum ex religione, nec ex tali voto acquisitum est jus strictum tertio. **2°**) Ut debitum justitiae sit **moraliter certum.** Quod quidem omnino est admittendum, ubi agitur de *dubio facti* : quia iniquum esset pro debito incerto certam solutionem vel restitutionem propria auctoritate accipere. In *dubio* autem *juris,* quando DD. disputant, utrum ad compensationem occultam habeatur jus, sententia non est ita clara. Non desunt graves AA. qui COMPENSATIONEM etiam tunc esse licitam affirmant. Et ita TAMBUR. (l. 1. Decal. c. 3, § 2, n. 15) cum MOL., LESS. docet legatarium, cui certo constat de voluntate testatoris, posse legatum occulte surripere haeredi necessario, si renuat dare propter testamentum legali solemnitate destitutum : quia probabile est, quod in eo testamento valeat legatum ; et similiter haeredem ab intestato posse eripere haereditatem ab haerede per tale testamentum instituto, quia probabile est, illud esse nullum. « *Sed merito*, inquit MAZZOT., *haec rejicit* ILLS. *apud* CROIX (l. 3. p. 1. n. 962) *ob rationem jam datam.* » **3°**) Ut COMPENSATIO fiat **ad aequalitatem,** ita ut non plus accipiatur quam debeatur. Quod maxime advertendum est, dum COMPENSATIO deficientibus rebus ejusdem rationis fit in rebus alterius speciei, v. g. accipis vestes pro pecunia tibi debita. **4°**) Ut debitum sit **actu praesens.** Si tamen praevideas debitum brevi, v. g. post mensem futurum, nunquam esse solvendum, nisi jam te compenses, posset anticipari COMPENSATIO, quia est moraliter praesens, et habes jus te reddendi indemnem. **5°**) Ut debitum non possit **alia via** intra vel extra judicium, *commode recuperari*, aut non absque magnis expensis, cum jactura amicitiae multum utilis. Hanc tamen conditionem non observans, peccat quidem venialiter contra juris ordinem seu justitiam legalem, sed non tenetur in conscientia restituere, cum acceperit rem sibi ex justitia et certo debitam. **6°**) Ut caveatur damnum **spirituale** et **temporale** debitoris. *Spirituale* quidem, ne is inscius COMPENSATIONIS factae semper maneat in mala fide et conscientia peccati mortalis ; *temporale* vero, ne is vel ejus haeres ob ignorantiam COMPENSATIONIS idem debitum iterato solvant. Unde ad utrumque praecavendum, aliqua ratione monendus erit debitor, fingendo v. g. condonationem vel similem aliam aequivocationem. Sed neque haec conditio est requisita ex justitia, sed tantum ex

charitate : quare si sine tuo gravi incommodo non possis monere, non peccas non monendo. 7°) Ut etiam caveatur **periculum** aut ipsius compensantis, utpote pro fure habendi ; vel **scandalum** aliorum, qui te putent esse furatum ; vel **damnum** tertii, qui forte tanquam de furto suspectus habeatur aut puniatur ; quia tamen hoc *per accidens* sequitur, hinc si absque notabili damno non possit omitti COMPENSATIO, nullum erit peccatum ; alias contra charitatem tantum.

Resolvitur. Cum *occultae* COMPENSATIONES, ut patet ex dictis, sint periculis plenae, hinc, **ante factum**, confessarius prudenter eas dissuadeat ; **post factum** vero, si nulla ex requisitis conditionibus defuerit, eatenus connivere poterit, ut poenitentem ad restitutionem non adstringat.

Q. 111. Quid dicendum de propositione damnata ab INNOC. XI sub. n. 37 : « *Famuli ac famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam quam majorem judicant salario quod recipiunt ?* »

R. 1°) Merito fuit damnata : tum quia est indefinita et universalis, comprehendens casus, in quibus certo non licet domesticis compensatio, ut si sponte convenerint de justo stipendio juxta parabolam de laborantibus in vinea (MATTH. XX) ; tum quia universaliter constituit judices in propria causa ipsos domesticos, *regulariter* ineptos ad tale judicium, et lucri nimium avidos. Cfr. BILL.

R. 2°) Si tamen erga domesticos occurrerent omnes conditiones requisitae ad licitam compensationem, non foret ipsis magis prohibita quam aliis, in sequentibus casibus : *A)* si lapso tempore salarium ex contractu debitum negetur ; *B)* si metu, fraude, coacti sint ad laborandum pro iniquo stipendio ; *C)* si necessitate propria compulsi, in parvum pretium infra infimum consenserint ; quo casu poterunt sibi compensare usque ad pretium infimum, *nisi*, ait S. LIG. (III, 522), *dominus alios famulos pro eodem parvo pretio jam juste* [i. e. intra justi pretii saltem infimi limites] *invenisset, vel nisi famulus de se oblatus fuisset et dominus ex pietate sive indigentia ipso uteretur ;* » *D)* si inviti operibus indebitis graventur ; *E)* si operas augeant, non quidem sponte, sed ex voluntate domini. Cfr. SASS. ; GURY.

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE.

SECTIO PRIMA.

DE RESTITUTIONE IN COMMUNI.

CAP. I. De natura restitutionis ejusque necessitate.

Q. 112. *Quid* 1°) sit RESTITUTIO et 2°) *quomodo* differat : *A)* a *satisfactione ; B)* a *solutione ?*

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (2.2.q.62,a.1) est actus JUSTITIAE *commutativae,* quo res aliena redditur vel damnum injuste illatum reparatur.

Explanatur. Dicitur : **1°**) *actus justitiae* **commutativae**; quia ex violatione charitatis, religionis, aut cujuscumque alterius virtutis praecise sumptae, etiam ex violatione solius justitiae *legalis, distributivae* aut *vindicativae,* non oritur obligatio restitutionis, nisi simul violetur justitia *commutativa* (pag. 5 seq.). Dicitur : **2°**) *quo res* **aliena** *redditur ;* i. e. res alterius ad quam alter jus habet ; seu, ut habet S. THOM. (l. c.) « *quando scilicet res unius ab alio habetur vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo vel deposito, vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina vel furto.* » Dicitur : **3°**) *vel damnum* **injuste** *illatum reparatur ;* quia si *juste,* v. g. auctoritate publica vel necessaria defensione damnum inferatur, nulla est restituendi obligatio.

R. Ad 2^{um}) Differt : tum a *satisfactione :* quia satisfactio est quid generalius et respicit personam ejusque honorem violatum et fieri debet etiam pro damno irreparabili ; RESTITUTIO vero respicit res et solam fit pro damno reparabili ; tum a *solutione :* nam solutio non est semper actus JUSTITIAE *strictae,* v. g. cum solvimus ea quae debemus ex voto, juramento, charitate, etc. ; RESTITUTIO autem supponit semper aliquam violationem, saltem materialem, JUSTITIAE *stricte* dictae.

Q. 113. *Quanta* sit *necessitas* RESTITUTIONIS ?

R. In materia *gravi*, restitutio est necessaria ad salutem *in re*, vel *in voto*, juxta illud S. Aug. (Epist. 153 ad Maced. et relata causa 14, q. 6) : « *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* »

Explanatur. Restitutio **in re** dicitur necessaria ad salutem in materia gravi, non quidem necessitate *medii* : quia admittit ignorantiam et impotentiam excusantem (tom. I, pag. 284) ; sed necessitate *praecepti* naturalis divini, scilicet septimi Decalogi : « *Non furtum facies*, » quo sicut prohibetur injusta ablatio, ita etiam injusta detentio, et per consequens praecipitur restitutio. Restitutio autem **in voto** eatenus potest dici necessaria necessitate *medii*, quatenus est necessarium necessitate *medii* ad salutem, ut quis habeat propositum servandi omnia Dei mandata et non maneat in actuali peccato mortali. Qui autem in materia gravi non restitueret saltem in voto, non haberet propositum servandi omnia Dei mandata et esset in actuali peccato mortali, nimirum in voluntaria detentione injusta rei alienae. Cfr. Bill.

Resolvitur. Corrigenda est vulgi opinio quae credit *animas defunctorum* tamdiu detineri **in Purgatorio,** donec eorum debita ab haeredibus solvantur. « Nemo enim, ait Bill., punitur post mortem nisi pro culpa quam commisit in hac vita : vel ergo ille defunctus fecit dum viveret quod in se erat ut restitueret, vel non fecit ; si *primum*, ex hac parte salvus erit : si *secundum*, vel ejus culpa fuit mortalis, et pro ea damnabitur in Inferno ; si venialis, punietur in Purgatorio pro ratione hujus culpae, non pro ratione culpae haeredum si negligant restituere, cum nemo puniatur in Purgatorio pro culpa alterius. Et alioquin sequeretur quod ii, quorum haeredes nunquam restituerent, semper et in aeternum detinerentur in Purgatorio non secus ac damnati in Inferno, quod est falsum. » Addit Dens post Bill. : « **Apparitiones,** quae in hunc finem adducuntur, plerumque imaginariae sunt vel fabulosae ; si quae factae sint, fieri potuerunt, vel quia illa restitutio prodesse potest animae per modum eleemosynae aut suffragii ; vel quia illa occasione funduntur preces pro defuncto ; vel quia sic Deus vult punire animam manifestando ejus peccatum ; vel etiam ne haeredes possideant alienum. »

Q. 114. An *praeceptum* restituendi sit *affirmativum*, an vero *negativum?*

R. Ex S. Thoma (2.2.q.62 a.8, ad 1) est formaliter *affirmativum*, praecipiens scilicet actum positivum, i.e. redditionem debiti; et radicaliter *negativum*, prohibens rem alterius detinere, et eatenus urget *semper* et *ad semper*, i. e. quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit. Hinc qui non restituit, cum potest et debet, peccat toto omissionis tempore, hujusque peccati gravitas eo magis crescit, quo magis restitutio differatur; imo peccata illius numero multiplicantur, quoties propositum non restituendi renovat. Cfr. tom. I, pag. 208 seq.

Resolvitur 1. Non potest absolvi, qui non vult statim, dum commode potest, restituere totum debitum, et quidem simul, nisi pars remanens sit levis : nam velle retinere partem notabilem domino rationabiliter invito est actualiter peccare. **Resol. 2.** Non potest absolvi, qui vult differre restitutionem usque ad mortem, vel si huic sit proximus, et possit commode per seipsum, mandat haeredibus, ut restituant : quia experientia constat, quam periculosum sit onus restitutionis haeredibus imponere. **Resol. 3.** Si poenitens promittat, statim moraliter se restituturum, prima vice est absolvendus, nisi ex circumstantiis prudenter timeretur deceptio; si saepius sit absolutus et deinde non restituerit, regulariter non est iterum absolvendus ante realem restitutionem, licet promittat se restituturum : quia vix habet verum propositum. Imo S. Lig. (III, 682) omnino placet sententia, quam tenet P. Concina : « *regulariter* non esse absolvendum debitorem, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis : sicut non est absolvendus concubinarius, antequam concubinam abjiciat ; experientia enim satis compertum est, quod debitores post absolutionem rarissime restituant, prout concubinarii rarissime concubinas dimittunt. » Et alibi (*Praxis conf.* n. 43) scribit idem S. Lig. : « Certus factus de gravi poenitentis obligatione confessarius, inspiciat, si poenitens valeat restituere, licet cum aliquo incommodo : et cum non absolvat, nisi prius restituat, licet ille signa extraordinaria emendationis exhibeat. Bona enim sunt quidam sanguis qui a venis non eruitur nisi cum magna vi et dolore. Unde si restitutio

non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. Potest excipi tantum aliquis poenitens, qui ita meticulosae conscientiae esset, ut de illo nullus dubitandi locus superesset. » Sed de iis latius infra (Q. 174).

Q. 115. An *impotens* restituere ex bonis *ejusdem ordinis* teneatur restituere ex bonis *ordinis diversi?* Puta : si quis hominem occidit, aut vulneravit, aut infamavit, an teneatur pecuniam dare, si nequeat aliter damnum compensare ?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Adest **duplex** probabilis sententia. 1ª **Affirmat** cum S. Thom. (2. 2. q. 62, a. 2 ad 1), ubi ait : « *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione.. personae, secundum arbitrium boni viri.* » Idem repetit (*ibid.* ad 2) loquens de restitutione famae : « *vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare.* » Ratio : quia qui non potest totum damnum, tenetur saltem compensare partem quam potest. 2ª Sententia, quae a S. Lig. (III, 627) vocatur « communior et probabilior, » **negat** : quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis. Aliunde justitia commutativa obligat ad restituendum juxta aequalitatem damni illati ; ubi autem restitutio facienda est in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni.

Scholion. Uti observat S. Lig. (*ibid.*). auctores **secundae** sententiae communiter monent : « **congruum** esse, ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia, vel ex aequitate, aliquid laeso elargiendum. » Praeterea **certum est,** ut notat Gury, judicem vel superiorem, pro injuria circa unum bonum, posse imponere, ut ratione poenae aliquid praestetur ex bonis alterius ordinis ; item laesum, cum jus habeat apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accepit, posse ab ipso pecuniam accipere, ut denuntiationem omittat. Sic v. g. mulier violenter oppressa, cum violatorem ad judicem compellere valeat, potest, ut suo juri renuntiet, pecuniam a nebulone exigere.

Q. 116. *Quomodo* agendum sit cum *moribundo* restitutioni obnoxio ?

R. 1°) Si videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut non praevideatur monitio profutura, hac omissa, absolvatur. 2°) Si non sit in bona fide, vel fructus ex monitione speretur, fortiter suaviterque de restitutionis obligatione monendus est, et ad illam illico peragendam adjuvandus. 3°) Si obligatio occulta sit, nec statim fieri possit restitutio, inducatur aegrotus ad summam viro fideli committendam, ut postea creditori clam remittatur; vel ad eam summam in testamento ipsi creditori relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4°) Si obligatio non sit occulta nec statim impleri possit restitutio, confessarius efficiat ut per haeredes certo fiat, et hunc in finem curet, ut statim conficiatur schedula creditori tradenda, vel ad quemvis alium recurratur modum. Cfr. GURY.

CAP. II. De radicibus seu titulis restitutionis.

Q. 117. *Quot* sint RADICES *restitutionis?*

R. Ex S. THOMA (2. 2. q. 62, a. 6) sunt *duae radices*, seu tituli aut capita, ex quibus oritur obligatio restitutionis, scilicet : *res accepta*, i. e. res aliena; et *injusta acceptio*, i. e. damnum illatum. Quandoque hi tituli separatim exsistunt, quandoque vero conjunguntur.

Q. 118. *Quinam* teneantur ad *restitutionem* : 1°) ex solo titulo *rei acceptae*; 2°) ex solo titulo *injustae acceptionis*; 3°) ex utroque titulo, tum *rei acceptae*, tum *injustae acceptionis?*

R. Ad 1^{um}) Tenentur ex solo titulo *rei acceptae* : possessores *bonae fidei*, i. e. qui rem alienam habent inculpabiliter *in se* aut *in aequivalenti*. Dicitur autem quis rem habere *in aequivalenti*, in quantum factus est ditior, ut si habeat pretium rei, vel in quantum pepercit rebus suis, ut si consumendo rem alienam, servaverit propriam, quam alioquin consumpsisset.

R. Ad 2^{um}) Tenentur ex solo titulo *injustae acceptionis* : damnificatores sive *immediati* seu *physici*, sive *mediati* seu *morales*; — i. e. qui alteri culpabiliter damnum *per se ipsos* intulerunt, v g. domum incenderunt, vel ad id *cooperati* sunt, quin inde ditiores facti sint.

R. Ad 3um) Tenentur ex *utroque titulo* : possessores *malae fidei*, qui rem alienam abstulerunt eamque adhuc habent in individuo vel in aequivalenti.

CAP. III. De restitutione facienda a possessore : 1°) bonae fidei ; 2°) malae fidei ; 3°) dubiae fidei.

Q. 119. *Quid* restituere teneatur POSSESSOR *bonae fidei ?*
R. Variae possunt esse ejus obligationes sive *quoad rem ipsam*, sive *quoad fructus*, sive *quoad impensas.*

Explanatur. A) *Quoad* **rem ipsam. 1°**) Ubi certo cognoscit rem quam possidet esse alienam, tenetur illam, nondum praescriptam, restituere et quidem per se *in individuo*, i. e. eamdem numero rem : quia res, ubicumque sit, *clamat domino suo*. Dico : *per se ;* nam si ageretur de pecunia aut alia re fungibili (pag. 20), in qua numerica diversitas non censetur inducere inaequalitatem, licet aliud pro alio restituere. Praeterea, rem alienam, etiamsi emerit, *gratis* restituere tenebitur, nisi ex a. 2280 eam in foro publico vel in venditione publica vel ex mercatore talia vendente emerit ; quo casu restituere non tenetur, nisi prius accepta a domino restitutione pretii. **2°**) Si rem ipsam amplius non habeat, v. g. quia vendidit, tenetur ejus pretium quod habet domino restituere, quale ex venditione percepit (a. 1380). Quod si neque rem, neque pretium habeat, sed res consumpta sit aut dissipata, tunc vel inde rebus suis pepercit, vel non ; si *prius*, tenetur restituere, quantum propriis rebus pepercit, quia in eo factus est ditior ex re aliena ; si *posterius*, ad nihil tenetur. Hinc v. g. si rem bona fide habeas eamque alteri donaveris, putans esse tuam, alioquin non donaturus similem, ad nihil teneris, quia non es factus ditior. Nec obstat, quod forte aliquid in gratiarum actionem acceperis a donatario : quia id accepisti non ut rei pretium, sed gratis pro bono affectu, qui ut inculpabiliter conjunctus cum re aliena erat dignus remuneratione. Ast si alias rem similem ex tuis donasses, debes hujus valorem restituere, quia in tantum pepercisti rebus tuis. Similiter, si propter haereditatem bona fide aditam feceris expensas majores, v. g. itinerando, quod alias non fecisses, et postea audias testamentum esse nullum, nonnisi residuum legitimo haeredi restituere

debes. — **B**) *Quoad* **fructus**. Possessor bonae fidei tenetur *ex jure naturali* restituere fructus naturales et civiles, si exstant; si vero non exstant, restituere debet id quo factus est ditior. Ast *ex jure gallico* (aa. 549, 138 et 1378) omnes fructus assignantur possessori bonae fidei, modo rem ipsam possideat ut proprietarius, i. e. vi tituli translativi proprietatis cujus vitia ignorat, et modo fructus hi sint *percepti*, i. e. quoad *naturales*, si separati sint a radice vel arbore; et quoad *civiles*, si obtigerint (*s'ils sont échus*). Quam legis dispositionem existimamus etiam valere pro foro interno : quia **1**) *nullius jura laedit*, si consideretur ante omnem eventum, quum quilibet idem timendum et sperandum habet. **2**) *Unicuique privato magis favet*, cum quilibet secure poterit impensas suas determinare juxta suos reditus; dum e contra in alia sententia fieri posset, ut omnino inculpate quis redigeretur ad statum miseriae. **3**) *Bonum publicum magis promovet :* tollit enim inextricabiles querelas et difficultates, quae jugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum. — **C**) *Quoad* **impensas**. Possessor bonae fidei, restitutionem instituens, subducere potest expensas : **1**) *necessarias*, i. e. sine quibus res interiisset aut omnino deterior evasisset : quia eas prudens proprietarius ipse fecisset, nec debet plus quam suum est recipere; **2**) *utiles*, i. e. quibus augetur rei valor, v. g. constructiones, plantationes, secus dominus plus quam suum est reciperet; sed ex a. 555 habet optionem solvendi vel pretium meliorationis, vel pretium impensarum; **3**) *ordinarias* seu *usufructuarias*, i. e. quae fiunt sive ad percipiendos rei fructus, sive ad habitualem rei conservationem, casu quo fructus nondum collecti fuerint et ad proprietarium rei redire debeant : alioquin proprietarius iterum ditesceret ex bono alterius. Si vero fructus fuerint percepti, expensas hujusmodi ordinarias deducere non potest, quia compensatae fuerunt per fructus. Tandem **4**) quod attinet expensas *voluptuarias*, i. e. quae fiunt tantum ad ornamentum rei, ut sunt statuae, picturae, fontes, etc., si a re separari possint, salva substantia, licite auferuntur a possessore; si vero sine detrimento auferri nequeant, videndum est, an sint alicujus pretii erga dominum, qui tunc eas refundere debet; non vero secus.

Q. 120. An ille qui rem FURTIVAM emit *bona fide*, possit eam *furi* reddere ad pretium recuperandum ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si dominus **compareat**, tunc res ipsi reddenda est cum pretii jactura, nisi ex *jure gallico* empta fuisset in foro publico vel ab eo qui res hujusmodi vendere solet. Ita ex (a. 2280) : « *Si le possesseur actuel de la chose volée ou perdue l'a achetée dans une foire ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, le propriétaire originaire ne peut se la faire rendre, qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle lui a coûté.* » 2°) Si dominus **non compareat** sed tamen sit cognitus et rei inscius, potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet. Ita sententia probabilis « *et forte probabilior,* » ait S. Lig. (III, 569). Ratio : quia nequit ostendi, cur teneatur innocens cum tanto suo incommodo rem alienam ita indemnem reddere, ut non possit eam in illum statum, in quo prius erat, reponere. Imo, multi probabiliter tenent cum S. Lig. (III, 570) : id ipsum etiam licere possessori *malae fidei*, si pretium a fure, a quo rem emit, alia via recuperare non possit : quia rem ita reddens furi, non ponit eam in statu deteriori, sed relinquit in eodem statu in quo antea fuit, nec tenetur statuere in statu meliori cum gravi suo incommodo. 3°) Si **fur aut alius venditor non appareat**, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus, sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat, quem si invenire nequeat, damnum ipse subire tenetur.

Q. 121. Si res ab uno ad alium aut etiam ad plures *successive* transmissa fuit, *ad quid* teneantur varii POSSESSORES *bonae fidei?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **locus est evictioni,** quia res exstat et domino competit jus et possibilitas eam evincendi ab ultimo detentore; vel **non est locus evictioni,** quia res est praescripta, amissa aut alio quovis modo consumpta actioque in foro externo denegatur. Si **primum,** tunc ultimus detentor tenetur rem reddere domino, cui proinde ceteri possessores nihil debent. Sed si res fuerit ab uno vel a pluribus transmissa *titulo oneroso,* datur ultimo

detentori recursus contra alios ; si vero *titulo gratuito* acceperit, recursum adhuc habet, quatenus exercens jura donatoris qui ipse rem *emerat* vel ab alio emptore cum simili jure acceperat. Si **secundum**, tunc statui potest : **A**) *Primus* e possessoribus *qui rem vendidit*, tenetur erga dominum rei de pretio accepto, quatenus ex eo ditior factus est ; sed ad nihil tenetur erga alios possessores. Quidam addunt ipsum etiam ad nihil teneri, quando emptor ab evictione immunis factus est propter praescriptionem. **B**) Possessores *intermedii* ad nihil tenentur erga dominum nec erga se invicem, quia nec damnum intulerunt, nec ditiores facti sunt. **C**) *Ultimus detentor*, si rem titulo *oneroso* acquisiverit, ad nihil tenetur erga dominum ; si autem titulo *gratuito*, distinguendum est : vel mediate aut immediate jus suum habet ab aliquo emptore, vel non ; si *prius*, idem est ac si ipse emisset, quia successit in jura sui auctoris ; unde dominus recursum habet tantum erga primum venditorem ; si *posterius*, quia nempe res semper transmissa fuit titulo gratuito, res reddenda est domino *in aequivalenti*, i. e. in quantum pepercit rebus suis et inde factus est ditior, nisi fuerit legitime praescripta.

Q. 122. *Ad quid* teneatur POSSESSOR *malae fidei ?*

R. Ad plura tenetur : tum ex titulo *rei acceptae*, tum ex titulo *injustae acceptionis*.

Explanatur. Possessor *malae fidei*, i. e. qui bonum alienum retinet, suae injustitiae conscius, tenetur : 1°) titulo **rei acceptae**, restituere rem *in individuo*, si exsistat, vel in *aequivalenti*, si non exsistat, et id omne in quo factus est ditior. Unde tenetur restituere omnes fructus *naturales*, *civiles* et *mixtos*, qua parte naturales sunt vel civiles, quia quaelibet res fructificat domino suo. Potest tamen retinere fructus *industriales*, ut si negotiando pecuniis furtivis lucrum fecessit. Potest etiam deducere expensas *usufructuarias*, *necessarias* et *utiles*, imo et *voluptuarias*, ubi intacta rerum substantia separari possunt, nisi in poenam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuisset. Ita ex (a. 1381) : « *Celui auquel la chose est restituée doit tenir compte, même au possesseur de mauvaise foi, de toutes les dépenses nécessaires et utiles, qui ont été faites pour la conservation de la chose.* » Tenetur : 2°) titulo **injustae**

acceptionis, dominum praestare indemnem, i. e. reparare omne damnum proxime et directe ortum ex injusta detentione, etiamsi in nihilo factus sit ditior. Hinc si res apud ipsum deteriorata fuerit, debet vel rem ipsam restituere, addito valore deteriorationis, vel rem servando, totum ejus valorem pro optione domini refundere.

Q. 123. An possessor *malae fidei* teneatur ad restitutionem, si res apud ipsum *casu fortuito* perierit?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel res apud dominum **eodem tempore** et **casu** peritura erat, vel **non.** Si **posterius,** tenetur possessor malae fidei ad restitutionem, etiamsi vel ante, vel post casum fortuitum, res apud dominum peritura fuisset : nam eo instanti quo apud possessorem malae fidei res perit, jus strictum dominus habet ad pretium, quod jus nullo casu fortuito superveniente perit. Si vero **prius,** i. e. si res peritura fuisset apud dominum **eodem tempore et casu,** quo periit apud furem, v. g. eodem incendio, terrae motu, eadem incursione hostium, vel simili calamitate publica, CONTROVERTITUR. Sed *ex jure naturali* probabilius videtur non adesse obligationem restituendi. Nam *res perit domino*, nisi ejus interitus alteri imputari debeat ; atqui, in casu posito, possessor non est causa vere efficax interitus rei, qui casui fortuito omnino tribuendus est ; nec ex furto vel detentione pejor facta est, quoad substantiam rei, conditio domini. Itaque possessor tenetur tantum compensare lucrum *cessans*, quod scilicet dominus ex sua re percepturus fuisset negotiatione, locatione, etc., et damnum *emergens*, quod scilicet interim ex carentia rei suae est passus, accipiendo v. g. ab aliis cum interesse. Dixi : *ex jure naturali* ; nam ex a. 1302 casus fortuitus a restitutione furem non excusat : « *De quelque manière que la chose volée ait péri, ou ait été perdue, sa perte ne dispense pas celui qui l'a soustraite de la restitution du prix.* » Sed cum clausula sit poenalis, non obligat ante sententiam judicis.

Q. 124. Utrum possessor *malae fidei* teneatur ad restitutionem *summi valoris?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirmative*, quando res fuit vendita, vel a fure consumpta, vel casu fortuito imputabili perdita, vel a domino vendenda, *eo tempore quo erat* **majoris valoris.** Tunc enim venditione vel consumptione valor summus fuit domino acquisitus, vel culpabili detentione damnum fuit domino illatum. *Negative* vero, si res pericrit apud furem, vel fuerit consumpta aut vendita *tempore quo erat* **minoris pretii** *et quo a* **domino fuisset vendenda vel consumenda.** Tunc ad hoc minus pretium restituendum solummodo tenetur possessor malae fidei, quia revera ipse ditior non est factus et dominus nullum damnum exinde passus est. Ceterum in praxi, cum raro innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque fit, ut sola urgenda sit compensatio valoris, quem tempore furti res habebat.

Q. 125. Ad quid teneatur possessor *dubiae fidei?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel dubium **praecessit** possessionem, vel eam **subsequitur. A**) Si **primum**, varii casus fingi possunt : **1**) Si rem quis occupaverit a *nemine occupatam*, dubitans utrum ad aliquem pertineat, an vero sit nullius aut a pristino domino derelicta, non licet huic rem retinere, nisi *conditionate*. Dubio vero post inquisitionem remanente, si illud determinetur ad certam aliquam personam, cum ea res dividenda erit; secus, vel tota retineri poterit, vel pars erit pauperibus eroganda, pro opinione quam quisque tenuerit circa res inventas. Cfr. supra pag. 50 seq. **2**) Qui dubitans, an res quam alius possidet ad se pertineat, eam sibi usurpat *spoliando alium* sua possessione, assimilatur possessori malae fidei : in dubio enim melior erat alterius conditio, qui rem sibi poterat retinere. **3**) Si quis, dum rem ab alio accepit *titulo emptionis vel donationis*, dubitat an ille a quo accipit sit legitimus possessor, peccat si illam accipiat animo *retinendi*, quia exponit se periculo possidendi rem alienam; si autem accipiat animo *dominum inquirendi* ipsique restituendi, negotium domini utiliter gerit. **4**) Si dubitans acceperit vel emerit, et facta inquisitione deprehenderit esse furtivam, tunc vel domino, vel, ipso ignoto, restituenda est pauperibus. Poterit etiam illam reddere furi, ut pretium recuperet. Si vero facta inquisitione dubium remaneat, tunc aequitas postulat, ut res dividatur pro qualitate dubii : v. g. si dubium sit

pro utraque parte aequale, restituatur dimidium ; si probabilius sit rem esse alienam, restituatur plus et e contra, hocque sive particulari de quo dubitatur, sive pauperibus, si dubitetur in genere, vel alter sit ignotus. Denique **5**) in dubio an aliquis possessionem inceperit bona vel mala fide, praesumitur, quod bona : quia *delicta non praesumuntur, sed probari debent.* Si tamen quis actu sit in mala fide, praesumitur etiam ab initio fuisse : quia *semel malus semper praesumitur esse malus.* — **B**) Si **secundum**, i. e. si dubium possessioni bona fide incoeptae supervenit, tunc **1**) tenetur ex justitia inquirere veritatem ; adeoque si negligat et postea non possit invenire veritatem, tenetur restituere pro qualitate dubii : quia omissio inquisitionis fuit injuriosa illi de quo dubitabat ; ergo tenetur compensare injuriam secundum proportionem spei quam habebat, ut agnosceretur dominus ; ergo restituendum vel illi de quo dubitabat, vel pauperibus, si ignoretur. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. **2**) Si, post inquisitionem factam, dubium perseveret, poterit possessor in foro conscientiae rem retinere, donec *moraliter certus sit esse alienam :* quia in dubio melior est conditio possidentis, ideoque poterit eam consumere, alienare. Si tamen ita dubiam alteri vendat, tenetur ex justitia ementi dubium manifestare : nam certum est, illud tanquam vitium minuere de pretio.

CAP. IV. De injusta damnificatione.

Q. 126. *Quinam* 1°) vocentur INJUSTI DAMNIFICATORES ; 2°) *quot* sint, et 3°) *quo titulo* seu qua radice teneantur ad restitutionem ?

R. Ad 1^{um}) Sunt omnes et illi soli, qui voluntarie damnum alteri inferunt, sive *physice* seu immediate, i. e. per se ipsos, sive *moraliter* seu mediate, i. e. damno ab alio illato cooperando (pag. 98).

R. Ad 2^{um}) Sunt itaque *decem :* nimirum EXSECUTOR damni, et *novem* COOPERATORES, ex S. THOM. (2.2.q.62,a.7) in hoc disticho comprehensi :

JUSSIO, CONSILIUM, CONSENSUS, PALPO, RECURSUS,
PARTICIPANS, MUTUS, NON OBSTANS, NON MANIFESTANS.

Quorum *sex* priores sunt COOPERATORES *positivi*; *tres* vero posteriores COOPERATORES *negativi*, qui nimirum non impediunt damnum quod ex justitia impedire tenentur.

R. Ad 3um) *Injusti* DAMNIFICATORES tenentur restituere ex solo titulo *injustae acceptionis*, si ex damno illato non ditiores facti sunt, v. g. si domum incendio delerent. Tenentur praeterea restituere etiam ex titulo *rei acceptae*, si ex actione damnificativa ditiores facti sint, ut si rem injuste acceptam adhuc habeant in se aut in aequivalenti.

Q. 127. *Quaenam* requirantur, ut actio *damnificans* inducat obligationem restitutionis *in conscientia* et *ante sententiam judicis?*

R. Haec *tria* requiruntur: 1°) ut actio sit *stricte injusta*; 2°) ut sit *causa efficax* damni, ita ut influat in damnum *per se*, i. e. vi sua propria; 3°) ut sit *theologice culpabilis*; est autem culpa *theologica* idem ac peccatum, quo offenditur Deus, ad differentiam culpae *juridicae*, i. e. omissionis diligentiae a legibus requisitae, quae potest esse sinè peccato.

Resolvitur. 1°) Ad restitutionem non obligat actio nociva, quae est *exercitium juris proprii*. Quare, juxta dicta superius pag. 68, si venas aquarum per tuum praedium currentes, e quibus aqua in puteum vicini fluebat, intercipias, etiam ea intentione ut sic vicinum aqua prives, uteris jure tuo, et tantum peccatur contra charitatem. **Resol.** 2°) Qui ponit actum ex quo quidem sequitur alterius damnum, sed tantum *per accidens* et *remote*, non autem *proxime*, etiamsi agens illud damnum intendat, non peccat contra justitiam *effective*, nec tenetur consequenter ad restitutionem. Quare **A**) si fureris quatuor obolos ab avaro, etiam eo animo, ut ille ex moerore amissae pecuniae moriatur, qui de facto moritur, non teneris nisi sub levi ad obolos : quia actio externa secundum se non fuit causa *efficax*, sed *occasionalis* tantum mortis; neque illa intentio mutat naturam actionis externae. Similiter **B**) si veneno infeceris poculum vini, animo occidendi Titium, sed illud posueris in loco remotissimo, quo prudentur non putabas Titium accedere, sed Titius aliud agens eo accessit, sumpsit ideoque mortuus est, tu ad nihil teneris : quia actio tua externa non fuit de se causa efficax.

talis mortis; imo, si illud posueris quidem ante Titium, sed Cajus id ignorans illud praeripiat, et tu, ne scelus tuum prodas, non impedias, non teneris de morte Caji, quia in *effectu* non es ejus homicida, cum ejus mors non fuerit tibi voluntaria : non enim id praevideras, ut suppono, nec tenebaris impedire cum tanto tuo incommodo. Idem dicendum **C**) : tum de illo qui immittit sagittam, adhibita diligentia morali ne occidatur homo, sed neglecta diligentia extraordinaria eo praecise fine, ut, si sit inimicus, occidatur; tum de medico, qui adhibet diligentiam ad quam tenetur, sed non vult adhibere majorem ex odio infirmi, ut sequatur ejus mors; tum de Petro, qui occidit Joannem, intendens ut homicidium imputetur Paulo, quod de facto ipsi fuit imputatum. In istis enim casibus mors non sequitur nisi per *accidens* et *remote*. Secus foret dicendum, si talis esset actio externa, ut ea ejusque circumstantiae *proxime* influerent moraliter in damnum, ut si occisor homicidium committat indutus vestibus Pauli, aut usus fuisset ejus gladio, quem adhuc sanguinolentum reposuisset in sagenam ejus; tunc enim Petrus censeretur vera causa moralis istius imputationis. Idemque esset de eo, qui Joannem occideret ea intentione, ut personae, quibus Joannes solebat benefacere, hoc solatio privarentur. Tandem **D**) si animo vindictae impulsus, glandem explosisti in capram Ernesti placide pascentem, sed loco caprae illaesae occidisti vaccam Roberti post sepem, te prorsus ignorante, jacentem, ad nihil teneris : non quidem ratione caprae, cum illaesa maneat; non pariter ratione vaccae, cum illius damnum nullatenus praevideras. Immo adhuc excusari posses, etiamsi vacca ad eumdem Ernestum inimicum pertineret, cum etiam tunc damnum *per accidens* evenisset. Secus tamen dicendum, si cognovisses ex glandis explosione damnum aliquod, utcumque a te non clare cognitum, sequi forte posse. **Resol. 3°**) Si ex subita ira correptus omnino inculpabiliter apud Deum occidisti Titium, ad nihil teneris in conscientia ante sententiam judicis; idemque est, si omnino inadvertenter sis causa cujusvis damni alterius, quia nulla interfuit *culpa theologica* seu peccatum quo offenditur Deus. Jam vero, tota obligatio restituendi ex injusta damnificatione oritur praecise ratione peccati formalis, quod committitur contra justitiam. Ergo, ubi in conscientia peccatum non committitur, etiamsi sit damnum secutum, nec onus

restitutionis ex hac radice consurgit. Accedit, quod laesus non potest esse rationabiliter invitus. Dixi : *ante sententiam judicis*; nam *post* sententiam potest quis obligari ob solam culpam *juridicam*, licet non intercesserit peccatum formale, ut latius dicetur ad Q. 136.

Q. 128. An *teneatur* ad restitutionem, qui *inculpabiliter* quidem causam damni posuit, sed postea illud *non impedivit*, licet impedire *potuisset?*

R. *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia quisque tenetur, quando *rationabiliter* potest, ne malum ex actione sua secutum perseveret; secus actio evaderet injuriosa proximo. Hinc qui inculpabiliter incendit segetem alienam, si, statim ac advertit, non exstinguit incendium, cum possit, tenetur de damno secuto. Dixi : **rationabiliter**; quia si suo aequali vel majori damno illud damnum impedire non posset, poterit se habere *permissive*. Cfr. sup. pag. 107.

Q. 129. An *reparari* debeat damnum sequens ex causa *culpabiliter* quidem posita, sed jam *retractata*, quando damnum infertur?

R. *Affirmative*, saltem si damnum illud fuerit determinatum et in specie praecognitum.

Explanatur. Tunc enim est voluntarium, non quidem in ordine ad voluntatem praesentem, sed ad voluntatem praecedentem, Unde, si quis voluntarie alteri venenum propinavit, cujus effectum postea impedire vult sed non potest, damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ita DD. communiter. Dixi : *saltem si damnum fuerit* **determinatum et in specie praecognitum**; secus enim non concurreret injuria formalis cum injuria materiali. Hinc non tenetur de damno confessarius indebitam restitutionem imperans ex ignorantia quidem *antecedenter* vincibili, sed *actualiter* invincibili, utpote quam expellere nititur.

Q. 130. An *ad obligandum* damnificatorem ad restitutionem sufficiat CULPA THEOLOGICA *venialis?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Culpa potest esse *venialis* : vel **1°**) ratione **parvitatis materiae**; vel **2°**) ratione **imperfectionis actus**, etiamsi damnum illatum sit grave; vel demum **3°**) **dubium** esse potest, an culpa in casu fuerit venialis vel mortalis. **A**) Si **primum**, *subdistinguendum est* : vel *a*) agitur de *unico* actu, vel *b*) de *pluribus*. In primo casu, restitutio fieri debet, sed tantum sub *veniali*, ut si quis culpabiliter occidat gallinam divitis. In secundo casu, qui per plures actus plene deliberatos, esto veniales ex parte materiae cum inadvertentia ad materiam gravem, uni vel pluribus grave damnum intulit, et hoc tandem advertit, tenetur sub mortali restituere, non vi culpae immediate, quia in singulis actibus nonnisi venialiter peccavit, sed ratione damni plene voluntarii. **B**) Si **secundum**, ut si ex semiplena advertentia, deliberatione, aut ex motu irae secundo primo Titium occidisti, ad nihil teneris. Non enim obligari potes *a*) *sub mortali* : quia gravis obligatio cum culpa levi proportionem non habet; neque etiam *b*) *sub veniali* : quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. Ita S. Lig. (III, 552) post Lug. Alii aliter sentiunt apud Bill. **C**) Si tandem **tertium**, etiam ad nihil tenetur damnificans : quia in dubio nemo praesumitur graviter peccare; quod a fortiori procedit, si dubitetur an adfuerit simpliciter *culpa theologica*.

Q. 131. An DAMNIFICANS *ex ignorantia* teneatur ad *restitutionem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1) *Affirmative*, si ignorantia sit **culpabilis** : quia ea reddit actionem peccaminosam in causa. Quare, qui per experientiam novit, se in ebrietate solere causare damna, et nihilominus se inebriat, non ponendo sufficientem cautelam, tenetur ea resarcire; non vero, si ea non fuerint praevisa, aut si sufficiens cautela fuerit adhibita. **2**) *Negative* vero, si ignorantia fuerit **inculpabilis** : quia excusat a peccato actionem damnificativam. Quare volens incendere domum Petri vel furari ejus equum, praeter intentionem incendas domum Pauli, aut accipias ejus equum, isque casu pereat, ad nihil teneris : non erga Petrum, quia hunc non damnificasti; nec erga Paulum, quia hunc non damnificasti voluntarie. Cfr. supra pag. 69. Idque verum est, non tantum, si ignorantia fuerit *antecedens*, i. e. talis, ut nisi adesset, damnificatio

certo non fieret; sed etiam satis probabiliter, si fuerit *concomitans*, i.e. talis, ut si non adesset, adhuc damnificatio fieret, ut si fueris ita constitutus, ut incendisses domum Pauli aut abstulisses ejus equum, etiamsi scivisses esse Pauli; item si quis occidat feram putatam, etsi habeat animum etiam occidendi inimicum, si ibi adesset, qui et de facto adest et occiditur. Cfr. MAZZOTTA, tom. II, pag. 301 seq.

Q. 132. Quid dicendum de eo, qui *scienter* intulit damnum, quod in se est grave, sed *invincibiliter ignoravit esse tam grave*, v. g. si Titius projecit in mare gemmam Caji valentem 100, quam tamen ipse putabat non valere nisi 10?

R. *Probabilius* non tenetur plus restituere quam credebat valere : quia plus voluntarie non damnificavit. Neque obstat huic sententiae, quod justitia respiciat medium rei : nam respicit medium rei *cognitae* ; qui ergo ignoraverit rem seu jus alterius valere 100, non tenetur nisi ad 10, cum in hoc tantum formaliter laeserit. Aliud foret, si dubitaverit de valore forte occulto : tunc enim satis in confuso cognovit. Cfr. S. LIG. (III, 613).

Q. 133. An qui *dubitat* utrum damnum *evenerit* ex sua actione, restituere teneatur?

R. 1°) *Negative*, si dubium versetur circa *exsistentiam* damni, modo post factam diligentem inquisitionem dubium perseveret. Constat ex principiis : « *Non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet* ; » item : « *Factum non praesumitur, sed probari debet.* » R. 2°) Etiam probabiliter *negative*, si dubium versetur circa *influxum* actionis in damnum quod certo evenit : quia de causa damni non constat. Hinc si dubium sit inter duos adulteros, cujus sit proles, adulteri probabiliter ad nihil tenentur. Et hanc sententiam confirmari ex S. THOM. (2.2.q.62, a.7) probare conatur S. LIG. (III, 658 et 562).

Q. 134. An qui alium *impedivit* a consecutione *alicujus boni*, teneatur ad *restitutionem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel proximus habebat **jus strictum** ad illud bonum, vel **non,** quatenus erat liberaliter conferendum. Si **pri-**

mum, impediens tenetur compensare damnum, et quidem ad valorem ipsius rei, si proximus habeat jus in re; si vero habeat tantum jus ad rem, quanti jus illud prudentium judicio aestimabatur, secundum majorem vel minorem probabilitatem boni consequendi. Si **secundum,** tunc *subdistinguendum est :* **A**) Vel usus est mediis **injustis,** v. g. vi, fraude, calumnia, metu, mendaciis, detractione, etc., et tunc tenetur ad compensandum damnum, non quidem secundum totum valorem boni, sed pro rata spei ad illud : quia licet ille impeditus nullum habuerit jus ad ipsum bonum, habuit tamen jus illud quaerendi, et ne ab alio per vim vel dolum vel alio modo injuste impediatur a bono sperato. Unde occidens alium, ne haereditatem obtineat a testato, tenetur pro rata spei restitutionem praestare ipsius haeredibus necessariis. **B**) Vel usus est mediis *in se* **justis,** v. suasione, precibus, etc., et tunc non tenetur ad ullam restitutionem : quia nullum jus alterius tunc violavit, nec *in se*, nec *in mediis*. Quin imo, si id fiat bono zelo, caret omni culpa; si vero fiat ex odio, vindicta, aut expressa voluntate nocendi, est quidem peccatum contra charitatem vel etiam peccatum injustitiae *internae*, non tamen *externae*, eo quod ipsa actio externa non sit laesiva juris alterius, adeoque non inducens obligationem restitutionis.

Resolvitur. 1°) Non tenentur quidquam restituere mercatores, qui sine vi, fraude, detractione aut mendacio invitant emptores ad suas officinas, etiamsi id faciant ex intentione sic damnificandi alium mercatorem vicinum. **Resol.** 2°) Si absque vi, fraude, etc., persuaseris Titio, ne faciat testamentum, quod praevidebas eum facturum in favorem Caji, nihil teneris restituere Cajo, etiamsi feceris ex mente nocendi Cajo; secus dicendum, si id feceris calumniis, mendacio, dolose amovendo notarium. **Resol.** 3°) Si precibus, hortationibus, pollicitationibus impedias, ne Titius conferat beneficium ecclesiasticum Cajo *extra concursum;* aut ne det tali pauperi eleemosynam, etc., non teneris ad restitutionem Cajo aut pauperi, etiamsi ex odio illorum facias; teneris vero, si mendaciis, dicendo, v. g. Cajum esse indignum, illum non esse pauperem, cum tamen sit dignus, sit pauper. **Resol.** 4°) Si Titius revelando crimen occultum Caji eum privavit beneficio, videndum est : **A**) Si crimine non obstante Cajus adhuc dignus erat, praeter

reparationem famae, tenetur Titius ex S. Thom. (2.2.q.62, a.2 ad 4) ad restitutionem pro rata spei, si nullum jus habuit ; si autem habuerit jus ad rem, quia jam praesentatus, tenetur, quantum judicio prudentium valet hoc jus secundum majorem vel minorem probabilitatem beneficii consequendi ; si jus in re, tenetur ad totum. **B**) Si propter crimen erat *indignus*, ad nihil tenetur ratione beneficii : quia Cajus non habebat jus, ne impediretur a beneficio ; si autem alio modo potuisset impedire quam revelando crimen, tenetur ad reparationem famae : quia in hac laesit injuste. Si non potuit impedire, nisi revelando crimen promotori, ad nihil tenetur, quia bene fecit. Si autem publice diffamaverit, cum satis fuisset, soli promotori indicare, tenetur reparare famam apud alios perditam, quia in hoc injuriam fecit.

Q. 135. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CULPA JURIDICA ?

R. Ad 1um) Est omissio diligentiae a legibus requisitae, ex qua omissione alteri damnum provenit quod praecaveri potuit, et quam jura imputant, etiamsi non adfuerit peccatum formale, ob naturalem oblivionem seu inadvertentiam. Ex quo patet, *culpam juridicam*, quam considerant *juristae*, medium tenere inter *culpam theologicam* quam considerat *theologus* quaeque est peccatum formale mortale vel veniale, et *casum fortuitum* seu eventum, qui per humanam et communem diligentiam praecaveri non potuit.

R. Ad 2um) CULPA JURIDICA *triplex* distinguitur.

Explanatur. Distinguitur : 1) **Lata,** estque omissio diligentiae adhiberi solitae ab hominibus ejusdem conditionis ; v. g. si librum commodatum relinquas in loco patenti domus, quem extranei solent accedere, ubi nec res tuas alicujus momenti relinqueres, et sic deperdatur. 2) **Levis,** estque omissio diligentiae quam adhibere solent homines diligentiores seu prudentiores ejusdem conditionis ; v. g. si eum librum reposueris quidem in cubiculo tuo, aut etiam in arca cum rebus tuis, sed non clauseris ostium. 3) **Levissima,** estque omissio diligentiae, quam non nisi prudentissimi solent adhibere ; v. g. si etiam clauseris ostium, sed non tentaveris, an bene clausum fuerit.

Q. 136. An dari possit obligatio reparandi damnum ex *sola* CULPA JURIDICA illatum ?

R. *Negative* in foro conscientiae, ante sententiam judicis, licet admissa fuerit CULPA JURIDICA *lata*, saltem extra contractum vel quasi-contractum. Ratio est : quia damnum sine CULPA THEOLOGICA non est voluntarium, adeoque nec moraliter imputabile, sed casui potius attribuendum. Praeterea, sine CULPA THEOLOGICA actio non est formaliter injuriosa.

Explanatur. Dixi : 1°) **ante sententiam judicis.** Nam datur obligatio restituendi in conscientia ex CULPA mere JURIDICA *post sententiam judicis*, nisi haec innitatur in falsa praesumptione facti. Est enim obediendum legibus justis latis in bonum commune. Hinc, v. g. si absque debita munitione aliquid projicias ex fenestra tua, et inde damnum alicui proveniat, si judex te condemnet ad illud reparandum, ad hoc teneris in conscientia, etiamsi ex inculpabili inadvertentia vel ex naturali oblivione omisisses monere transeuntes. Similiter, prolata judicis sententia, teneris reparare damna per tua animalia proximo illata, etiamsi ex parte tua omnis abfuisset CULPA THEOLOGICA. In utroque tamen casu, si nullum damnum fuisset secutum, adeoque sententia judicis niteretur *falsa praesumptione facti*, posses tibi occulte compensare. Dixi : 2°) *saltem extra* **contractum** *vel* **quasi-contractum.** Non desunt enim DD. qui contendant in contractu vel quasi-contractu, ut puta in officio parochi, confessarii, advocati, medici, etc., sufficere CULPAM mere JURIDICAM ad inducendam obligationem restitutionis in foro interno ante sententiam judicis. Verum, nisi speciale pactum intercesserit, opposita sententia est probabilior, principiis conformior, et in praxi tuta, quippe nemo obligandus est ad restitutionem, nisi de illa facienda certo constet, quia in dubio melior est conditio possidentis. **Hinc A**) Si equum tibi commodatum ad equitandum bona fide applicueris currui et casu perierit trahendo, ad nihil teneris, ante sententiam judicis. Idem dicendum, si equum, datum ad hebdomadam, retineris per 15 dies, putans hoc non displicere domino, et intra hoc tempus moriatur. Aliud esset, si *speciale pactum* intercessisset : v. g. Titius equum suum gratis commodat Cajo, ea lege, ut si casu pereat, teneatur restituere; tunc, equo pereunte, tenetur Cajus ejus valorem restituere. **Hinc B**) Non tenentur restituere famuli ex culpa mere juridica vasa frangentes,

nisi famulatum susceperint sub conditione, ut, si quid frangant, illud solvant, sive cum culpa fecerint, sive non. **Hinc C)** Tutores, Consiliarii, Confessarii, Parochi, Judices, Advocati, Medici, etc., non tenentur, ordinarie loquendo, reparare damna quae causaverint in officio suo ex culpa juridica *levi*, vel *levissima*; imo nec tenentur ex culpa *lata*, nisi simul sit *theologica*. Ex nullo enim capite constat, quod se obligent ad culpas mere juridicas, et plerique ad illas se obligare non vellent. Quare, si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum praebuerit, ad nihil tenetur. Dixi : *ordinarie*; nam si quis se ut diligentissimum obtrudat, vel exactissimam diligentiam promittat, atque ea de causa majus stipendium accipiat, eo ipso obligat se ad plus praestandum quam soleant alii, adeoque tenebitur ex culpa vel *levissima*.

CAP. V. De cooperantibus ad injustam damnificationem.

Q. 137. *Quinam* 1°) dicantur COOPERANTES ad damnum, et 2°) quot distinguantur ?

R. Ad 1um) Sunt illi qui ad damnum per alium inferendum efficaciter concurrunt.

R. Ad 2am) Sunt *novem*, juxta versiculos supra p. 105 citatos ; quorum *sex* priores dicuntur *positivi*, quatenus per positionem actus ad injustum damnum concurrunt ; *tres* reliqui *negativi*, quatenus ad illud concurrunt per omissionem actus ex justitia debiti.

Q. 138. *Quandonam* COOPERANTES ad damnum teneantur *ad restitutionem ?*

R. Quando *deliberate* et *efficaciter* ad injustum damnum alterius *effective* secutum operam suam contulerunt, domino *rationabiliter* invito, sive citra eorum cooperationem damnum adhuc fuisset secuturum, sive non. Tunc enim sunt revera causa damni injusti illati, ac proinde damnum ipsum dedisse censentur. Hinc (ROM. I, 32) dicuntur « *digni morte*, » non solum qui mala faciunt, « *sed etiam qui consentiunt facientibus.* » Hinc quoque INNOC. XI hanc profligavit propositionem sub n. 39 : « *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad*

restitutionem istius damni illati. » Consonant Cod. civ. (a. 1382), et Cod. poen. (aa. 59-63 et 73).

Explanatur. Dicitur : **1°) deliberate,** i. e. per CULPAM THEOLOGICAM : quia indeliberatio, uti impedit delictum, ita etiam obligationem restituendi ortam ex delicto. Quare excusat v. g. ignorantia invincibilis. Dicitur : **2°) efficaciter,** ita ut cooperatio hic et nunc influat in injustum damnum tertii. Quare, si damnum inferens nil prorsus moveatur ad illud inferendum tua jussione, consensu, etc., sed praecise sua passione propria, non poteris dici causa illius damni in *effectu*, sed in *affectu*, adeoque immunis eris a restitutione. Dicitur : **3°) effective secutum,** quia praeter injuriam formalem requiritur etiam materialis : alias rursus non fores causa injusti damni effective, sed tantum affective, quod nihil facit ad obligationem restituendi. Dicitur : **4°) rationabiliter invito,** qualis saepe esse non potest, v. g. si quis ex metu gravi per actionem indifferentem remote cooperetur ad damnum ; ideoque excusantur rustici, qui post iniquas depraedationes coguntur a militibus aut etiam latronibus, ut equos, currus, imo se ipsos accommodent ad vehenda spolia. Idem est, si cogantur sequi fures, modo nihil mali facere statuant, licet ex eorum consortio fures magis animentur. Tunc enim exercetur actio de se indifferens ad finem bonum, scilicet grave damnum evadendum ; ad furtum autem habent se permissive, nec tenentur cum tanto suo incommodo impedire. Dicitur : **5°) sive citra eorum cooperationem,** etc. ; licet enim aliqui putaverint ad obligationem restituendi requiri talem concursum, ut sine illo non fieret injusta damnificatio, oppositum tamen est verius ; sufficit enim, quod hic et nunc vere influas tua actione in damnum alterius, quod fieri potest, etsi sine illa damnum adhuc fieret : quia in moralibus nihil vetat plures esse causas adaequatas moventes ad eumdem effectum, sicut ab obligatione restituendi non absolvit, quod nisi tu fuisses ad damnum cooperatus, alii fuissent cooperati, et sic sine tua cooperatione adhuc damnum fuisset secutum. Hinc, si v. g. Titius ad damnum inferendum efficaciter moveatur consilio distincto duorum, quorum unus istud, alter aliud, sed uterque sufficiens et adaequatum damnificandi motivum suggessit, uterque, tanquam cooperans ad resti-

tutionem tenetur, licet sine alterutrius consilio damnum adhuc fieret, vel illatum fuisset.

Q. 139. *Quaenam* itaque requirantur, ut COOPERANS ad injustum damnum proximi contrahat obligationem *restituendi?*

R. *Tria* requiruntur : — 1°) *damnum injustum reipsa illatum ;* — 2°) *influxus ;* — 3°) *culpa theologica*, i. e. proprie dicta, qua intelligitur peccatum mortale seu veniale.

ART. I. De cooperatoribus positivis.

Q. 140. *Quis* dicatur MANDANS ?

R. MANDANS dicitur, qui jubet injustam damnificationem fieri suo nomine et in sui gratiam, sive habeat potestatem jubendi, sive non ; dummodo ex ejus imperio sequatur damnum, sive illud *expresse* jusserit, sive *tacite* tantum.

Explanatur. Ille mandat **expresse**, qui verbo aut scripto jubet nomine suo damnum fieri ; ille mandat **tacite**, qui id clare non exprimit, insinuat tamen, se velle aut cupere, ut fiat ; v. g. si superior coram subditis suis conqueritur, quod nemo ulciscatur injuriam sibi illatam; dicendo v. g. : *Quis me de tali vindicabit ! quam gratiam mihi faceret, si inimicum meum occideret !* Hinc occisio S. THOMAE Cantuariensis imputatur HENRICO II Angliae regi, saepius conquerenti coram aulicis suis : « *Se in suo regno cum uno sacerdote pacem habere non posse.* » (Off. Brev.).

Q. 141. *Ad quid* teneatur MANDANS ?

R. MANDANS tenetur reparare omne damnum quod *scienter* inferri jussit quodque *vi mandati* fuit *reipsa* illatum ; et non tantum id quod jussit expresse seu tacite, sed etiam quod saltem confuse praevidit ex mandato posse sequi et de facto secutum est ; v. g. famulo iracundo praecipit dominus, ut aliquem fustibus excipiat, et ipsum occidit. Aliud foret, si nullo modo praevideris damna, quae fuerunt praeter tuam intentionem illata a mandatario ; v. g. jussit dominus incendere horreum vicinum et famulus etiam proprietarium occidit. Similiter, si jusseris occidere Petrum, et mandatarius per errorem occidit Paulum, ad nihil teneris ante sententiam judicis.

Resolvitur. 1°) Mandans a restitutione liber est, quando ejus mandatum non habet tres conditiones requisitas (p. 116); scilicet: **A**) dum excusatur ab omni injuria formali ob ignorantiam vel inadvertentiam invincibilem; **B**) dum damnum effectu non sequitur; **C**) dum mandatum ejus nullo modo influxit in damnum. **Resol. 2°)** Si mandans revocaverit mandatum suum verbo, scripto, vel nuntio ante exsecutionem, et revocatio ad notitiam mandatarii ante exsecutionem pervenerit, non tenetur ad restitutionem: quia tali revocatione jam cessavit totus influxus mandantis in damnum et istud sequeretur ex sola malitia mandatarii. Debet tamen ex charitate praemonere damnificandum, ut sibi caveat, si utiliter et sine suo gravi incommodo possit. Hinc, si promissis tibi 100 aureis jusserim, ut inimicum meum occideres, dein poenitentia ductus mittam ad te litteras, serio significans, ut abstineas, tu vero, ut pecunia promissa potiaris, fingas te non recepisse litteras, sicque adhuc occidas, solus restitutioni et irregularitati es obnoxius, nec potes acquirere mercedem illam; insuper obligaris mihi ad resarciendum damnum, quod ex tali tuo homicidio mihi forte imputato obvenit: satis enim sciebas revocationem meam. **Resol. 3°)** Si autem revocatio mandantis ante exsecutionem non perveniat ad notitiam mandatarii, etiam ex culpa nuntii, v. g. quem mandans misit, et damnum sequatur, mandans adhuc tenetur ad restitutionem. Idem est, si revocatio fuerit quidem insinuata, sed mandatarius non crediderit esse seriam, aut ejus sit oblitus: quia damnum adhuc vere sequitur ex actione injusta praeterita mandantis. **Resol. 4°)** Si vellem, sed non possum amplius revocare mandatum, teneor *ex justitia* monere damnificandum, ut sibi caveat, etiam cum *aequali* meo damno: quia in pari causa melior esse debet conditio innocentis. Hinc, si vita Petri tunc periclitetur, teneor mea vita; si fama, mea fama; si bona temporalia, meis bonis temporalibus redimere. Si ex monitione mea immineat mihi damnum *longe majus* vel *altioris ordinis*, non teneor monere: quia censeor moraliter non posse; hinc, si Petro ex meo mandato inferendum sit damnum in bonis fortunae, non teneor eum monere, si ex monitione vita vel fama mea certo periclitetur; adhuc tamen teneor ad restitutionem damnorum ex mandato, quod revocare non possum, secutorum; sicut si dederim alicui venenum, cujus effectum postea

impedire non possum, licet poenitens libenter vellem. (Cfr. Q. 129. pag. 108). **Resol. 5°)** Si ipse mandatarius propter exsecutionem mandati patiatur damnum, v. g. vulneretur, incarceretur, etc., *distinguendum est* : **A)** vel ipse se *sponte* obtulit, et forte pretium accepit; **B)** vel fuit a mandante *deceptus*, vel *coactus*, utpote inferior respectu superioris. Si *primum*, mandans non tenetur mandatario compensare damna quae ipse patitur : « *quia volenti et scienti non fit injuria.* » Si vero *secundum* tunc *subdistinguendum est* : a) Si mandans in confuso ea praevidit, tanquam communiter conjuncta, tenetur ea reparare. b) Si nequidem in confuso, quia omnino extraordinaria, ad nihil tenetur, quia tunc nequidem indirecte sunt voluntaria; sed ubi non est culpa, ibi non potest esse poena. Casus esset, si mandatarius in itinere lapsus fuisset ex equo et passus infortunium, vel incidisset in manus latronum.

Q. 142. *Quis* 1°) dicatur CONSULENS, et 2°) quomodo *differat* a MANDANTE?

R. Ad 1um) CONSULENS sumitur *dupliciter* : 1°) Pro eo qui decernit de bonitate aut malitia actionis, v. g. dicendo contractum esse licitum, cum tamen sit illicitus; restitutionem non debere fieri, cum tamen sit facienda. Tales iniqui CONSULENTES fuerunt adolescentes enutriti cum ROBOAM, de quibus (3 REG. XII, 10 seq.). 2°) Pro eo, qui, supposita et cognita actionis injustitia, eam suasit, idque *tripliciter* fieri potest : *A)* simpliciter alliciendo precibus, blanditiis aut promissis, prout suasit HERODIAS filiae suae, ut peteret caput JOAN. BAPT. (MARC. VI. 24); *B)* proponendo actionem injustam sub specie utilitatis, voluptatis, honoris, sicut CAIPHAS suasit mortem Christi (JOAN. XI, 50); *C)* actionis injustae facilitatem ostendendo, quod praesertim fit suggerendo instrumenta, media, modos quibus efficaciter et tuto fieri possit. Sic JONADAB filius Semmaa fratris David influxit in incestum quem commisit AMNON cum sorore sua THAMAR (2 REG. XIII, 5).

R. Ad 2um) CONSULENS differt a MANDANTE maxime in hoc : quod MANDANS moveat ut res fiat suo nomine, non CONSULENS; unde exsecutor *mandati* agit nomine et in commodum MAN-

DANTIS ; exsecutor vero *consilii* agit nomine proprio, etsi ex CONSULENTIS impulsu.

Resolvitur. CONSILIUM potest esse : vel **doctrinale**, si consulens de alicujus actus justitia aut injustitia pronuntiat ; vel **impulsivum**, si movet exsecutorem ad actum. *Utrumque* vero potest esse : vel **nudum**, si mere enuntiat sententiam de justitia vel injustitia actus, aut ad illum mere adhortatur, nullis adhibitis motivis ; vel **vestitum** seu **qualificatum**, si rationes affert quibus consilium, sive *doctrinale*, sive *impulsivum*, confirmatur.

Q. 143. *Quid* statuendum circa CONSULENTEM ?

R. 1°) CONSULENS tenetur reparare damnum per exsecutorem illatum, si huic dedit consilium *injustum*, *efficax* et *graviter* (Q. 139) *culpabile ;* sive consilium fuerit *doctrinale*, vel *impulsivum*, sive *nudum* vel *vestitum*. Ratio : quia vere moraliter concurrit ad damnum injustum ac efficaciter in illud influit. Quod verum est, etiamsi ipso non consulente alius consilium dedisset : quia, qui praevenit injuria, praevenit et restitutione. R. 2°) CONSULENS, per se loquendo, non tenetur de damnis quae illi ipsi, cui consilium dedit, obveniunt. Ratio : quia CONSULENS, secus ac MANDANS, exsecutori nullam vim infert ; praeterea, qui consilium petit, eo libere utitur : scienti autem ac volenti non fit injuria. Dixi : *per se loquendo ;* nam excipe : *A)* Si consilium dolose datum fuerit, i. e. ad hoc, ut petenti consilium damnum obveniret ; *B)* Si consilium fuerit *doctrinale*, et consulens *affectet* peritiam, qua caret. In his enim casibus habetur deceptio et damnosa injuria, ex qua oritur obligatio restitutionis.

Resolvitur. 1°) Quando aliquis ex consilio alterius injustum damnum intulit proximo, *bona fide* vel invincibiliter ignorans esse injustum, tunc solus consulens, non autem ipse inferens tenetur ad restitutionem ex injusta damnificatione. Si autem id fecerit *mala fide* et sciens esse injustum, primo tenetur exsequens et solum in ejus defectu consulens. **Resol. 2°)** Si consulens status et officii sui profiteatur peritiam in ea re quam consulit, veluti si sit Doctor, Consiliarius, Advocatus, Confessarius, Medicus, Chirurgus, etc.,

tenetur ad restitutionem damni secuti : non tantum ex consilio scienter malo, seu ex certa scientia, sed etiam ex negligentia vel ignorantia graviter culpabili, sive erga petentem consilium, sive erga illum, contra quem datur, quia societas jus habet, ut talis consulens scientiam habeat suo officio convenientem. Si autem officii peritiam illius rei non profiteatur, tantum tenetur ex consilio doloso et scienter dato : quia talium hominum consilium non solet quis sequi, nisi illud prius exploraverit. Hoc tamen procedit, quando agitur de damno solius *petentis* consilium ; nam secus dicendum, si agatur de damno *tertii*, et ideo v. g. mulieres, plebeii et alii generatim, quorum nota est insufficientia, etiam tenentur erga alios quibus ex eorum imperitia damnum illatum est, si illud sufficienter praeviderint. **Resol. 3°)** Si tantum precibus, promissis aut simili modo suaseris, quod dicitur consilium *simplex*, et ante exsecutionem revoces, ad nihil teneris, quia cessat influxus. Idem est, si consilium falsum dedisti, v. g. dixisti licitum esse aliquem contractum, qui reipsa illicitus est, si antequam ineatur, fassus es te errasse, ad nihil teneris, si alter adhuc contractum ineat : quia jam malitia ipsius, non culpa tua movet, aut consilium datum, quod dissipasti. Si vero simul suggeras utilitatem, vel alia motiva nocendi, vel ostendas facilitatem seu viam et modum tuto furandi, quod dicitur consilium *qualificatum* seu *vestitum*, v. g. consulis homicidium ob decorem vindictae, vanae gloriae, abortum ad evitandam infamiam, aut ostendis occasionem secure furandi ; tunc, juxta plures adhuc teneris ad restitutionem, quamvis retractaveris, et serio dixeris, poenitere te consilii dati, ac enixe rogaveris, ut exsecutor desistat, hic vero consilio tuo motus desistere nolit et damnum nihilominus inferat : quia revocato tuo consilio, adhuc pergunt movere motiva. Ita, qui ignem in domum alienam injicit, tenetur de damno, etiamsi postea dolens conatus fuerit, sed frustra ignem exstinguere. Alii, et quidem *probabilius*, docent cum Card. Gotti, ex docta familia Dominicanorum, consulentem liberari ab omni onere restituendi, si ante exsecutionem consilium revocaverit, nihilque omiserit ad dissuadendum, confutando simul, quantum potest, motiva et rationes allegatas, dicendo v. g. rationes a me adductas condemno, et quidquid utilitatis temporalis ex maleficio haurire poteris, nihil est in comparatione damnationis aeternae,

cujus periculo temere te expones. Quod si consilium ita revocatum adhuc moveat, hoc provenit ex mala voluntate illius, qui illud recepit. Nec valet paritas cum igne injecto alienae domui, aut veneno propinato (pag. 108) : quia haec agunt *naturaliter* et *necessario;* consilium vero *moraliter, non necessitando.* **Resol. 4°)** Consulens, revocato consilio, si nequeat abstrahere alterum ab iniquo proposito, adhuc ex charitate tenetur monere tertium, ut suis rebus invigilet. Si vero revocare illud non potueris, v. g. ob distantiam loci, *ex justitia* quidem teneris monere, nisi ex admonitione tibi immineat longe majus damnum vel altioris ordinis quam sit damnum proximo ex tuo consilio illatum, ut supra dictum fuit de *mandante.* **Resol. 5°)** Si quis alium jam aliunde resolutum suo consilio tantum confirmaret ad damnum inferendum, *distinguendum est* : an consilium ita fuerit efficax, ut se solo suffecisset ad alterum persuadendum, nec ne. Si *primum,* adhuc tenetur restituere, quia jam fuit hic et nunc causa efficax damni, etsi illud sine eo adhuc fuisset secutum. Si *secundum,* non tenetur ob rationem oppositam, nisi ad excessum compensandum, si fuerit hujus causa, v. g. si sine ejus consilio minus damnum fuisset illatum. Quare si paratum efficaciter ad damnificandum moveas, ut *libentius, atrocius, gravius* exsequatur, non teneris nisi ad excessum damni qui ex tuo consilio est secutus, non vero ad totum, quia in damnificationem quoad substantiam non influxisti. Et haec sententia « *est mihi probabilior* » inquit S. Lig. (III, 563). **Resol. 6°)** In dubio, an tuum consilium fuerit causa damni, ex S. Lig. (III, 562) sententia « *satis etiam probabilis* » negat in tali dubio obligationem esse restitutionis. Idem dic in dubio an *mandatum, consensus,* verbo : quivis alius modus cooperandi, sive positive, sive negative, fuerit causa efficax damni. Quam sententiam videtur tenere S. Thom. (2. 2. q. 62, a. 7) inquiens : *Tunc solum tenetur* consiliator, *aut* palpo, *id est, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.* » Ubi, interpretante Concina, per vocem *probabiliter* S. Doctor intelligit « *moralem persuasionem et certitudinem.* » Ratio hujus sententiae est : quod nemo obligetur ad restitutionem, nisi omnino de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni illati.

Q. 144 An qui suo *malo exemplo* movet aut inducit alium, v. g. ad furandum, *teneatur* ad restitutionem ?

R. *Negative*, etiamsi hac intentione malum exemplum dederit, ut ille ex eo moveretur, dummodo tamen non etiam consilium dederit, aut alia via animaverit, aut debens ex officio impedire, non impedierit illius furtum.

Explanatur. Ita Salm., Valen., Mol., Sanch., Vasq., Less., Laym , Mazz., et alii communiter. Hancque sententiam « *probabiliorem* » vocat et sequitur S. Lig. (II, 44). Ratio : quia pravum exemplum non est vera causa influens in damnum, sed mera **occasio**, ad cujus praesentiam alii, sponte sua, inferendi damni animum capiunt. Aliunde intentio se sola non inducit obligationem justitiae (pag. 84). Nec obstat prop. ab Innoc. XI damnata sub n. 39 (pag. 114) : nam, ut explicat Cardenas, ille dicitur hic movere, qui mandat, consulit, consentit, adulatur, et de his loquens merito damnatur haec propositio : nam sunt verae causae morales damni illati tertio, adeo ut hoc eis tanquam auctoribus imputetur. Secus tamen dicendum, si exemplum induceret naturam mandati seu consilii, ut si v. g. dux militum inciperet praedari. — Juxta Bill., Sass., alios, contraria sententia *probabilior* videtur : quia exempla aeque, imo fortius movent quam verba ; unde dicitur communiter : « *Verba movent, exempla trahunt.* » Praeterea, ut dicit Sass. : « Licet tantum sit contra charitatem scandalizati, potest tamen esse contra justitiam tertii habentis jus, ut sine gravi causa non ponatur actio, ex qua alter moveatur ad inferendum illi damnum. » In praxi *prima* sententia est practice tuta, valetque regula juris 30 in 6 : « *In obscuris minimum est sequendum.* »

Q. 145. An *liceat* ei, qui *paratus est* inferre damnum *majus*, consulere *minus*, si alius modus non suppetat, eum a *majori* retrahendi ?

R. *Distinguendum* et videndum : an agatur de *eadem* vel *diversa* persona.

Explanatur. 1°) *Affirmative*, si suadeas malum minus inferendum **eidem** personae : quia sic utiliter geris rem alterius. Ita excusari potest Ruben (Gen. XXXVII, 22). Imo, in hoc casu, potes etiam opem ferre ad hoc inferendum, si id necessarium sit ad evi-

tandum majus malum et actio tua non sit intrinsece mala : v. g. parato occidere, si nequeas aliter dissuadere, nisi suadendo verberationem, potes ad id ei etiam ministrare instrumentum, non autem eum juvare, tenendo aut verberando; quia hæc, non illa, est actio intrinsece mala (Sanch., Mol., Mazz., Bon.). 2°) Si vero agatur de **alia** persona, *subdistinguendum* est : **A**) Si alter jam paratus sit duobus inferre damnum, v. g. furari pauperi et diviti, vel ambigat, cuinam ex illis potius furetur, licite ei consulis, ut potius furetur *soli* diviti : quia suades minus malum parato facere utrumque. **B**) Volenti majus damnum uni inferre, v. g. furari pauperi, licite suades *in genere*, ut a divite potius quam a paupere furetur, neminem designando : quia nemini facis injuriam, proponendo hanc veritatem. **C**) Utrum parato inferre damnum majus uni, licite suadeas inferre damnum minus alteri in *particulari* designato, v. g. parato furari 100 Titio pauperi suadeas furari 10 Cajo diviti, *controvertitur*. Alii *negant*. Alii probabilius *affirmant* : nam charitas postulat, tum ut volenti malum patrare suadeam minus, tum ut potius impediam damnum ejus qui plus pateretur, quam ejus qui minus. Hic igitur rationabiliter invitus esse non potest respectu illius, qui ex regula præcepti charitatis rem gerit. Cfr. tom. I, pag. 329.

Q. 146. *Quisnam* dicatur CONSENTIENS ?

R. Dicitur CONSENTIENS, qui suo exteriori consensu, calculo, suffragio, est causa *efficax* damni. Sic (III, Reg. XXI, 8) consensit Achab, ut Jezabel uxor ejus scriberet litteras nomine regis de occidendo Nabotii. Non autem dicitur CONSENTIENS, qui de damno inferendo aut jam illato simpliciter gaudet, delectatur, sibique complacet. Talis quidem peccat contra justitiam *affective*, non vero *effective*, quippe qui non influat in damnum, quod a suo consensu nullatenus dependet.

Resolvitur. 1°) Si ad legem iniquam decretandam, ad bellum injustum inferendum, ad hominem indignum promovendum, necessaria sint suffragia *omnium*, omnes quidem suffragatores ad compensationem damni tenentur, quia omnes sunt causa illius. **Resol. 2°**) Si autem requirantur suffragia *majoris partis* tantum, tunc tenentur illi soli, qui suis votis iniquis numerum requisitum

constituerunt; non autem alii subsequentes, sine quorum suffragiis damnum adhuc inferretur, quia non sunt causae damni efficaces. Excipe, nisi propter illorum suffragium augeatur poena, aut nisi unanimitas causa sit, cur princeps sequatur consilium, quod alioquin non fuisset secutus, aut nisi propter suam auctoritatem possent priores opinantes ab iniqua sententia revocare. **Resol. 3°)** Quod si de hoc dubitetur, quorumnam vota determinate illum numerum confecerint, utpote quia fuerunt secreta; seu, aliis verbis : si suffragia sint *secreta*, et dubitetur, an tuum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad sententiam, an vero ex posterioribus? tunc *triplex* datur sententia : **A**) *prima*, quae « *vera* » dicitur a S. Lig. (III, 566), omnes obligat ad compensationem injusti damni tanquam certo illati, sed non singulos in solidum, cum nullus certus sit de damno efficaciter a se causato, sed tantum pro *rata dubii;* **B**) *secunda*, quam tenent Salm., Bon., Dicast., alii, obligat omnes *in solidum :* quia omnes fuerunt concausae totius damni; **C**) *tertia*, cui, teste Lug. (disp. XIX, sect. I, n. 20), « *favet* S. Thom. » (2. 2. q. 62, a. 7), juxta dicta (pag. 121), et quam Spor. vocat « *non improbabilem* » simpliciter eximit omnes; et haec est practice tuta valetque regula : « *In obscuris minimum est sequendum.* »

Q. 147. *Quid* dicendum de PALPONE ?

R. Palpo seu ADULATOR dicitur, qui laudibus, adulationibus aut etiam exprobrationibus movet aliquem ad inferendum damnum, vel ad illatum non reparandum : puta, injuriam alteri illatam exaggerando aut exprobrando, a viro nobili non ferendam dictitando, vindictam extollendo, patientiam irridendo, paupertatem vituperando, furti utilitatem praedicando. Exemplum habetur (III Reg. XXI, 7) in Jezabel maritum suum Achab sic alloquente : « *Grandis auctoritatis es et bene regis regnum Israel.* » Palpo parum differt a CONSULENTE. Quid est enim aliud exprobrare alteri ejus ignaviam, aut laudare vindictam, nisi eam consulere ? sufficit autem, si PALPO praevideat ex tali actione probabiliter secuturam alterius damnificationem, aut de hoc prudenter dubitet. Quare non excusatur ex eo, quod dicat se non fecisse animo movendi ad

tale damnum. Potest tamen quandoque excusare bona fides, ignorantia vel inadvertentia.

Resolvitur 1. Qui marito exprobrat adulterium suae conjugis, et ideo ille impatiens ignominiae occidit adulterum vel adulteram, tenetur ad restitutionem, modo adverterit damnum saltem probabiliter esse secuturum : est enim causa efficax et culpabilis damnorum. **Resol. 2.** Qui autem post damnum illatum laudat damnificantem, peccat quidem graviter; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi laus vel adulatio esset causa, cur restitutio non fieret, aut novum damnum inferatur.

Q. 148. *Quis* 1°) dicatur RECEPTANS seu recursum dans et 2°) *quandonam* ad restitutionem *teneatur?*

R. Ad 1^{um}) RECEPTANS seu RECEPTATOR, gallice *recéleur*, ille dicitur, qui praebet alteri securitatem, commoditatem, protectionem ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum reparetur. Exemplum habetur (JUD. XX), ubi BENJAMITAE pertinacissime crimen commissum defenderunt.

R. Ad 2^{um}) Tenetur ad restitutionem, quando culpabiliter et efficaciter influit in damnum, ut fiat, vel factum non reparetur.

Resolvitur 1. Sunt RECEPTATORES et ad restitutionem tenentur : **A**) Qui vel ante factum offerunt malefactoribus domum suam in asylum, vel post factum ipsos recipiunt formaliter ut malefactores, eos scilicet, eorum instrumenta et furta ex industria receptando, custodiendo, occultando. Unde vulgare adagium : « *S'il n'y avait point de recéleur, il n'y aurait point de voleur.* » **B**) Belli duces aut magnates, qui milites aut subditos furta, rapinas, exactiones exercentes fovent ac protegunt. **C**) Caupones qui filiosfamilias alliciunt, pecunias aut mobilia a parentibus ablata occultant et saepe sibi vindicant in pretium compotationum. **D**) Veteramentarii qui promiscue omnia ad ipsos delata vili pretio emunt, cum tamen facile suspicentur res illas esse furtivas. **Resol. 2.** Excusari possunt caupones in hospitiis solitariis habitantes, dum latrones recipiunt, carnes furtivas coquunt, praedas custodiunt, easque furi reddunt, si faciant ex timore gravis mali, ne, v. g. incendant aedes : cum enim receptio sit indifferens, potest causam excusantem admittere. **Resol. 3** Similiter excusantur qui fures et male-

factores recipiunt, non quidem *formaliter* seu qua tales, sed tantum *materialiter*, i. e. qua hospites, consanguineos, amicos, dummodo per hoc non sint causa damni illati, restitutionis omissae, aut novi damni inferendi. **Resol. 4.** Pariter licite recipio furem et occulto, dum eum lictores insequuntur, ex commiseratione, ne capiatur, infametur, poenam praesertim capitalem luat : cum enim licite ipse fugiat, mihi licet eum adjuvare, dummodo tamen fugienti non praebeatur spes similis in posterum recursus, qua confisus, tunc evadens non solum non restituat ablata, sed et nova damna rursus inferat. **Resol. 5.** Denique advocatus licite defendit malefactores in judicio quoad illa in quibus ipsimet possunt se defendere, v. g. dum factum adhuc est occultum vel in judicio plene probari nequit; dum contra eos proceditur non servato juris ordine : defenduntur enim tunc non ut malefactores, sed ut jus habentes.

Q. 149. *Quid* dicendum de PARTICIPANTE ?

R. PARTICIPANS sumi potest *dupliciter* : 1°) vel pro participante *in praeda* seu in re ipsa injusta accepta ; 2°) vel pro participante *in delicto* seu in crimine et in injusta acceptione. Participans *in praeda*, tenetur ad restitutionem, sicut *possessor rei alienae*, de quo diximus (pag. 99 seqq.). Unde videndum, an fuerit *bonae*, vel *malae* fidei. Participans *in delicto*, tenetur ut *damnificator*, sive *physicus*, sive *moralis* (p. 105).

Explanatur. PARTICIPANS *primo* modo seu **in praeda**, si **A**) participat *bona fide*, ea cessante, tenetur ad restitutionem ejusdem rei, si exstet, vel ejus, in quo factus est ditior, si amplius res ipsa non exstet ; quod si non exstet in se, neque in aequivalente, ad nihil tenetur. Si vero **B**) participat *mala fide*, tenetur etiam ratione injustae acceptionis, et ideo, quamvis res perierit, obligatur ad restitutionem, ut diximus de possessore malae fidei (pag. 102 seq.). PARTICIPANS *secundo* modo seu **in delicto** vel potest participare : **A**) *physice* seu *immediate* (pag. 105), i. e. tanquam socius et exsecutor criminis, quatenus simul cum alio crimen v. g. furti vel homicidii committat, et iste sine dubio tenetur restituere, cum sit exsecutor seu concausa criminis. Vel potest participare **B**) *moraliter* seu *mediate*, i. e. non quidem crimen exsequendo vel committendo, sed damnificationi *cooperando*, quod iterum *dupli-*

citer contingere potest : vel *formaliter*, vel *materialiter* tantum (tom. I, pag. 330 seqq.). Si cooperatio fuerit *formalis*, directe cooperando in actu criminoso, nempe : aut ad malam voluntatem concurrendo ; aut ponendo actum intrinsece malum, etiam ob finem bonum ; aut malum ipsum quovis modo intendendo, participans seu cooperans semper peccat et ad restitutionem tenetur. Si vero cooperatio fuerit tantum *materialis*, scilicet in actione de se indifferente et praecise per intentionem malam furis aut alterius damnificatoris directa ad damnum tertii, v. g. asportando vel tenendo scalas furi domum inscendenti, tunc propter metum gravem vel aliam gravem causam excusatur a peccato et ab onere restitutionis : quia licitum est actionem de se indifferentem ad finem bonum talis mali cavendi exercere (tom. I, pag. 17, q. 9).

Resolvitur. 1°) Peccant et ad restitutionem tenentur Christiani captivi apud Turcas, si ex gravi metu, ne scilicet ab his occidantur, explodunt bombardas in Christianos : quia haec est actio intrinsece mala per se damnificativa Christianorum ; secus vero, si eodem metu cogantur remigare contra Christianos, sarcinas advehere, bombardas aptare, fossas agere : quia sunt actiones per se indifferentes quibus Turcae possent bene uti, si vellent (Bened. XIV, *de Syn.* l. XIII, c. XX, n. 6). **Resol. 2°)** Qui gravi metu a fure coactus effringit ipse arcam vel excubias agit, vel res foras projicit, peccat et ad restitutionem tenetur : quia praestat opus intrinsece malum contra justitiam, nisi damnificatus teneretur ex charitate non esse rationabiliter invitus, ut limitant DD. cum Cast. Palao et Mol., puta si ageretur de metu *mortis*, prout explicatum fuit (tom. I, pag. 331). Secus vero, si gravi metu coactus praebet tantum claves, vel instrumenta furi, quibus ille arcam confringat ; vel scales tenet, dum fur murum ascendit, vel praedas jam ablatas juvat asportare : quia sic ex justa causa, gravis scilicet metus, actiones per se indifferentes exercet. Nec obstat propositio damnata ab Innoc. XI sub n. 51 (tom. I, pag. 333). *Duplicem* enim, ut recte notat Bill., errorem continet : **A**) quod famulum in peccatis heri participantem excuset ob metum *levem*, v. g. « *ne torvis oculis aspiciatur ;* » **B**) quod excuset famulum, etiamsi *multoties* hero deserviat ad malum perpetrandum, cum prima opportunitate teneatur ejusmodi famulatum deserere. **Resol. 3°)** Qui vendit arma,

venena, etc., machinanti mortem, si vendat ei expresse ad hunc finem petenti, certo participat in ejus delicto et tenetur de damno secuto; secus vero, si vendat ei dicenti se petere ad alium finem, etiamsi suspicaretur, eum malo fine revera petere : quia sic vendit eo modo quo vendi solent aliis, et talis venditio est indifferens ad usum bonum et malum, nec de se determinatur ad finem quem alter occulte intendit. Sic nec censetur cooperari ad superstitionem, qui vendit agnum Judaeo, quem putat sacrificii causa emere (Mazz.).

ART. II. De cooperatoribus negativis.

Q. 150. *Quinam* dicantur COOPERATORES *negativi* in actione damnificativa ?

R. Sunt illi qui non impediunt damnum alterius, etsi possint et debeant illud impedire. *Tres* vulgo numerantur : 1°) MUTUS, qui ante damnum illatum non loquitur, non monet, non clamat, ne damnum fiat. 2°) NON OBSTANS, qui, dum damnum infertur, non impedit, rem non custodit, personam non defendit. 3°) NON MANIFESTANS, qui damnificantem non manifestat post factum, ut reparetur.

Q. 151. *Quandonam* COOPERATORES *negativi* teneantur in conscientia *restituere ?*

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 62, a. 7 in corp. et ad 3) tunc tantum tenentur, quando *ex negligentia graviter culpabili* non impediunt damnum alterius, etsi *moraliter*, i. e. absque gravi respective incommodo possint, et *ex justitia*, i. e. ex officio, contractu, vel stipendio debeant illud impedire. Non vero tenentur restituere, quando tantum tenebantur *ex charitate* impedire vel alia virtute, etiam justitiae annexa, v. g. gratitudine, fidelitate, imo justitia legali. Quod verum est, etiamsi studio permiserint damnum ex odio aut vindicta : quia odium non est causa restitutionis, sed injustitia commissa. Imo, nec tenerentur restituere, si pravo animo impediunt alium volentem ex charitate impedire damnum tertii : quia sic impediunt solum actum charitatis illius et ad quem damnificatus non habebat jus strictum. Excipe tamen, nisi illum impediverint *vi* aut

fraude : quia damnificatus habebat jus, ne vi et fraude impediretur talis actus charitatis. Cfr. Bill. ; Sass.

Resolvitur. 1°) *Principes, Magistratus* et alii *Superiores*, quibus ex officio incumbit procurare indemnitatem subditorum, tenentur ad restitutionem damnorum a latronibus, furibus vel ab aliis illatorum suis subditis, si ex negligentia graviter culpabili non impediant. **Resol. 2°)** *Assessores, Consiliarii*, etc., quibus ex officio competit jus suffragii, per se loquendo peccant et tenentur ad restitutionem, quando subterfugiunt Senatum, Capitulum, etc., sub praetextu v. g. infirmitatis, si impedire possent iniquas sententias; per accidens liberari possunt : **A)** Si adesset justa causa se absentandi, quae tamen debet esse gravissima, dum constat v. g. Senatori rem magni momenti esse tractandam, et esse periculum, ne per suam absentiam noceat. **B)** Quando talis se absentans certo novit, etiam se praesente rem fore decidendam, suumque suffragium ad aliud non serviturum, quam ut grave odium sibi pariat et graves rixas excitet; ubi tamen saepe contingit, ut nimium sibi blandiatur proprius timor et respectus humanus : nam saepe etiam unius cordata sentiendi libertas multorum inordinatum timorem discutit, vel saltem impedit alios, ne in posterum tum facile consentiant in facta iniqua. **Resol. 3°)** *Custodes vinearum, sylvarum, piscinarum, gabellarum* seu *vectigalium* obligantur ad compensanda damna per suam gravem negligentiam directe secuta a furibus vel defraudantibus, modo tamen damna sint magni momenti et dominus sit rationabiliter invitus; quare excusari possunt, si subinde benignius agant in re levi praesertim cum pauperibus vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt. Ad mulctam tamen, quam deprehensus solvere debuisset, praestandam, non tenentur : quia, ut recte notat Bill., officium illorum non est locupletare dominum aut fiscum ex lucro poenarum, sed tantum vectigalia recipere et res sibi concreditas indemnes servare. **Resol. 4°)** *Famuli, domestici*, quibus cura specialis domus aut rei familiaris commissa est (ut sunt oeconomi, coqui, granarii, cellarii respective ad rem sibi commissam), sub onere restitutionis tenentur impedire damna vel furta, nedum ab *extraneis*, verum etiam a *domesticis* inferenda. Quod idem intelligendum est de iis, quibus herus tradit clavem ad aliquid a loco clauso afferendum. Alii autem famuli vel ancillae, quibus non est

specialiter commissa cura seu custodia rerum, probabiliter non tenentur sub onere restitutionis impedire damna ab aliis *domesticis* inferenda : « Quamvis enim, ait Sass., per se loquendo peccent tacendo, non tamen ex officio vel justitia tenentur res domini tueri contra domesticos, quia officium domini est curare, ut domesticos habeat fideles. » Utrum ad hoc teneantur, si inferantur ab *extraneis* aut etiam a domesticis qui cum rebus convasatis fugere intendunt, quippe tunc ut extranei censentur, DD. *disputant*. Communius *affirmant* : quia ratione famulatus implicite se obligant ad res domini tuendas contra extraneos; haec enim est communis persuasio. Gravissimi tamen *negant* cum Molina, Rebello, Bonacina, Azor : quia famulantes simpliciter se conducunt ad laborandum, non vero ad alterius bona custodienda. Cui sententiae quilibet tuto adhaerere potest. **Resol. 5°)** *Reus* juridice interrogatus de damno illato, si crimen negat, tenetur quidem damna resarcire parti laesae prius illata, non tamen solvere mulctas judici vel fisco, quas per suam negationem effugit : quia non tenetur fateri veritatem ex justitia commutativa, sed solum ex legali et ex obedientia, quae non producunt obligationem restituendi (Spor.). *Testis* autem a judice interrogatus, si dicat falsum cum damno tertii, tenetur utique ad restitutionem : quia tunc est causa positiva hujus damni; non autem si mere dissimulet verum : quia non tenetur ex justitia commutativa aperire veritatem, sed tantum ex charitate erga innocentem, et ex obedientia erga judicem, aut etiam ex religione, si juraverit dicere veritatem (Bill., Spor., Sass.). **Resol. 6°)** Non tenetur ad restitutionem qui extreme indigenti non succurrit, licet exinde moriatur : quia peccavit tantum contra charitatem. Idem est de illo, qui videt hominem ab inimicis invadi et non succurrit cum facile possit mortem impedire; sicut et de illo qui, cum possit suo clamore furem deterrere a furto et non facit; quae vera sunt, licet id faciat ex animo pravo, ex odio. Imo, si quis ex odio, attamen sine vi aut fraude impediat Titium volentem obstare furi et impedire damnum Caji ad quod Titius tantum ex charitate tenebatur, non tenetur ad restitutionem : si enim non peccat contra justitiam Titius non obstando, non peccat contra justitiam, qui impedit Titium, ne obstet. Si autem vi vel dolo impediat, tenetur : quia dominus habet jus, ne sic impediatur sui defensio (Sass.).

Resol. 7°) Si scias Titium velle in gratiam tui damnum inferre tertio et taceas; tunc, si Titius omnino ignorabat suam voluntatem esse tibi notam, tu non teneris de damno secuto : quia non tenebaris ex officio, ut suppono, obstare. Secus vero dicendum, si Titius sciebat suam voluntatem esse tibi notam, quia sic tua taciturnitas fuit ei quidam veluti consensus (Lacroix). **Resol. 8°**) Si in via adverteris esse praedones et ab occurrentibus interrogatus neges te advertisse, adeoque hi quasi securi pergant ire, et sic ab illis spolientur, teneris haec damna compensare : quia, quamvis ex justitia non tenebaris manifestare praedones; tamen ex justitia tenebaris interrogatus non occultare et non inducere alios per mendacium, ut pergerent (Sylvius). **Resol. 9°**) Peccant et ad restitutionem tenentur, qui, dum aliquid vendunt, emunt, commutant, etc., advertunt alteram partem errare, v. g. minus exigendo, quam sibi debeatur, vel plus, quam debet, solvendo, et nihilominus tacentes recipiunt; tenentur enim monere et accipiunt alienum invito rationabiliter domino. **Resol. 10°**) Qui non impedit id, ad quod ex justitia tenetur, ut obligetur ad restitutionem, debet posse illud impedire sine suo majori aut etiam aequali damno in vita, honore, fama aut bonis fortunae; non enim censentur similes haec officia suscepisse cum tanto suo gravamine, nisi intercedat speciale pactum, ut est v. g. in milite qui etiam cum evidenti periculo vitae servare debet stationem suam; similiter parochus cum periculo vitae debet administrare sacramenta necessaria, suos contra haereticos ab errore defendere : quia ad hoc sunt constituti (Bill. ; Sass.).

Q. 152. An *confessarius*, qui ex ignorantia aut negligentia *graviter culpabili* non monet poenitentem de restitutione facienda, *teneatur* ipse *restituere ?*

R. Confessarius qua talis, sive ex officio habeat curam animarum, ut parochus, sive non, si mere *negative* se habeat tacendo, non tantum non tenetur ad restitutionem respectu tertii, sed nequidem respectu ipsius poenitentis, si ex ejus omissione sequatur illi damnum temporale, puta, si ob neglectam restitutionem aliquas expensas ferre debuerit : quia non tenetur ex proprio suo officio consulere bono *temporali* ipsius poenitentis, multo minus alterius. Tenetur tamen ex charitate

erga tertium monere in confessione sequenti poenitentem de restitutione facienda, vel extra confessionem, si commode potest, petita prius ab eo licentia loquendi, quam tamen si ille neget, cessat obligatio charitatis. Dixi : *si mere negative ;* nam si non solum non monuit, sed et positive deobligavit poenitentem, v. g. dicendo sive *expresse* eum non teneri restituere, sive *tacite*, ut si interrogatus responsum ita declinet, ut non restitutionem suadeat, tenetur ad compensanda damna erga utrumque, quia tunc ut consulens in ea damna positive influit. Satisfacit tamen huic oneri, si in confessione sequenti reparare possit tale damnum; aut etiam extra confessionem, petita licentia; quam tamen si ille neget, vel si damnum ille amplius reparare non possit, tenetur ipse confessarius ex suo restituere, dummodo culpabiliter antea deobligaverit : quia sic tenetur ex injusta acceptione seu damnificatione; secus vero, si inculpabiliter deobligaverit. Ita Bill., Mazz., Bon. et alii communiter.

Q. 152. An *teneatur* ad restitutionem qui accepit pecuniam a *fure* ad tacendum, si ex officio clamare non debet?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Quod **pecuniam** a fure acceptam attinet, si **A**) fuerit *pars praedae*, debet ea restitui domino, ratione rei acceptae; si vero **B** eam donaverit fur *de suo*, potest retineri *post* furtum jam commissum, quia turpe lucrum post opus impletum retineri potest; non vero *ante* furtum, quia contractus fuit nullus utpote de re illicita saltem contra charitatem. 2°) Quod vero **damna** attinet a fure illata, utrum debeant reparari, DD. *disputant.* Alii *affirmant :* quia tacendo et non impediendo ob pecuniam acceptam, non solum negative, sed etiam positive concurrit ad furtum, reddendo furem animosiorem et securiorem. « Et haec sententia est absolute tenenda », ait Sass. Alii cum Dom. Soto probabilius et merito *negant*, saltem per se : quia tacere posset ob *preces* furis absque injustitia, si quidem clamare non tenetur. Ergo a pari ob munera promissa vel tradita tacere potest absque injustitia. Dixi : *per se;* nam secus foret dicendum, si pecuniam acciperet ad observandum, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

CAP. VI. De circumstantiis restitutionis.

ART. I. Quantum sit restituendum, ubi de solidaritate.

Q. 154. *Quaenam* sint *circumstantiae* restitutionis?

R. Praecipuae sunt sequentes, hoc versu contentae :
«*Quantum restitues, cui, quo ordine, quomodo, quando?*»

Q. 155. QUANTUM restitui *debeat?*

R. *Per se* restitui debet id et tantum, quod et quantum ablatum vel damnificatum est, ac proinde secundum proportionem influxus seu causalitatis in damnificando, utpote quae est tota radix ipsius restitutionis.

Explanatur. Ratio est : quia restitutio est actus justitiae *commutativae*, quae reddit alteri jus suum secundum proportionem *arithmeticam* (pag. 5). Dixi : **per se**; quia si possessor bonae fidei rem ablatam consumpsit, tunc *per accidens* id tantum restituere debet in quantum factus est ditior. Praeterea nemo damnum restituere debet de quo ab ipso cogitatum non fuit, i. e. quod non fuit praevisum, ne in confuso quidem. Quare, si quis v. g. annulum aureum surripuerit, et postea aereum putans in mare projecerit, aerei fiet aestimatio (S. Lig. III, 613; Cfr. p. 110, q. 132). Similiter, si tignum vitiosum vendideris, et aedes vitio tigni corruerint, si quidem ignorans vitiosum esse, solius tigni valorem praestabis; si vero sciens, aedium quoque aestimationem dabis et eorum quae pro conditione domini in aedibus fuerint; at non si quae pretiosissima alius forte eis reposuit, quaeque vix credibile erat penes dominum aedium fuisse.

Q. 156. An 1°) aliquando *damnificatores*, i. e. EXSECUTOR vel EXSECUTORES et *singuli* sive *positive*, sive *negative* COOPERANTES ad furtum vel ad damnum, teneantur restituere IN SOLIDUM; et 2°) *quid* hoc sit?

R. Ad 1^{um}) *Affirmative.*

R. Ad 2^{um}) *In solidum*, seu in integrum restituere, idem est ac totum damnum illatum integre resarcire.

Explanatur. Haec autem **solidaritas,** seu obligatio integrum damnum illatum reparandi, potest esse : vel **absoluta**, quae locum

habet, quando quis inter varios damnificatores, tenetur solus totum damnum reparare, quin habeat jus se recompensandi ab aliis, ut evenit in principali agenti, v. g. in mandante; vel potest esse **conditionata**, ex qua singuli damnificatores totum restituere tenentur pro aliis singulis deficientibus, sed cum jure se ab his recompensandi, ita scilicet, ut quisque in particulari teneatur compensare *totum* damnum, non quidem *absolute :* alias laeso saepe deberet decuplo plus restitui quam amiserit; sed veluti *conditionate:* i. e. in defectu aliorum, qui vel non possunt, vel non volunt restituere, salvo tamen recursu illius, qui solvit, contra alios. Hinc v. g. si tres ad furtum 30 aureorum ex mutuo consilio concurrant, singuli per se tenentur tantum reddere 10 aureos; sed si duo vel non possint, vel non velint suam partem restituere, tertius deberet dare 30, salvo tamen recursu contra alios.

Q. 157. Dic : 1°) *Quandonam* DAMNIFICATORES *teneantur* restituere IN SOLIDUM? 2°) *Quandonam* vero *non?*

R. Ad 1^{um}) Tenentur IN SOLIDUM, sive *absolute*, sive saltem *conditionate*, quando sunt causa efficax *totius damni*, ac proinde *totum damnum* singulorum actioni damnificativae adscribi potest. Hoc autem fit in *duobus* casibus.

Explanatur. Et quidem **1°**) tenetur ad restitutionem IN SOLIDUM **absolute** : quicumque fuit totius damni causa efficax *principalis*, uti mandans et exsecutor, ex quibus mandans in genere moris, exsecutor in genere physico est causa principalis. Ratio est : quia principalis agens ipso facto in se suscipit absolute totum onus reparandi damnum, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Et ideo, si damnum ipse restituat, vel condonationem a domino obtineat, ceteri omnes damnificatores liberi sunt. Si vero aliae causae minus principales seu secundariae ut consentiens, palpo, mutus, etc., restituant, debet illis compensare. E contra **2°**) tenetur ad restitutionem IN SOLIDUM **conditionate** : quilibet ex damnificatoribus *secundariis*, concurrens ad totum damnum efficaciter; ita ut debeat restituere totum, si ceterae concausae deficiant, quae in totam damnificationem influxerunt, sed cum jure se ab his recompensandi. Porro damnificatoribus singulis *totum* damnum *certo* adscri-

bendum est in **duobus casibus** : **A**) Quando actio singulorum est *necessaria*, licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; v. g. si adjuves furem ascendentem ad furandum, cum secus ascendere solus non potuisset; si praebeas suffragium necessarium ad injustam sententiam, ut si 6 vel 7 vota sint necessaria ad iniquum tributum, ad condemnandum innocentem, etc.; si tres auferant arcam, quam duo auferre non potuissent; aut si quatuor latrones spolient viatorem, quem tres spoliare non valuissent. Ratio est : quia, licet damnum a singulis *physice* partialiter causetur, *moraliter* tamen totum a singulis procedit : si enim unus desisteret, damnum non fieret. **B**) Quando actio singulorum fit cum stricta *conspiratione*, ita ut omnes se invicem excitent sive moveant ad damnum, ut si plures mutuo consilio, exhortatione, auxilio, velut una manu damnum inferant, v. g. vineam devastent, domum incendant, viatorem spolient, suffragium in electione ferant. Ratio eadem est : quia, cum ex communi consilio damnificatio peracta fuerit, actio omnium fit *communis*, seu datur unica actio moralis, ex qua damnum grave sequitur.

R. Ad 2^{um}) E contra damnificatores non tenentur IN SOLIDUM, si singuli non nisi *partialiter* in damnum influunt : quia tota ratio obligationis est causalitas et influxus in damnum; ergo non debet esse major obligatio quam sit influxus; ergo cum hi *partialiter* solum influant in damnum, solum partialiter obligantur.

Explanatur. Damnificatores *partialiter* tantum influunt in damnum : quando actio damnificativa *neque est de se sufficiens*, neque *necessaria* ad totum damnum, *neque ex conspiratione* procedit; ut si v. g. quatuor absque mutuo consilio sarcinam furtivam asportent, quam tres etiam asportassent; aut si plures studiosi absque mutuis consiliis vineam devastent, quamvis mutua praesentia se quodammodo animent. Utrum vero idem dicendum sit, quando actio damnificativa est quidem *sufficiens* ad totum damnum inferendum sed minime *necessaria*, neque ex *stricta conspiratione* procedit, ut si plures communi inimico vulnus lethale infligant, vel ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apponas, absque tamen mutua conspiratione, inter DD. *disputatur*. Alii *negant* cum

Soto, Cajet., Ronc., Sanch., Salmant. : quia ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. Alii *affirmant* cum Silvest., Navar., Lug., Spor. : quia, licet actio damnificativa fuerit *sufficiens* ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit *necessaria*, neque communis cum aliis *ex conspiratione*. Ergo non fuit causa moralis totius damni. Utramque sententiam *probabilem* habet S. Lig. (III, 579).

Q. 158. An tenearis AD SOLIDUM *in dubio* : 1°) an influxeris in totum damnum; 2°) an alii suam partem pro rata restituerint?

R. Quoad utrumque probabiliter *negative*.

Explanatur. Nam, quoad **primum,** onus certum imponi nequit pro incerta obligatione (S. Lig. III, 579). Quoad **secundum,** manente dubio et adhibita, ut supponitur, sufficienti diligentia, dubium est de obligatione adeoque libertas in possessione. Quare, nisi constet aut saltem prudenter praesumas, alios suae parti non satisfecisse et non posse aut nolle satisfacere, non teneris partem aliorum restituere. Ita Sass., Ronc., Salmant., alii. Oppositum tenet S. Lig. (III, 579) cum aliis. Horum ratio est : quia, ubi debitum est certum et solutio dubia, jus domini possidet ; et obligatio illum indemnem reddendi tenet nocentem, donec hic probaverit vel moraliter certus fuerit, integram solutionem esse factam.

Q. 159. An obligatio restituendi IN SOLIDUM semper sit *urgenda?*

R. *Negative* : nam, quoad causas *secundarias*, in praxi raro expedit rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum. Non enim hujusmodi obligationem intelligunt, siquidem existiment, satis esse, si unusquisque partem suam restituat. Quin imo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam : cum aliter valde sit timendum, ut nihil restituant, si obligentur ad totum. Cfr. S. Lig. (III, 579; H. A. X, 54; Prax. n. 44).

ART. II. Cui sit restituendum.

Q. 160. *Cui* sint restituenda DEBITA *certa*, i. e. quorum dominus aut creditor *certo* innotescit?

R. 1°) Ex S. THOM. (2. 2. q. 62, a. 5) DEBITA *certa*, vel ex delicto, vel ex contractu, ordinarie sunt restituenda ipsi domino *immediate*, nisi excuset causa rationabilis, quae *quadruplex* est.

Resolvitur. Hinc excusaris : **A**) Si dominus vel creditor ipse nolit, vel ei non possit immediate restitui. **B**) Si restitutio cederet in damnum ipsius creditoris, vel tertii vel communitatis. Sic debitor tenetur, saltem ex charitate, debitum non reddere domino, quando is eo abusurus est in ruinam spiritualem sui vel alterius, v. g. si repetat pecuniam apud illum depositam in ordine ad peccandum ; nisi adsit justa causa excusans, v. g. ut sine magno suo incommodo illud denegare nequeat. Debet tamen esse moraliter certus de abusu futuro, et spes adesse debet talem detentionem profuturam ad evitandum peccatum. Dixi : *saltem ex charitate ;* quia si dominus foret mox re restituta abusurus contra justitiam, v. g. gladio reddito ad se vel alium innocentem occidendum, tenetur debitor etiam *ex justitia* et sub onere restitutionis eam domino non reddere; quia alias reputaretur tanquam proxime cooperans ad damnum injustum alterius. Intellige rursus si res commode negari possit. Et hinc, si v. g. latro minetur tibi mortem nisi ei reddas gladium, potes reddere, quamvis tali mox alterum occidendum videas : nemo enim tenetur damnum alienum vitare cum gravi damno suo ; si tamen ille, qui praevidetur occidendus, esset persona publica bono communi valde necessaria, tenereris non reddere, si per hoc illum salvare posses (BILL. ; SASS.). **C**) Si velis compensare debitum, alias difficulter recuperandum, quo etiam pertinet restitutio rei furtivae facta furi ab emptore, etiam malae fidei, ad recuperandum pretium (pag. 100 seq.). **D**) Si quis ex rationabili causa solvat creditoris sui creditori, utpote qui alias debitum suum nec via judicii, nec alia ratione consequi posset. Interim in foro externo valde periculosa est talis restitutio. Sic enim habet art. 1239. « *Le payement doit être fait au créancier, ou à quelqu'un ayant pouvoir de lui, ou qui*

soit autorisé par justice ou par la loi, à recevoir pour lui. Le payement fait à celui qui n'aurait pas pouvoir de recevoir pour le créancier, est valable, si celui-ci le ratifie, ou s'il en a profité. »

R. 2°) Si res ablata sit non ipsi domino *directo*, sed alteri justo possessori, v. g. commodatario, depositario, conductori, administratori, tutori, etc., tunc illis immediate facienda est restitutio, non ipsi domino, saltem ordinarie et nisi excuset causa rationabilis.

Resolvitur. Hinc excusaris : **A**) Si possessori nihil intersit, vel domino intersit, ut sibi immediate restitutio fiat. **B**) Si ille, a quo rem abstulisti, fuerit possessor iniquus; tunc teneris restituere domino, si tua indemnitas aliud non exigat. **C**) Si quidem fuerit possessor bonae fidei, sed erronce existimavit rem esse suam, et nullo interveniente pacto depositi, pignoris, locati etc., acceperit.

R. 3°) Quando dominus vel possessor est defunctus, debitum reddendum est ejus haeredibus : quia haeres etiam ab intestato succedit in omnia jura realia defuncti, adeoque in jura debitorum realium sive ex contractu sive ex delicto aliorum. Nec sufficit dari pauperibus vel legi missas pro anima defuncti : quia jam non defunctus, sed illius haeres dominium habet. « Si vero, ait Bill., non habeat haeredes, aut hi sint omnino ignoti etiam inquisitione facta, nec de bonis disposuerit; quidam dicunt esse eroganda in usus pios : quia sic praesumitur fuisse voluntatem defuncti. Alii dicunt id esse incertum et defunctum forte aliud voluisse ante mortem, et hanc voluntatem incertam domini non amplius exsistentis non posse ligare viventes, proindeque haec bona censeri *derelicta* seu *vacantia*, et sic esse primo occupantis seu remanere debitori. Utraque sententia est probabilis, casu quo non sint haeredes defuncti; sed si exsistant et sint ignoti, primae sententiae est standum.» In **praxi** haec sententia saltem est consulenda, ut dicetur in sequentibus.

Q. 161. *Cui* restitui debeant DEBITA *incerta*, i. e. quorum dominus est incertus?

Praenotandum. DEBITA alia sunt incerta **simpliciter,** quorum scilicet dominus omnino ignoratur, vel illi, utpote absenti, nunquam

posse restitui putatur. Alia sunt incerta **secundum quid**, quorum dominus noscitur in confuso, nimirum quod unus e duobus aut tribus, vel aliqui ex communitate sint, indeterminate tamen. Item DEBITA alia sunt ex *delicto;* alia ex *contractu* vel *ex re accepta* bona fide. Quo posito :

R. *Distinguendum* est inter DEBITA incerta *simpliciter* et DEBITA incerta *secundum quid*, et insuper videndum : an oriantur *ex delicto* vel *non*.

Explanatur. 1°) DEBITA *simpliciter* incerta, si **A**) proveniant ex delicto *formali*, v. g. ex fraude in contractu, ex furto, ex damnificatione formaliter injusta, etc., debent restitui pauperibus vel in pias causas impendi. Ita expresse statuit ALEX. III in cap. 5 « *Cum tu* » de usuris. Non est tamen opus indigentiores exquirere; et si debitor sit ipse vere pauper, potest sibi retinere. Caveat tamen, ne paupertatem tantummodo fingat in perniciem propriae suae animae. Quod si praemissa debita inquisitione, res data sit pauperibus vel applicata piis causis et deinceps dominus compareat, ad nihil tenetur prior detentor : non ex re accepta, quia eam amplius non habet; neque ex injusta acceptione : licet enim mala fide, v. g. furto acceperit, postquam tamen dominum invenire non potuit, culpam purgavit, expendendo juxta voluntatem domini prudenter praesumptam. Si tamen res adhuc exstet apud pauperes, restituenda est domino; quia prior distributio erat tantum conditionata : *Si non compareat dominus;* ergo hoc comparente, antequam sit consumpta, huic est restituenda. 2°) DEBITA *simpliciter* incerta, si **B**) proveniant non ex delicto, sed ex *contractu* vel ex *re accepta* bona fide, ut si emptor ignotus soluto tibi pretio rem emptam non repetat, post factam debitam inquisitionem, juxta alios probabiliter possunt licite retineri et absumi a debitore; juxta alios vero debent erogari pauperibus vel in causas pias expendi, nisi debitor ipse sit pauper, ut saltem prosit spiritualiter quod corporaliter prodesse nequit; et haec sententia, propter auctoritatem S. THOM. et CATH. CONC. TRID., in praxi saltem est suadenda, ut supra de *rebus inventis* (pag. 52) dictum fuit. 3°) Denique, quando DEBITA sunt incerta *secundum quid* tantum, sive dein ex delicto, sive ex contractu, non possunt retineri, nec dari pauperibus, sed ipsis, de quibus dubitatur, sunt

reddenda aequaliter in communi, ut vel dividant inter se, vel alia transactione conveniant. Si tamen damnum illatum sit *immediate communitati ipsi,* non debet restitutio fieri particularibus ejus membris, sed *ipsi communitati* laesae. Quare v. g. magistratus qui, dum civitatem gubernaret, mille aureos ex communibus reditibus sibi seposuisset, perperam illos pauperibus istius civitatis restituerit : quia in illam summam non magis jus habent inopes quam divites, sed tota communitas ; ergo aerario publico eos restituere deberet. E contra, si damnum sit illatum ipsis *immediate personis* particularibus, nesciatur autem quibus, ut in bello injusto, depraedatione, vastatione oppidorum vel agrorum ; aut si mercatores, caupones, pistores et similes alios indifferenter defraudaverint mercibus, mensura, ponderibus injustis in tali communitate vel vicinia, restitutio, quantum fieri potest, facienda est ipsis personis laesis, vel mediante Magistratu vel viro probo, qui dividat in singulas personas notorie laesas, vel mediante quodam bono omnibus adveniente, v. g. vendendo merces meliores, aut vilius, vel augendo pondus, aut mensuram, si cives plures incerti per merces vel mensuras adulteratas defraudati sint. Cfr. Bill. ; Sass.

Q. 162. An *debeat* restitui *pecunia* a DAEMONE accepta ?

R. *Negative,* nisi certo constet esse alienam. Cum enim daemon illam accipere potuerit ex profundo maris, aut ex occulto thesauro sub nullius exsistente potestate, non est fundamentum dicendi, eam fuisse furto sublatam. Ceterum, ut observat Suarez cum Sanchez, haec pecunia ordinarie est illusoria, quae vertitur in carbones, aut omnino evanescit. Cfr. Giribaldi.

ART. III. Quo ordine sit restituendum.

Q. 163. *Qualem* ORDINEM in restituendo debeant servare *damnificatores* ?

R. *Distinguendum* est inter damnificationem *lucrosam* et *non lucrosam.*

Explanatur. 1°) In damnificatione **lucrosa,** ut in furto, *primo* tenetur restituere injustus detentor, seu is apud quem res

ablata exstat in se vel in aequivalenti : quia talis simul tenetur ex re accepta, qui titulus est major, utpote adhaerens rei, quae clamat ad dominum suum. Et consequenter, si res fuerit inter plures divisa, singuli tenebuntur contribuere suas partes acceptas; qui, si totam rem restituerint, reliqui cooperantes ad nihil amplius tenentur. Detentori aequiparatur, qui, rem sciens aut dubitans esse alienam, consumpsit. **2°**) In damnificatione **non lucrosa,** seu **simplici,** qualis est v. g. combustio domus, *subdistinguendum est.* Si **A**) plures **aequaliter** concurrerunt, aequaliter debent restituere, quilibet suam partem et in defectu aliorum totum. Si **B**) **inaequaliter,** tenetur : a) primo loco *mandans*, et in hujus defectu *exsecutor :* quia *mandans* est agens principalis et *exsecutor* est illius instrumentum : excepto, si *exsecutor* non solum mandato jubentis, sed etiam ex se motus fuit : tunc enim habetur pro concausa principali *mandantis* in damno inferendo, et ideo aeque primo tenetur restituere. b) In absentia vel defectu *mandantis*, tenetur *exsecutor* ante omnes alias causas cooperantes : quia est causa immediata et physica damni illati, ad quod ab aliis cooperantibus non movetur particulariter et coactive, sicut a mandante, sed mere voluntarie inducitur. Excipe, si *exsecutor*, non suo vel mandantis nomine, sed nomine aliorum cooperantium damnum inferat, ut si quinque ineunt commune consilium incendendi domum et unus pro omnibus ac eorum nomine ignem injicit; quo casu alii quatuor aeque tenentur : quia non minus sunt causae principales quam ille; unde, hoc restituente, alii tenentur ipsi suam partem restituere. c) Ultimo loco, et in defectu *mandantis* et *exsequentis*, tenentur restituere reliquae *causae cooperantes*, comparative ad causatum damnum secundum proportionem sui influxus. Attamen priori et majori obligatione tenentur *positive* cooperantes, quam *negative*. d) Quod si causa principalis damni, nempe *mandans*, vel in ejus defectu *exsecutor*, totum damnum illatum compensaverit, reliquae causae secundarie cooperantes ad nil tenentur : nec ipsi damnificato, ut per se patet ; nec ipsi causae principali, quia tantum tenentur in defectum causae principalis, et nullam, ei volenti, imo jubenti, fecerunt injuriam. E contra, si ex causis secundariis una fecit totam damni compensationem, potest totum repetere a causa principali utpote per se obligata, et in illius defectu a reliquis

concausis partem earum influxui proportionatam. Unde etiam, si debitum restitutionis remittatur causae principali, pariter absolvuntur omnes causae secundariae cooperantes, non autem vicissim : quia ruente principali, ruit accessorium ; ruente autem accessorio, non tollitur principale. Quod si, in defectu principalis, reliquae causae teneantur restituere, et uni debitum suum remittatur, reliquae non obligantur ad totum, quia debet detrahi pars remissa. Cfr. Spor., Bill., Sass., Mazz.

Q. 164. *Qualis* ordo servandus sit in *debitis solvendis*, seu *inter creditores?*

R. *Sub distinctione.* 1°) Si debitor possit omnibus suis debitis satisfacere, tunc nullus ordo servandus est : dummodo enim solvatur cuivis, sive primo sive ultimo loco, satisfacit justitiae. 2°) Si autem non possit, sed necessario aliqui carere debent, in toto vel in parte, tunc sequens ordo servandus est.

Explanatur. 1°) Debita **realia,** i. e. in quae immediate tanquam sua creditor habet actionem, praeferenda sunt debitis *personalibus*, i. e. quae creditori pariunt actionem in personam, ut solvat. Hinc res aliena adhuc *exstans in individuo*, sive bona fide accepta, sive acquisita per furtum vel aliter injuste, est integra restituenda domino suo, prius quam debitis personalibus, quantumvis privilegiatis, satisfiat : quia res in specie exsistens clamat domino suo. Quod spectat rem venditam non soluto pretio, statuit jus gallicum (a. 2102), quod haec repeti possit intra octo dies a traditione, sed quod, si non repetatur, pretium semper sit privilegiatum.

2°) Inter debita **personalia,** praeferenda sunt : **A**) debita quae vocantur in jure *privilegiata*, qualia sunt expensae funeris et judiciales *(les frais de justice faits dans l'intérêt commun des créanciers ; tels que les frais de scellés, d'inventaire, de vente, de partage*, etc.) ; stipendia medicorum *(les frais de dernière maladie, pendant un an ; tels que les délivrances du pharmacien, l'honoraire du médecin*, etc.) ; salaria famulorum pro anno currente et praecedenti ; debita pro cibis a sex mensibus ; alia, de quibus Cod. Civ. in aa. 2101-2105. **B**) Secundo loco solvenda sunt debita *hypothecata*, per se servato ordine inscriptionis, juxta regulam juris 54 in 6° : « *Qui prior est tempore, potior jure.* » Dico : *per se :* nam habens

hypothecam *specialem* praefertur aliis creditoribus, tempore etiam prioribus, qui tantum hypotheca *generali* gaudent. **C**) Inter debita *communia* seu *nuda*, ex communi sententia praeferenda sunt *onerosa* gratuitis, quia in illis subintelligi debet conditio : *si absque praejudicio tertii fieri possit*. **D**) Quod spectat ad cetera debita personalia quaelibet, nulla est *obligatio* alia aliis praeferendi. Attamen probabiliter praeferri *possunt* creditores tempore priores. Item, prius petenti, quamvis tempore posterior sit, licet prius solvere, non tantum quando juridice petit, quod omnes admittunt, sed etiam probabilius, si petat extra judicium : quia creditor actionem personalem habet in debitorem et totum debitum petendo jus suum prosequitur. Imo, quamvis debitor solvens uni totum prae aliis, nulla suadente necessitate, faciat his injuriam, licite tamen accipit et retinet, si cui debitor totum quacumque de causa solvit. Excipe tamen, si a lege talis solutio declaretur invalida. Sic, ex lege gallica 28 Maii 1838, prorsus invalida est solutio facta a debitore *commercium exercente*, vel post *cessionem* bonorum declaratam in tribunali commercii, vel intra 10 dies quae declarationem praecedunt, nisi sint debitorum exigibilium et fiant pecunia aut chirographis commercialibus. Quoad vero eos qui *commercium non exercent*, declaratio eorum *decoctionis (déconfiture)* producit varios effectus quos indicat codex civilis (aa. 1276, 1446, 1613, 1865, 1913, 2003 et 2032). Sed quia nullibi Jus statuit, quod talis debitor amittat administrationem bonorum, nec etiam ulla instituta fuit legalis praesumptio fraudis quoad actus quos elicuit intra decem dies qui praecesserunt decoctionem, actus et proinde solutiones non invalidantur, nisi fraudulentas fuisse probetur.

ART. IV. Quomodo sit restituendum.

Q. 165. QUOMODO *facienda* sit restitutio?

R. Debiti cujuscumque restitutio facienda est eo modo, qui sufficit ad hoc, ut res recte perveniat in manus domini vel creditoris : tunc enim attingitur finis praecepti restitutionis, nimirum aequalitas.

Resolvitur. Unde in debitis *ex contractu* vel *re accepta* parum interest, an palam vel clam, per se aut per alium restituantur.

Interest tamen, debita *ex delicto occulto* restitui *occulte*, ad vitandam infamiam vel aliud incommodum debitoris; debita autem *ex delicto publico* aliquando etiam restituenda sunt *publice* ad emendandum scandalum; semel tamen restituta occulte, non debent iterum restitui, cum scandalum alio modo tolli possit. Si debita *ex delicto occulto* nequidem *occulte* restitui possint a debitore, nisi cum periculo infamiae vel alterius incommodi, tunc restitutio fieri potest per alium quemlibet, v. g. per confessarium, cum hac tamen cautione, ut fiat salvo sigillo confessionis, et poenitens resciat creditorem debitum vere recepisse.

Q. 166. An *valeat* restitutio facta per *donationes?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel debitor est **memor** debiti, vel **immemor.** Si **1°**) sit **memor** *debiti*, tunc *subdistinguendum* est : vel **A**) vult donum merum facere; vel **B**) intendit restituere per simulatam donationem. Si *prius*, non valet restitutio : quia non vult eam facere, sed aliquid gratuito donare. Si *posterius*, probabilius valet : quia non requiritur ad veram solutionem, ut debitor externe fateatur se solvere; proinde vere satisfacit, licet creditor existimet sibi donum fieri. Cavendum tamen, ne mendacium in simulatione admisceatur. Hinc, si Titius non possit sine nota infamiae restituere Cajo 100 francos huic a se surreptos, et ei restituat v. g. tempore nuptiarum, quo solent munera fieri et sub specie donationis, non esset urgendus ad aliam solutionem. Si vero **2°**) sit **immemor** debiti, *controvertitur.* Prima sententia, quae est communior, *negat* cum Sanch., Laym., Spor., Salm., etc. : quia debitor in eo casu unice intendit donum facere, non vero debita solvere. Secunda, quae est practice tuta, probabiliter *affirmat* cum Carden., Rodr., Mazz., Lacroix : quia « *nemo censetur liberalis, nisi sit liberatus ;* » et qui donat, censetur semper habere hanc implicitam voluntatem : « *dono, nisi teneor ex aliquo alio titulo potiori.* » Praeterea dicunt DD. non pauci cum Laym., Suar., Sangh., Bonac., Less., quod, si quis voverit pium opus praestare, et illud ponat, immemor debiti, eum ab obligatione voti liberari; si autem talis adimpletio satisfacit Deo, cur homini non satisfaceret? In hanc *secundam* sententiam manifeste inclinat S. Lig. (III, 700) ejusque judicio « *satis est probabilis* » (H. A. X, 120).

Q. 167. Si quis restituerit per *fictam* DONATIONEM, et creditor ex gratitudine *aliud donum* rependat, an hoc ei *restituendum* sit?

R. *Controvertitur*. Alii *affirmant* cum BOUVIER : quia donatio illa non videtur plene voluntaria et spontanea, cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quae falso nititur fundamento. Alii *negant* cum TAMBUR. : quia simulata donatio non fuit causa, sed mera occasio doni quod retributum fuit, et aliunde famae periculum est causa proportionata excusans a cooperatione ad hoc donatoris damnum.

Q. 168. *Quo* LOCO et *cujusnam* EXPENSIS facienda sit restitutio?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Oritur obligatio restitutionis : vel 1°) *ex re accepta;* vel 2°) *ex contractu*; vel 3°) *ex delicto* seu *ex injusta acceptione*. Si **A) ex re accepta**, possessor bonae fidei satisfacit rem praesentando *eo loco*, quo illam possidet, nec ullas tenetur facere expensas : cum enim injuriam non fecerit, nec tenetur subire damnum. Hinc sufficit monere dominum, qua via velit eam sibi restitui, et si, sive in re conservanda, sive in ea transferenda aliquae expensae factae sint, refundi debent. Si **B) ex contractu**, standum est clausulis contractui appositis. Quod si nulla de loco aut expensis conventio intercesserit, attendendum erit ad leges speciales pro variis contractibus. Si **C) ex delicto**, possessor malae fidei debet rem restituere eo loco, quo dominus esset eam habiturus, si non fuisset ablata, destructa, etc., idque suis stipendiis : quia debet dominum efficaciter servare indemnem. Poterit nihilominus deducere expensas quas dominus facere debuisset in re sua transferenda si alio migrasset. Advertendum tamen, quod quando sumptus transvectionis multo majores sunt quam res valeat, i. e., juxta quosdam, quos inter S. LIG. (H. A. X, 65), si essent plus quam duplo majores damno creditoris, tunc, si pretium mitti nequeat, sufficit ut restitutio fiat proximis ejus consanguineis, haeredibus, et in eorum defectu pauperibus, vel differatur, si spes sit ut difficultas restituendi domino cesset. Quia hoc videtur dictare charitas et recta ratio, et nemo tenetur ad medium omnino impro-

portionatum. Sed hodie haec controversia vix locum habere potest, ob facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

Q. 169. CUJUS PERICULO facienda sit restitutio?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **1°**) ipse creditor **designavit** *nuntium* per quem res mittenda erat, vel **2°**) **non designavit. A**) Si creditor ipse **designaverit** *latorem*, aut tibi dederit optionem eligendi, tu vero elegeris hominem communiter habitum fidelem; item, si proprium suum famulum miserit, significans se velle, ut ei dares, tunc debitor vel ex *re accepta*, vel ex *injusta acceptione*, vel ex *contractu*, ad nihil tenetur, si res in via aut pereat, aut rapiatur : tunc enim censetur creditor acceptasse per designatum, etiamsi forte loco designati venerit alius, fingens se esse designatum, si fraudem advertere debitor non potuerit. **B**) Si vero creditor **neminem designaverit,** et debitor in inquirendo hominem fidelem debitam diligentiam adhibuerit, *subdistinguendum est :* **a**) debitor *ex re accepta* bona fide ad nihil tenetur, si tunc res casu vel culpa tertii pereat : quia, possessor bonae fidei non est in culpa : neque in re acquirenda, neque in ea transmittenda. Hinc, qui in grege suo ovem alterius casu inveniat et mittat per virum fidelem ad dominum, perit domino, si in translatione pereat. Poterit tamen teneri *post* sententiam judicis, si culpa juridica intercesserit. **b**) Debitor *ex contractu* pariter ad nihil tenetur, si agatur de re alterius exsistente *in individuo*, puta, si sit commodatum vel depositum : quia res sicut stat, ita perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de re, quae non sit eadem in individuo, v. g. de pretio solvendo : quia debitor dominium illud servat donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii missi, usquedum in illius manus illud transmiserit. **c**) Debitor *ex delicto* non liberatur a nova restitutione, juxta *communiorem* sententiam : quia ratione injustae acceptionis et detentionis rei alienae fuit causa voluntaria damni alterius, esto res casu pereat, similiter non peritura apud dominum. Est tamen opinio *non improbabilis*, quod si res fuerit tradita personae minime suspectae, v. g. confessario, et nihilominus pereat, dominus praesumi possit velle cedere juri suo, praesertim cum tu feceris, quantum potuisti; nec excusantes talem

debitorem audet damnare S. Alph. (III, 705), sicut non audent damnare Less. et Spor. cum Tamb.

Q. 170. *Quomodo* restituendum sit pro damnis *reipublicae* illatis?

R. 1°) Restituendum est per media ab ipso gubernio constituta, si hujusmodi exsistant. Sic in Belgio res decisa fuit per litteras ministri rei aerariae 10 Martii 1837 : « *Les versements* [des restitutions volontaires] *seront reçus aux bureaux de l'enregistrement... Le receveur délivrera à la personne qui opérera le versement une quittance en triple.... Une .... sera conservée par la personne qui aura effectué le versement. Les deux autres seront transmises par elle, l'une au Ministre des finances; la 2e au Directeur de l'enregistrement.* » 2°) Si vero talia media constituta non fuerint, res difficultate non caret. Alii dicunt restituendum esse per tributorum praepositos; alii tenent obligationi justitiae satisfieri, si pauperibus restituatur, aut in alios usus pios restitutio impendatur. Sed id, conformiter ad dicta (pag. 139 seq.) non admittimus, nisi in hypothesi metaphysica, quod nulla pateat via, qua ad publicum thesaurum restitutio tuto pervenire valeat.

Scholion. Ad restitutionem quod attinet faciendam a **domesticis,** placeat cum S. Lig. (III, 546) ex Busemb. sequentia adnotare : **1°**) *Uxor* et *filii* tenentur restituere ex bonis propriis, si habeant; secus *uxor* tenetur parcimonia et opera reparare damnum, aut saltem post mortem mariti, in divisione bonorum communium, debitum computare in suam partem; item *filius* tenetur furta conferre in divisionem haereditatis, si quantitas rei ablatae sit *valde magna*, nec pater restitutionem tacite vel expresse dimiserit. **2°**) *Famuli* vero, si sine magna difficultate restituere non possint, jubeantur compensare officiis et obsequiis extraordinariis, quantum possunt.

ART. V. Quando sit restituendum.

Q. 171. Quandonam, *generatim loquendo*, facienda sit restitutio?

R. *Distinguendum* est inter restitutionem *internam* seu propositum restituendi, et inter restitutionem *externam* seu ipsam actualem restitutionem.

Explanatur. A) *Prima* seu **interna** statim mathematice facienda est, dum quis practice recordatur se esse rei alienae debitorem : quia praeceptum restitutionis, quantum ad voluntatem non detinendi rem alienam, est *negativum*, adeoque obligat semper et pro semper. Unde voluntarie detinens rem alienam invito domino peccat toto tempore, quo voluntarie omittit velle restituere. Quamdiu tamen illa voluntas non restituendi moraliter continuatur et non interrumpitur, manet idem numero peccatum. **B**) *Secunda* seu **externa** debet fieri, quamprimum moraliter et commodo fieri potest absque aliquo notabili aequali vel graviori incommodo proprio restituentis, quam domini re sua carentis. Ratio est : quia praeceptum restitutionis, in quantum praecipit ipsum actum externum restituendi, est *affirmativum*, ideoque non obligat semper pro semper, vel pro tempore indivisibili, sed divisibili, quo moraliter et commode fieri potest. Unde etiam habita opportunitate restituendi in re gravi, restitutionem modico tempore differre, secluso gravi damno emergente, non est mortale. Quanta autem requiratur dilatio sine causa ad peccatum mortale in materia gravi, non potest generaliter decidi, sed pendet a circumstantiis et maxime a detrimento domini. Cfr. Bill..

Q. 172. Quandonam *in particulari* facienda sit restitutio *externa?*

R. *Distinguendum :* inter DEBITA *ex re accepta* seu *ex injusta acceptione;* et DEBITA *ex contractu.*

Explanatur. 1°) Debita **ex re accepta** vel **ex injusta acceptione**, nisi justa ratio excuset, sunt quamprimum moraliter restituenda. **2°**) Debita **ex contractu** solvenda sunt : **A**) *tempore a contrahentibus explicite vel tacite praefixo*, nisi prudenter praesumatur aliam esse alterius partis contrahentis voluntatem. Sic, v. g. debitor anticipare potest solutionem, si terminus solutionis sit assignatus in ejus favorem, ut fieri solet; secus vero, si terminus in creditoris utilitatem vergat, v. g. in contractu mutui cum lucro

percipiendi. **B**) Si vero *terminus non fuerit praefixus*, tempus solutionis non potest convenientius assignari, quam *dum creditor rationabiliter petit*, nisi forte **a**) impeditus exigere non possit; vel **b**) ex timore etiam reverentiali, v. g. a potentiori exigere non audeat : tunc enim terminus solutionis est, qui prudenter judicatur esse de rationabili intentione creditoris.

Q. 173. Utrum qui *distulit* restitutionem *ex justa causa*, teneatur *compensare* omne damnum, quod creditor *ex dilatione* patitur?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si debitum **non sit ex delicto,** non tenetur. **2°**) Si vero **sit ex delicto,** tunc *controvertitur*. Prima sententia, quae est probabilis, *negat* : quia tunc creditor circa dilationem esset irrationabiliter invitus. Secunda, quae est communior, *affirmat* compensanda esse damna *ordinaria* ex dilatione domino obvenientia : quia licet justa dilatio posterior non sit causa damni, tamen revera causa fuit illa prima injusta acceptio. Dixi : *ordinaria;* nam compensanda non sunt *extraordinaria* seu fortuita, quippe quae nequidem in confuso fuerint praevisa. Cfr. S. Lig. (III, 680).

Q. 174. *Quomodo* ex dictis *confessarius* se gerere debeat cum poenitente *graviter* obligato ad restitutionem?

R. 1°) Confessarius non potest eum absolvere, nisi habeat propositum restituendi, quamprimum moraliter poterit, cessante justo impedimento vel causa excusante, cum istud propositum essentialiter includatur in ipsa contritione. Si tamen deprehenderit debitorem *bona fide* non advertere obligationem restituendi in toto vel in parte, seque admonendo nil profuturum, poterit prudenter dissimulare (Spor.). 2°) Ad absolutionem conferendam non requiritur per se restitutio *realis*, sed sufficit *mentalis* seu propositum restituendi proxime. Si tamen ter, quater, aut saepius in confessione jussus et pollicitus est restituere et nihilominus culpabiliter neglexit, *regulariter* non est absolvendus, nisi praemissa restitutione actuali : quia tunc praesumptio ex plerumque contingentibus est contra ipsum, quod scilicet non sit dispositus; *aliquando* tamen adhuc

poterit absolvi, si eae circumstantiae concurrant, ut confessarius possit verisimile credere eum nunc statim restituturum (SPOR., MAZZ.). Severius sentit CONCINA, cujus sententia «*mihi omnino placet*,» inquit S. LIG. (III, 682), ut supra (p. 96 seq.) dictum fuit. 3°) Simpliciter non est absolvendus: *A*) Qui potens restituere in vita vult differre ad articulum mortis : quia est in actuali peccato. *B*) Nec ille, qui dubitans, an res, quam possidet, sit aliena, differt usque ad mortem dubium dirimere, existimans satis esse, si illud proponat suis haeredibus dirimendum. *C*) Nec qui potens totum, non vult solvere, nisi per partes : quia respectu illius residuae partis est injustus detentor et manet in peccato mortali, nisi pars illa residua sit levis, vel nisi prudenter praesumatur consensus dilationis in creditore. Addunt tamen quidam DD. ex utroque NAVAR. non videri improbabile, posse absolvi illum, qui potens simul totum solvere, non vult, nisi per partes, ob aliquod emolumentum sibi inde proveniens, si creditor nolit concedere dilationem parum sibi noxiam et confessarius credat, quod, negata absolutione ex tali dilatione, nunquam vel non ita facile restituet (MAZZ.). 4°) Quomodo agendum sit cum *moribundis*, dictum est supra (pag. 97 seq.).

Cap. VII. De causis excusantibus a restitutione.

Q. 175. *Quotupliciter* distinguantur CAUSAE a restitutione *excusantes?*

R. *Dupliciter* : aliae excusant *ad tempus*, quibus scilicet durantibus, obligatio restituendi quasi dormit, ipsis vero cessantibus, denuo evigilat et reviviscit; aliae excusant *in perpetuum*, quae scilicet obligationem restituendi pro semper exstinguunt.

Q. 176. *Quaenam* sint CAUSAE excusantes *ad tempus*, ita ut restitutio licite *differri* possit?

R. Vulgo *quatuor* assignantur : IGNORANTIA, IMPOTENTIA, DAMNUM PROPRIUM, DAMNUM ALIENUM.

Explanatur. Itaque licite differri potest restitutio : 1°) Ob **ignorantiam**, quando est inculpabilis, sive sit *facti*, ut si ignores

rem esse alienam, sive sit *juris*, ut si nescias debitum etiam defuncto creditore esse restituendum suis haeredibus. 2°) Ob **impotentiam**, quando debitor omnino non habet, unde solvat : quia ad impossibile nemo tenetur, dummodo semper adsit voluntas restituendi in posterum, illa impotentia cessante. 3°) Ob **damnum proprium**, quoties scilicet restitutio fieri non potest : **A**) absque periculo salutis animae, vitae vel sanitatis corporalis, famae vel libertatis; **B**) absque mutatione status honesti et juste acquisiti; **C**) absque damno in bonis temporalibus propriis gravi et majori quam sit damnum domini vel creditoris ex dilata restitutione. Tandem 4°) licite differri potest restitutio ob **damnum alienum**, quod scilicet ex restitutione aut ipsi creditori, aut alicui tertio, aut communitati sit proventurum. (Cfr. supra pag. 137). Idipsum expresse docet S. Thom. (2. 2. q. 62, a. 5 ad 1) inquiens : « *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur; omnia enim quae possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam.* »

Resolvitur. Hinc a restitutione statim facienda debitor **excusatur** : 1°) si, statim restituendo, esset lapsurus in desperationem, aut sustentationem mediis illicitis quaesiturus, aut uxor vel filiae prae inopia se essent prostituturae, aut filii latrociniis se daturi, etc.: quia longe est major obligatio consulendi saluti animae suae et suorum, quam procurandi bonum temporale proximi. **Excusatur** : 2°) si, statim restituendo, ipse vel proximi ejus consanguinei facere deberent jacturam vitae, sanitatis corporalis, libertatis; quia in tali necessitate *extrema* vel *quasi-extrema* (pag. 87 seq.) ipse creditor tenetur ex charitate debitori succurrere; ergo a fortiori contentus esse debet, quod restitutio differatur. Quod verum est, etiamsi ipse creditor esset in pari necessitate extrema : quia et ordo charitatis exigit, ut debitor prius sibi suisque proxime conjunctis quam extraneo creditori subveniat; et aliunde extrema necessitas facit, ut bona tunc sint communia, adeoque primo occupantis. Excipe tamen, si ipse debitor creditorem in eam extremam necessitatem sua malitia conjecisset : tunc enim cum aequali neces-

sitate extrema teneretur ei restituere debitor, cum « *in aequali damno potior debeat esse conditio innocentis.* » Quare, si v. g. calumnia aut falso testimonio alterum conjecisti in periculum mortis, infamiae, amissionis omnium bonorum, teneris restituere, retractando calumniam, non obstante tua aequali vel etiam extrema necessitate. **Excusatur** : 3°) si nec per se nec per alium posset sine jactura infamiae restituere : quia bonum famae est altioris ordinis quam bonum fortunae alteri debitum, et consequenter non potest creditor rationabiliter petere restitutionem hujus cum jactura alterius. Quare mulier adultera, si sit bonae famae, regulariter non tenetur crimen revelare, nequidem in articulo mortis, ne in divisione bonorum damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet spurius. Dixi : *regulariter*; quia, si spurius esset primogenitus in principatu successurus et pessimae vitae, ex quo bonum commune, praesertim fides, periclitaretur, teneretur etiam cum periculo vitae manifestare. Similiter notarius, qui scripturam falsificavit; testis, qui falsum testatus est, non tenetur aperire crimen suum, ne alter gravetur in bonis fortunae, quamvis teneatur alia via damnum reparare; tenetur autem aperire, si alter patiatur in fama aut vita, etiam cum periculo famae aut vitae : « *quia in pari periculo melior est conditio innocentis.* » **Excusatur** : 4°) si statim restituendo deberet totaliter mutare statum suum juste acquisitum ; v. g. nobilis deberet se privare omni famulitio aut redigi ad statum civilem; civis ad plebejum ; ingenuus ad conditionem servilem. Dixi : *totaliter;* quia tenetur, quantum potest, intra decentiam, de suo statu detrahere, v. g. pauciores famulos alere, parcius vivere, vilius vestiri, equos aliquos dimittere, etc.; et ideo absolvi nequeunt, qui debitis obstricti nihil de splendore status remittunt. Dixi etiam : *juste acquisitum ;* si enim status ille sit acquisitus *injuste*, puta, usuris, rapinis, fraudibus, etc.; tenetur statim restituere cum jactura hujus status : quia hoc non est de statu cadere, sed ab eo, qui non est suus, ad priorem sibi debitum redire. Si tamen passim habeatur vir honestus, nec possit statim restituere, nisi se infamet, excusatur propter hanc infamiam. **Excusatur** : 5°) si damnum *longe majus* pateretur ex restitutione, quam creditor ex ejus dilatione. Et ideo non tenetur vendere domum, villam, agros, etc., multo minoris quam valeant, si spes sit aliunde postea satisfaciendi.

Minus tenetur artifex vendere instrumenta quibus victum quotidianum sibi et suis comparat, sicut nec plebejus proprias vestes, pauca utensilia quibus actualiter utitur : quia creditor tenetur ex charitate pati potius parvum damnum ex dilatione, ne debitor subeat magnum. Si tamen creditor *aequale* damnum pateretur ex tali dilatione, teneris in pari detrimento restituere : « *quia in pari causa melior est conditio creditoris.* » Cfr. SPOR., BILL., SASS., S. LIG. (III, 697 seqq.).

Q. 177. *Quaenam* sint CAUSAE a restitutione excusantes *in perpetuum?*

R. Sunt etiam *quatuor* : INTERITUS REI, REMISSIO CREDITORIS, COMPENSATIO et AUCTORITAS LEGITIMA.

Explanatur. Itaque tollitur obligatio restitutionis : **1°**) Ob **interitum** *rei* in specie debitae sine culpa debitoris. Hoc autem non habet locum in debitore malae fidei, nisi res certo esset similiter peritura apud dominum (pag. 103); sed tantum in debitis ex re accepta vel ex contractu. **2°**) Ob **remissionem creditoris,** sive fuerit *expressa;* sive *tacita,* cujusmodi censetur, cum creditor instrumentum debiti, animo condonandi, laceravit vel ante solutionem debitori reddidit; sive legitime *praesumpta;* et sic excusari possunt filiifamilias et domestici, si non restituant quod surripientes a patre seu domino facile obtinuissent, si rogassent; quod conjici potest ex amore ejus in filios et domesticos; ex ipsius liberalitate; ex rei ablatae quantitate et qualitate, et ex aliis circumstantiis et signis. Interim ad legitimam remissionem *tres* requiruntur conditiones : *prima,* ut fiat ab eo qui actuale rerum habet dominium et liberam administrationem; *secunda,* ut lex non obstet; *tertia,* ut fiat libere, sine vi vel fraude; et ideo obligatus manet, qui remissionem injuste extorquet, dicendo v. g. non tibi solvam, nisi remittas dimidium. **3°**) Ob **compensationem,** sive facta sit *ipsi debitori* (pag. 91 seq.), ut cum creditor ei tantumdem debet : nihil enim interest, solveritne aliquis, an compensaverit; sive ex rationabili causa facta sit *creditoris creditori* (pag. 137); sive tandem facta sit creditori per *donationem* vel legationem aequivalentis (pag. 144). **4°**) Ob **auctoritatem superioris,** scilicet : **A**) Per legem *praescriptionis* (pag. 55 seqq.), qua dominium ad

possessorem bonae fidei publica auctoritate transfertur; tum etiam illam, qua omnes fructus assignantur possessori bonae fidei (p. 100). **B**) Per justam *judicis* sententiam, qua alicui res quaedam vel debitum adjudicatur in foro externo in compensationem damni ex culpa tantum juridica sibi a quopiam illati; licite enim talis rem sibi ita adjudicatam retinet. **C**) Per *compositionem* Summi Pontificis, qua debita incerta, alias ad pias causas applicanda, commutantur in partem solummodo ad pias causas statim restituendam (Spor.). Est igitur *compositio* velut transactio, qua S. Pontifex quoad bona *simpliciter* incerta (pag. 138 seq.) ex summa potestate quam habet in bona piis causis destinata, quaedam ad hunc usum applicat, reliqua vero debitori remittit, supplendo interim ex thesauro Ecclesiae quod domino per eleemosynas obvenire potuisset (Bill.). Dixi : *simpliciter incerta;* si enim essent incerta solummodo *secundum quid*, ut si agatur de furtis minutis mercatorum fraudantium in pondere et mensura, non datur *compositio*, sed restitutio, quantum fieri potest, facienda est ipsis personis laesis (p. 139 seq.). Porro circa *compositionem*, ex S. Lig. (III, 591-592; et H. A. X, 68 et 117) notentur sequentia : **a**) *Compositio* non potest fieri ab episcopo : sed vel a Papa per Bullam *Cruciatae* pro regnis Hispaniarum, Sardiniae et Siciliae et pro omnibus aliis particularibus, quibus haec Bulla communicatur; vel per S. Poenit. quae etiam potest ex Bened. XIV (Bulla « *Pastor bonus* » § 25) remittere partem de malis ablatis vel retentis, si domini sint incerti, casus occultus et delinquens pauper, dummodo pars residua erogetur in pauperes vel in pia opera, et quidem, si fieri potest, in ipsis locis ubi facta est injusta illorum bonorum comparatio. **b**) *Compositio* illicita est sine justa causa; valet tamen, si restitutio sit facienda ex sola lege ecclesiastica, puta ex fructibus ecclesiasticis male perceptis : quia Pontifex in lege propria valide dispensat, etiam sine causa (tom. I, pag. 163); econtra non valet, si restitutio aliunde sit debita : quia Pontifex bonorum aliunde debitorum non est absolutus dominus. **c**) Si causa justa sit, *compositio*, semel facta, non revocatur, quamvis postea dominus compareat : quia dominium jam legitime translatum est per compositionem intuitu boni publici factam, cui dispositioni dominus ignotus praesumitur consentire. **D**) Per *sanationem* super bonis Ecclesiae

injuste alienatis, cum S. Pontifex, qua supremus bonorum Ecclesiae administrator (pag. 24), ob justam et gravissimam causam, hujusmodi alienationes convalidat, sicut convalidavit alienationes, quae tempore perturbationis gallicae factae fuerunt, ut postea dicetur.

Q. 178. An CESSIO *bonorum*, tum *judiciaria*, tum *voluntaria*, excuset a restitutione *in perpetuum?*

R. *Negative* 1°) quoad CESSIONEM *judiciariam* : quia ex (a. 1268) est tantum beneficium, quod lex cedit debitori bonae fidei et infelici, ut a coactione in foro externo immunis evadat, quodque fundatur in impotentia; ergo hac cessante, cessat excusatio. *Negative* 2°) etiam quoad CESSIONEM *voluntariam*, de qua (a. 1267), saltem *per se* : quia creditores componendo cum debitore non renuntiant proprio juri ad integram solutionem, si debitor postea solvere queat. Quare in utroque casu debitor tenetur in conscientia laborare, conari, ut acquirat, unde solvat, quantum conditio personae permittit : qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media saltem ordinaria.

Explanatur. Dixi : **per se**; quia per accidens debitor ad nihil ulterius tenetur, si creditores eum totaliter liberent, sive *expresse* id faciant, sive *implicite;* et ita, si unus vel plures subscribentes hanc conditionem non apponant, censentur debitum integrum remittere. Ceterum, bona cedens potest in conscientia secreto reservare necessaria sustentationi pro se et suis, quibus conformiter ad *statum* suum parce vivat, modo haec sint legitime acquisita. Cessor enim non est pejoris conditionis quam ceteri debitores, quibus gravis familiae necessitas est justa causa differendi restitutionem (pag. 150 seq.). Si vero bona proveniant ex delicto, v. g. furto, usura, illa sola sibi reservare potest, quae ad victum sunt necessaria (S. Lig. H. A. X, 117).

Q. 179. An *gravatus* debitis 1°) *possit* ingredi religionem, et 2°) *liberetur* a debitis, si ingressus fuerit?

R. Ad 1^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Homo gravatus ingenti aere alieno, per **dilapidationem** contracto, prohibetur *sub gravi* religionem ingredi. Attamen, quantum est de jure communi, *valide* profiteretur:

quia votum illud est de meliori bono quantum est ex parte materiae, licet non sit tale ex parte voventis. Sixtus V an. 1589, Bulla « *Cum de omnibus*, » prohibuerat quidem et irritam fecerat professionem in tali casu factam ; sed Clemens VIII, an. 1602 sustulit irritationem Bullae Sixtinae, relinquens tamen in suo vigore prohibitiones et poenas in ea latas. Dixi : *quantum est de jure communi*; quia aliquando professio est *invalida* propter constitutiones particulares alicujus Ordinis. Non comprehenduntur in prohibitione *Sixtina* illi qui, *absque gravi culpa*, debita contraxerunt; quia lex loquitur tantum de *dilapidatoribus* et de iis qui rationes reddere debent, nempe valde litigiosas, intricatas et litibus causam daturas. 2°) Utrum gravatus debitis licite possit ingredi religionem, in **aliis casibus**, inter DD. *disputatur*. « *Adsunt* **tres** *sententiae*, » ait S. Lig. (IV, 71). Prima absolute *negat* talem posse licite ingredi religionem, etiamsi tamdiu deberet exspectare ad solutionem faciendam, ut deinceps fieret ineptus ad ingrediendum : quia religionis ingressus est opus meri consilii, solutio autem debitorum est juris et praecepti naturalis. Hanc pro vera habet Spor. Secunda absolute *affirmat* talem posse statim ingredi, facta tamen cessione bonorum. Ratio : quia nemo tenetur solvere debitum cum damno boni sui majoris vel altioris ordinis, quam sit bonum pecuniarum proximo debitarum. Hanc sententiam S. Lig. (*ibid*) et alii tribuunt D. Thom. (2. 2. q. 189, a. 6 ad 3) ; « *Sed male*, » ut recte notat Bill. Tertia est media et *distinguit :* non potest ingredi, si in saeculo manens brevi tempore, v. g. intra annum aut biennium, probabiliter et sine magna difficultate, industria et labore, debita sua aut magnam eorum partem soluturus esset. Secus vero, si absque notabili difficultate satisfacere non posset, vel si diu, i. e. ultra biennium exspectare deberet : quia nemo tenetur restituere cum gravissimo suo detrimento quod longe excedit detrimentum creditoris ; scilicet cum detrimento libertatis et cum periculo aeternae salutis in saeculo amittendae. Haec sententia vocatur « *probabilior* » a S. Lig. (*ibid*). Quod vero S. Thomam attinet, ex ejus doctrina potiori jure dicendum est : gravatum debitis certis non posse licite ingredi religionem, si manens in saeculo possit etiam per longum tempus satisfacere creditoribus. Dicit enim aperte (l. c.) : « *Ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud praetermittere*

facultate exsistente; et ideo si aliquis sit obligatus ut alicui rationem ponat vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere, ut religionem ingrediatur. » Unde ut verba, quae ex eodem S. Doctore in contrarium adducuntur, cum praesentibus concilientur, « videntur intelligenda, ait Bill., de eo qui, etiamsi maneat in saeculo, vix ullam aut levem admodum spem habet satisfaciendi, aut qui non potest satisfacere nisi per opera ipsum dedecentia, aut cui tandem salutis periculum imminet, si remaneat. Is enim potest cedendo bonis suis intrare religionem, nec tenetur manere in saeculo, ut procuret unde debitum reddat : cum non sit verisimile ipsum aliquando habiturum saltem congruentibus mediis. » Scite autem doctrinam suam enuntiat S. Thomas, cum aliquis sit obligatus « *ut* certum *debitum reddat.* » Certum enim est, et apud omnes inconcussum, debitorem posse statim ingredi religionem, si debita sint *incerta*, ac in pauperes seu alios usus pios eroganda : « Cum nihil sit magis pium, ait Sass., quam se et sua Deo in religione dicare. »

R. Ad 2^um^) Ingressus in religionem non liberat per se *directe* a debitis solvendis, sed *indirecte* tantum, quatenus impedit licite media quibus debita solvi possunt.

Resolvitur 1. Debitor qui religionem ingressus est, si facile possit, laborare debet ad debita solvenda, et lucrum quod facit ad id applicare, si superior *permittat.* **Resol. 2.** Non potest debita solvere ex legato sibi obveniente, si solemniter sit professus, juxta regulam : « *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.* » Secus vero, si vota simplicia tantum emiserit, quia in eo casu legatum reapse ei obvenit. — Interim religiosi juri gallico subjecti, cum servent, saltem coram lege, dominium bonorum suorum, possunt semper a creditoribus suis circumveniri.

Q. 180. An *debitor* liberetur, si *dubitet*, utrum solverit vel restituerit id quod debeat?

R. *Controvertitur*, ut visum fuit (tom. I, pag. 92 seq.). Sententia *affirmans* est practice tuta, si debitor sit probus diligensque in debitis solvendis.

SECTIO SECUNDA.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAP. I. De restitutione ob damnum in bonis animi.

Q. 181. Ad *quid* teneatur, qui alium *laesit* in bonis ANIMI?

R. Qui efficaciter et injuste causavit proximo damnum in bonis ANIMI, sive *naturalibus*, sive *supernaturalibus* (p. 70), tenetur ex justitia : 1°) vim, metum, fraudem, si adhuc durent, tollere; 2°) bonum ablatum vel impeditum reponere, si possit, per se vel per alium; 3°) damna realia seu fortunae inde secuta, et in confuso saltem praevisa, resarcire. Dixi : *si possit;* nam si bonum ablatum in eodem ordine reddere nequeat, non tenetur ex justitia ejus defectum supplere per bonum alterius generis, v. g. per pecuniam. Cfr. Q. 115, p. 97.

Resolvitur 1. Si quis alium veneno aut medicamento nocivo culpabiliter privavit usu rationis, tenetur eum a morbo curare quoad potest; tum omne damnum reale reparare, quod inde secutum est, ut est amissio officii, lucri, etc. Pro ablato autem usu rationis nil tenetur restituere : quia est bonum ordinis superioris, adeoque pretio non aestimabile. **Resol. 2.** Qui vi, metu, fraude, impedit aut abstrahit aliquem a religione vel ingredienda, vel profitenda, vel jam professa, tenetur ex justitia removere fraudem et vim; hortari ad bonum propositum resumendum, et resarcire damna realia secuta non solum respectu retracti vel extracti, sed etiam respectu religionis, quae jus habet, ne tali modo impediatur a bono sperato. Quare tenetur monasterio compensare quanti valebat spes illa temporalis commodi, quod ex impediti vel extracti haereditate, donatione, vel industria sperabatur. Non tamen tenetur ipse religionem ingredi loco illius quem retraxit vel extraxit : quia bona inferioris ordinis non sunt compensanda cum jactura bonorum superioris ordinis, i. e. cum jactura libertatis; sicut qui maritum occidit non tenetur se matrimonio conjungere uxori occisi. **Resol. 3.** Religiosi negantes, sine gravi causa, *Novitio* suffragium ad professionem, peccant graviter; tum contra *charitatem :* quia,

quantum est in se, expellunt et Novitius vix potest repelli sine gravi suo detrimento ac laesione famae, cum hoc communiter apud homines dedecori tribuatur; tum contra *justitiam commutativam* : quia Novitius per noviciatum acquisivit jus ad profitendum, si inveniatur dignus, et intercessit contractus saltem implicitus. Quod si de Novitii idoneitate dubitetur, rejiciendus est : quia juxta Trid. ii soli sunt recipiendi, qui post probationem inventi fuerint habiles; sed is, de cujus idoneitate vere dubitatur, non censetur habilis, ergo. Ita Sass. cum Spor.

CAP. II. De restitutione ob damnum in bonis corporis : 1° per homicidium ; 2° per stuprum et defloration em ; 3° per adulterium.

Q. 182. *Qualis* restitutio debeatur ex HOMICIDIO seu MUTILATIONE?

R. 1° Ex omni et solo HOMICIDIO directe vel indirecte *voluntario* et *injusto* (idem est de MUTILATIONE et VULNERATIONE), debetur restitutio.

Resolvitur. Non ergo debetur : **1°**) ob homicidium factum ex justitia publica, aut in bello justo, vel ob necessariam defensionem inculpatae tutelae. Nec **2°**) ab eo, qui hominem volentem aut petentem occidit, vel ex condicto provocatus ad duellum : quia volenti, et quantum in se est, consentienti, non fit injuria, etsi tale HOMICIDIUM sit contra jus Dei. Nec **3°**) ab illo, qui injuste ab alio invasus occidit ipsum, etiamsi, juxta probabilem sententiam, quam tuentur Spor., et alii, notabiliter excesserit modum justae defensionis seu moderamen inculpatae tutelae : quia invadens alterum injuste, censetur condonare invaso omne damnum, quod ab ipso pati potest. « Hoc ipso enim quod invadit, sciens et volens se exponit periculo mortis et damnorum, cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum, et ipsi esse difficillimum servare moderamen; scienti autem et volenti non fit injuria. » Ita insignis D. Bill., cui hoc videtur « *valde probabile* » contra alios, quorum *multi*, quos inter Lug., Sanch., Nav., Croix, S. Lig. (III, 637), invasum obligant ad plenam restitutionem totius damni, nisi judex

restitutionem remittat; *quidam* vero, ut Soto, Sylvest., Less., ad partem tantum, secundum proportionem excessus.

R. 2°) Homicida vel mutilator *injustus* probabiliter nil tenetur ex justitia restituere : A) pro damnis *spiritualibus*, v. g. quod occisus fuerit privatus ultimis sacramentis, tempore merendi, satisfaciendi, vel quatenus, si viveret, sacrificia, preces, aut alia pia opera in testamento fieri curasset. Laudabilis tamen, et charitati maxime consentanea, est praxis confessariorum, qui in aliqualem compensationem imponunt homicidis similia opera spiritualia, animae occisi applicanda (pag. 97). Nec B) tenetur in conscientia, *ante sententiam judicis*, quidquam restituere pro damnis *personalibus* seu *naturalibus*, qua talibus, i. e. praecise pro vita adempta vel membro abscisso, nisi agatur de servis, quorum vita pretio aestimatur.

Explanatur. Ratio utriusque est : quia justitia commutativa, a qua sola praecipitur restitutio, essentialiter respicit aequalitatem inter datum et acceptum; unde cum inter bona diversi ordinis nequeat fieri commensuratio secundum aequalitatem, nequidem quoad partem, nec potest inter illa fieri restitutio ex justitia commutativa, et consequenter non debetur. Haec sententia, quam defendunt Bann., Nav., Spor., Less., Lug., alii, a S. Lig. (III, 627) vocatur « *communior et probabilior.* » Nec **Objicias** : Qui non potest restituere ad aequalitatem, debet restituere quantum potest; sic qui non potest dare mille nummos, tenetur dare centum vel decem, quos potest; ergo, quamvis non possit pro vita satisfieri ad aequalitatem, debet fieri, quantum potest. **Resp.** *Dist. ant.* In bonis ejusdem ordinis, *conc.*; diversi, *neg.* Disparitas est : quia, qui dat centum, ponit initiative aequalitatem et dat partem debiti; qui dat mille, imo centum millia, non dat partem vitae. Ceterum haec intelligenda sunt *secundum rigorem*. Nam ut supra (pag. 97) ex S. Lig. visum fuit, communiter monent DD. qui hanc sententiam tuentur, « congruum esse, ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum. » Dixi: **ante sententiam judicis**; si enim hic aliquid imponat per modum poenae, utique solvendum est.

R. 3°) Tenetur ex justitia restituere, si in confuso saltem fuerint praevisa, omnia damna *realia* seu *temporalia* : A) mortem *antecedentia*, ut sunt expensae rationabiliter factae in medicos et medicinas; item jactura lucrorum, quae occisus a tempore vulneris inflicti usque ad mortem facere potuisset; attento tamen quod lucrum in spe minoris aestimatur quam lucrum in re; detractis etiam expensis, quas ipse tum ad sui sustentationem, tum ad aliud lucrum capessendum facere debuisset; imo, juxta SPOR. et alios, cum aliqua etiam aestimatione laboris ac molestiae, quam in opere suo exercendo subiturus fuisset, si praesumatur, quod occisus libenti animo aliquid daturus fuisset pro redemptione talis laboris, uti si ille esset arduus et onerosus. Item B) damna mortem *subsequentia*, quae scilicet ratione mortis occisi patiuntur aliae personae eidem conjunctae, debent restitui non quidem secundum aequalitatem rei, sed secundum moralem aestimationem, spectatis scilicet circumstantiis personae, aetatis, peritiae, majoris vel minoris spei lucri, deductis iterum expensis et iis, quae consumpsisset.

Resolvitur 1. Generatim major facienda est restitutio pro vita ignobilis artificis, quam pro vita nobilis nullam artem exercentis et magis commodo incumbentis quam lucro et labori. Dico : *generatim;* nam fieri potest quod nobilis, prudentia, scientia et benevolentia principis magis fuisset lucraturus quam simplex artifex. **Resol. 2.** Nihil ab HOMICIDA restitui debet, si occisus erat senex aut infirmus, qui nihil amplius arte, opera vel industria sua comparare poterat, vel si erat homo iners et incurius, quia tunc nullum revera damnum post mortem secutum est.

R. 4°) Damna *realia* mortem invasi *antecendentia*, debent restitui : aut ipsi homini laeso, si adhuc vivat; aut, si mortuus sit, ejus haeredibus *quibuscumque*, i. e. sive necessariis, sive voluntariis, sive ab intestato sive ex testamento, utpote in omnia jura defuncti succedentibus; et, in eorum defectu, pauperibus vel ad pias causas sunt expendenda, ex titulo scilicet injustae acceptionis (Cfr. pag. 138). Damna vero realia *post mortem* occisi obvenientia, restitui debent haeredibus

necessariis, scilicet *uxori, filiis* et *parentibus* interfecti, si egent; i. e. quatenus ob mortem ejus patiantur necessitatem in sustentatione vel commoditatibus vitae. Ratio est, quia hujusmodi haeredes necessarii constituunt unam moraliter personam cum defuncto, adeoque directe et per se damnificantur in et cum illo. Dixi : *si egent;* nam si se ipsos alere possunt, ad nihil tenetur HOMICIDA, cum tunc damnum post mortem non sequatur respectu illarum personarum. Aliunde talibus defunctus non tenebatur amplius providere, et occisor non obligatur, nisi in quantum succedit in obligationem occisi. Cfr. SASS., CROIX, SCAV., S. LIG. (III, 631).

Resolvitur 1. Si non adsint hujusmodi haeredes *necessarii*, nihil debet HOMICIDA ex hoc capite ceteris haeredibus, etiam *fratri, sorori aliisve propinquis* restituere, quamvis, dum occisus vita manebat, eis alimenta ministrare vel alias benefacere consueverat : quia isti non censentur una moraliter persona cum occiso, ideoque et per se et directe non damnificantur in et cum illo, sed tantum per accidens et remote. **Resol. 2.** Nec tenetur HOMICIDA restituere *creditoribus* occisi, licet damnum inde patiantur : quia et hoc per accidens sequitur, siquidem merum accidens est, quod quis creditores habeat. Si tamen HOMICIDA damna fratris, sororis, creditorum occisi, aliarumque personarum, quibus ipse benefacere solebat, *intenderit*, probabilius teneretur ea restituere : tum, quia occidens, animo nocendi directe aliis, peccat contra justitiam erga illos, cum quisque habeat jus, ne vi impediatur a consecutione justi boni ; tum quia, ut aiunt nonnulli cum SASS., intentio faceret, ut HOMICIDIUM per se directe connecteretur cum damno aliorum, adeoque esset formaliter injustum respectu illorum, qui damnum passi sunt. Cfr. S. LIG. (III, 632-635).

R. 5°) Obligatio HOMICIDAE ad restituendum pro damno *reali* seu *temporali*, sive *antecedente*, sive *consequente* mortem occisi transit etiam ad *haeredes* ipsius occisoris, si ipsemet non restituerit, juxta vires haereditatis tamen. Est enim obligatio realis, non mere personalis.

Q. 183. *Quaenam* sint CAUSAE *speciales* excusantes a restitutione ob *homicidium?*

R. Sunt *duae.*

Explanatur. 1°) Alia est **remissio** *ipsius occisi*. Et quidem certum est, posse moriturum valide suo occisori remittere damna saltem *antecedentia* mortem suam, cum istorum compensatio immediate debeatur ipsi, quilibet autem libere possit disponere de bonis suis. Quod vero damna mortem *subsequentia* attinet, alii *probabiliter* admittunt in morituro potestatem remittendi, cum totum, quod debetur haeredibus, debeatur dependenter a voluntate morituri. Alii, forte *probabilius*, negant : quia per homicidium uxor, filii et parentes interfecti immediate laesi sunt et habent jus acquisitum ad restitutionem obtinendam, de quo jure occisus nequit disponere; ipse enim ex justitia tenebatur iis egentibus sustentationem et commoditates vitae procurare.—2°) Altera causa excusans, non quidem in rigore juris et ex natura rei, sed ex praxi communi, est **poena capitis** *vel* **carceris** lata in occisorem per sententiam judicis, qua censetur una cum crimine totam obligationem homicidii abolevisse, quantum ad damna praecise ex morte secuta, non vero quantum ad alia per accidens annexa, utpote v. g. spolia, etc. Cfr. Spor., Sass.

Q. 184. Ad *quid* teneatur qui puellam *seduxit?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) seduxit **invitam,** utendo scilicet vi, metu, fraude, et dicitur *stuprator* (tom. I, pag. 242 seq.); vel 2°) seduxit **consentientem,** utendo simpliciter precibus, blanditiis, muneribus, absque ulla vi, fraude aut metu, et dicitur *defloralor;* denique 3°) in ultimo casu vel id fecit *absque*, vel *cum* matrimonii **promissione**. Hoc posito :

Dico : A) *Stuprator* seu seducens **invitam,** tenetur reparare, non quidem damnum puellae *naturale*, i. e. integritatem corporis quae non est pretio aestimabilis; sed damnum *temporale*, scilicet omnia damna puellae vel ejus parentibus obvenientia.

Resolvitur 1. Tenetur eam vel ducere, vel dotare, ut matrimonium conveniens inire valeat. Potest tamen puella, etiam minor, hanc obligationem ducendi vel dotandi condonare : quia potest libere renuntiare matrimonio cum stupratore vel cum alio contrahendo, nec sub hoc respectu a parentibus dependet. **Resol. 2.** Si ex stupro nata sit proles, ad integras expensas tenetur stuprator, et ejus defectu, tenetur prolis mater.

Dico : B) *Deflorator*, seu seducens **consentientem**, in foro conscientiae non tenetur ad aliquam restitutionem : volenti enim et libere consentienti non fit injuria. Idemque procedit, si dubitetur, utrum puella sponte, an vero vi, metu vel fraude adacta consenserit : quia in dubio delictum non praesumitur. Si tamen ex defloratione nata sit proles, tunc pater et mater expensas ad ejus educationem de *jure naturae* pro rata conferre debent. Ex *jure Romano* mater tenetur alere prolem per tres annos, et postea pater ei providere debet. In *jure Gallico* nihil expresse statuitur; attamen jurisperiti agnoscunt patrem et matrem in solidum aeque obligari, saltem ad alendos et educandos filios legaliter recognitos. Si autem filii non fuerint recogniti, eadem obligatio ex jure naturae ad ipsos pertinet.

Dico : C) Si *deflorator* puellam seduxerit cum **promissione matrimonii**, *subdistinguendum* est : vel promissio fuit **ficta**, vel fuit **sincera**. Si a) fuerit **ficta**, aequiparanda est fraudi, et tunc deflorator tenetur ad omnia ad quae tenetur *stuprator*. Excipe, si puella ex circumstantiis facile potuerit advertere fictam promissionem, ut saepe fit, quando est magna disparitas in nobilitate, in divitiis, etc. Si vero b) fuerit **sincera**, tunc, juxta illos qui tenent contractus sub conditione turpi *radicitus* esse invalidos, adeoque etiam impleta conditione, promittens non tenetur corruptam ducere; quae quidem sententia non caret probabilitate, magisque favet bonis moribus, cum, ea admissa, non adeo facile seducerentur puellae. Juxta alios, qui cum S. Thom. (in 4, q. 28, q. 1, a. 2 ad 4) *probabilius* et *communius* tenent hujusmodi contractus esse validos, adimpleta conditione, promittens per se obligatur ad ducendam seductam. Dicitur : *per se;* nam dantur varii casus in quibus non tenetur : 1°) si ex illo matrimonio timeantur gravia mala, homicidia, familiarum graves discordiae, etc.; 2°) si puella fornicetur cum alio; 3°) si ipsa se virginem, divitem vel nobilem dixerat, et tamen non erat; 4°) si puella nolit, vel parentes matrimonio repugnent.

Q. 185. Ad *quid* teneantur *adulteri*?

R. 1°) Pro injuria *personali* conjugi illata debent tantum satisfactionem per petitionem veniae, si existimetur fore grata

et acceptanda : quia pro injuria separata a damno plus non debetur; hinc ubi res manet *occulta*, cessat haec obligatio.

R. 2°) ADULTER et ADULTERA, si *moraliter certi* sint de prole ex adulterio suscepta, tenentur ambo *in solidum* ad compensationem omnis damni marito filiisque aut legitimis haeredibus provenientis, et saltem in confuso praevisi; sic quidem, ut *aequaliter* teneantur, si ex utraque parte crimen fuerit voluntarium; ADULTER vero *solus* ligetur, si **vi** aut **metu gravi** consensum mulieris obtinuerit. — Et quidem *certo* ad utrumque damnum pro parte sua restituendum tenetur ADULTER, si ipse ADULTERAE *suaserit*, ut prolem spuriam marito tanquam ex ipso genitam supponeret : quia tunc est directa causa omnium illorum malorum. Imo *probabilius* idem dicendum est, etiamsi ipse dictam suppositionem non suaserit, et quamvis mulier potuerit, absque graviori damno, prolem spuriam separare a familia : quia fuit causa ipso facto necessitans matrem ad eam suppositionem faciendam, ut sic delictum suum occultaret; et aliunde, etiamsi libere quis damnum inferat, cooperator tamen non ideo solvitur ab onere restituendi, quando actus ipsius injustus de facto vere et efficaciter influxit in effectum, excitando alterius malitiam. Et haec sententia videtur S. LIG. (III, 659) « *longe probabilior.* » Non desunt tamen, quos inter SOT., HENR., TAMB., *probabiliter* asserentes : ADULTERUM in casu non excusari quidem ab alimentorum restitutione, quia ad nutriendam prolem pater tenetur; sed non obligari ratione haereditatis, quia totum damnum provenit ex voluntate mulieris, quae potuisset filium spurium separare; unde ADULTER potius fuit occasio suppositionis, quam causa efficax. Quare videtur ADULTERUM, in illo casu, ad restitutionem non obligari nisi *secundo loco*.

Resolvitur 1. Patri putativo debentur omnes sumptus quos fecit vel faciet in prole alenda et educanda. Praeterea, si filius adulterinus cum legitimis haereditatem jam acceperit vel accepturus sit, iis pro rata compensatio est facienda. **Resol. 2.** ADULTER et ADULTERA solum tenentur restituere pro damnis *per se* ex ADULTERIO consequentibus; non vero pro sequentibus *per accidens*, ut-

pote ne in confuso quidem praevisis; cujusmodi censerentur, si filio spurio aliqua fuissent ab amico vel consanguineo mariti donata vel legata, ex erronea suppositione quod sit proprius ejus filius. In quo tamen casu filius ipse spurius, sciens se esse talem, non posset illas donationes sibi retinere, saltem si essent majoris momenti, quia revera nullae sunt. **Resol. 3.** In dubio, an proles sit mariti aut ADULTERI, ad nihil tenentur ADULTER et ADULTERA : quia praesumptio stat pro matrimonio in favorem prolis. Ita « *communis est sententia,* » ait S. LIG. (III, 657). Idem *probabiliter* etiam dicendum in dubio inter duos ADULTEROS, quando scilicet dubitant an proles, certo illegitima, ad unum vel ad alium pertineat, quia maritus tempore conceptionis longe aberat et mulier eodem tempore cum duobus conversabatur. Ratio est : quia nemo tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet, ipsum fuisse causam damni, et aliunde onus certum imponi non debet, ubi dubia est obligatio (Cfr. pag. 110). Excipe tamen, si secundus ADULTER advertisset quod suo peccato foret causa incertitudinis; aut si ADULTERI ex communi consilio ADULTERIUM patraverint. Ita S. LIG., cui haec sententia « *probabilior est* » (III, 658 et H. A. X, 102). At ex *communi sententia* dicendum videtur quod uterque ADULTER teneatur secundum proportionem dubii ad partialem restitutionem alimentorum et partis haereditariae legitimis subtractae : quia in casu ADULTERIUM est in possessione; seu, certum est ab uno eorum ADULTERORUM prolem esse gentitam et uterque sua actione injusta fuit causa, ne certus damni auctor, a quo compensatio fieri debeat, agnoscatur. Ita SPOR., MAZZ., SASS.

Q. 186. *Quomodo* restituere debeant ADULTERI?

R. Restitutio ab iis facienda est omni modo moraliter possibili.

Explanatur. In **praxi** modi restitutionem faciendi assignantur sequentes : 1°) Si adulter occulte sub aliquo praetextu summam pecuniae tradi curet marito aut filiis legitimis. 2°) Si sub praetextu amicitiae aut simili modo illis aliquid leget, sed ita caute, ut non detur occasio suspicandi. 3°) Si adultera relinquat illis bona paraphernalia aut alioquin libera. 4°) Si diligentius rem familiarem curet, de sumptibus solitis minuat, diligentius laboret,

in quantum status permittit. 5°) Si spurium ad labores extraordinarios destinet, de bonis ejus occulte surripiat, aut eum, si capax sit, suaviter inducat ut, relicta haereditate, statum religiosum amplectatur et quidem in tali monasterio, ubi nulla vel modica dos datur. Quod si praedictis aut aliis mediis non possit damna compensare, non ideo tenetur, *regulariter* loquendo, crimen suum revelare : quia et viro suo tristitiam, et sui odium et familiae discordias crearet, et famam suam prodigeret, et forte vitam periculo exponeret, quibus omnibus damna fortunae merito cedunt. Accedit quod filius spurius non teneatur matri credere etiam juranti in articulo mortis : quia ex jure nemo tenetur credere uni testi, etiam probatissimae fidei, nec alleganti propriam turpitudinem fides est habenda; nisi praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. g. absentia patris a longo tempore. In quo casu teneretur spurius aditam haereditatem restituere, nisi legitime praescripserit. Dixi : *regulariter*; ob exceptionem supra allatam pag. 152.

Q. 187. An ADULTERI vel FORNICATORES, si sint *divites* et exponant prolem in *xenodochio*, huic domui restituere *teneantur?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Sententia *probabilior* **negat** cum S. ALPH. (III, 636) : quia nosocomia illa erecta sunt, non tantum ad subveniendum *pauperibus*, sed etiam *divitibus* in periculo infamiae versantibus, a parte quorum timenda forent abortus vel infanticidia. Quare obligationem solvendi aliquid tanquam ex justitia debitum confessarius imponere nequit. *Laudabiliter* tamen **adhortaretur** genitores ad aliquid, saltem titulo poenitentiae, nosocomio tribuendum.

CAP. III. De restitutione ob damnum in bonis famae et honoris.

Q. 188. Ad *quid* teneatur qui alterum injuste laesit in FAMA et HONORE?

R. Tenetur ex justitia, quantum fieri potest, reparare : 1°) HONOREM et FAMAM injuste ablatam; haecque obligatio est

personalis, quae non transit ad haeredes laedentis; 2°) *omnia damna temporalia* inde provenientia, intenta vel saltem aliquo modo praevisa; haecque obligatio est *realis*, quae transit ad haeredes tum laedentis, tum laesi. Hinc, si infamatus vel inhonoratus prae tristitia se occidat, vel aliud malum sibi aut suis inferat non tenetur laedens talia damna restituere, utpote ipsi non voluntaria, quia non per se, sed per accidens secuta, ac proinde non fuerunt praevisa. Quod si laesio FAMAE in materia gravi fuerit injusta solum *materialiter*, utpote facta per indeliberationem vel errorem inculpabilem, tunc quidem ex capite injustae infamationis nulla est obligatio restituendi. Animadverso tamen postea errore et damno FAMAE proximi, adest obligatio restituendi in tantum, in quantum justitia obligat quemvis, ut causam alteri damnosam, quoquo modo a se positam auferat, quam primum damnum advertit. Quod tamen intelligendum est, si materialis damnificator FAMAE possit eam reparare sine suo notabili damno aut incommodo (Q. 128).

Q. 189. *Quomodo* FAMA restituenda sit?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel ablata fuit : 1°) per **calumniam**; vel 2°) per **simplicem detractionem**; vel 3°) per **judicium temerarium**, **suspicionem** aut **dubitationem temerariam** (tom. I, p. 477 seqq.). — Si **Primum**, tenetur *calumniator*, seu qui falsum crimen alteri scienter imposuit, illud postea aperte retractare, omni modo possibili, dicendo etiam, et si opus sit, jurando, se dixisse falsum, non obstante infamia aequali vel periculo damni aequalis incurrendi : quia « *in pari causa melior est conditio innocentis.* » Quod si omnia adhibuerit necessaria ad tollendam malam opinionem, est liber : quia quod illi tunc in mala opinione maneant, eorum malitiae adscribitur; si enim *calumniator* non meretur fidem, dum famam ita restituit, nec merebatur, dum auferebat. — Si **Secundum**, tenetur *detractor* simplex, seu qui alterius crimen verum sed occultum injuste propalavit, famam ablatam restituere : vel **A**) *formaliter* et *directe*, efficiendo, ut non credatur id quod revelavit, v. g. dicendo : se male et inconsiderate locutum esse, deceptum fuisse aut alium injuste diffamasse; vel **B**) *aequivalenter*

et *indirecte*, infamatum, data occasione, sive in eadem, sive in diversa materia laudando; ei honorem deferendo coram iis, qui detrahentem audierunt. Ad differentiam tamen *calumniatoris* (Cfr. pag. 152), simplex *detractor* nunquam tenetur restituere famam cum periculo vitae propriae, esto infamatus ob illud verum crimen esset morte condemnandus : quia propria causa mortis non est illa infamatio, sed crimen ab infamato vere commissum. — Si tandem **Tertium**, sufficit, ut *temere judicans* deponat suum judicium, suspicionem, etc., juxta dicta. Q. 81, pag. 70.

Q. 190. *Apud quos* FAMA sit reparanda?

R. 1°) Certum est reparari debere FAMAM apud omnes audientes *immediatos* : quia apud hos infamans fuit causa immediata infamiae. 2°) Etiam apud alios audientes *mediatos*, seu quibus auditores immediati crimen auditum retulerunt, reparanda est ab infamatore, si is crimen alterius ea directa intentione detexerit, vel etiam audientes jussu vel suasu ad hoc moverit, ut aliis manifestent : quia tunc fuit causa principalis totius infamiae propagatae. 3°) Oppositum dic, quando infamator nullo modo intendit, imo positive prohibuit audientibus ulteriorem revelationem; vel crimen coram talibus narravit, quos prudenter judicabat rem ulterius non evulgaturos : tunc enim infamia illa ulterior est ipsi involuntaria solique malitiae aliorum est imputanda. 4°) Si infamator, *sine secreti stipulatione*, crimen aperuit hominibus leviculis et garrulis, quos praevidebat illud facile aliis evulgaturos, etsi id minime intenderit, ex communi sententia tenetur etiam coram audientibus *mediatis* FAMAM laesam restituere in defectu *immediatorum* : quia damnum FAMAE ita praevisum est ei indirecte voluntarium. Ex praxi tamen tum poenitentium, tum confessariorum, sufficit, si tunc restituat apud auditores *immediatos* : tum ob impotentiam moralem apud omnes restituendi; tum quia retractans apud *immediatos* implicite ipsis committit retractationem faciendam apud alios, quibus ipsi evulgarunt. 5°) Denique si nihil adverteris, an tui auditores sint graves nec ne, probabiliter teneris apud ipsos tantum restituere : quia, cum nemo praesumatur malus seu facile oblocuturus, non censeris cooperari cum illorum peccato.

Q. 191. Quaenam sit CAUSAE *excusantes* a restitutione *famae?*

R. Sunt *quatuor* : CESSATIO DAMNI, REMISSIO LAESI, MUTUA COMPENSATIO, IMPOTENTIA.

Explanatur. 1°) Cessatio damni, quando scilicet : **A**) vel a principio ex infamatione nullum damnum fuit secutum, quia audientes vel non intellexerunt vel non crediderunt, aut rem aliunde sciebant ; **B**) aut infamato postea fama fuit alia via, v. g. bonorum virorum testimonio, vel propria purgatione recuperata ; **C**) aut infamia illata progressu temporis fuit oblivione omnino deleta, ita ut consultius sit silere, quam retractando criminis memoriam refricare ; **D**) aut denique infamatus a te de crimine occulto, postea alia via amisit suam famam in eadem materia, v. g. per justam judicis sententiam. **2°) Remissio laesi,** sive expressa, sive tacita, modo laesus condonare possit ; quod addo, quia condonatio fieri nequit, si infamia vel in alios redundet, vel alios scandalizet, vel obsit officio ex justitia administrando. Tacite autem saepe solent plebeji inter se a restitutione famae excusari, cum sciant saepissime ab aliis detrahi nec tamen restitui ; unde nec ipsi restitutionem exigere censentur, aut certe uti velle mutua compensatione in non restituendo. **3°) Mutua compensatio,** dummodo injuriae utrimque sint aequales nec patiatur tertius. Hinc si infamaveris eum, qui te prius infamavit, tu licite non restituis illi, donec ille restituat tibi. Dixi : *dummodo injuriae sint aequales ;* nam, si sint *inaequales*, et haec inaequalitas sit divisibilis, puta, si tu publicasti diversa crimina ejus, qui unum tuum publicaverat, teneris restituere, donec reducatur res ad aequalitatem ; si autem sit indivisibilis, ut si ille te infamavit de furto, tu illum de haeresi, tunc potes illius famam instar pignoris retinere, donec ille restituat. — Equidem infamantem infamare *per se* non licet : quia hoc est manifesta vindicta quam nemo privata auctoritate potest facere ; ideoque peccas mortaliter, si *falsum* crimen imponas, ut elidas detrahentis auctoritatem tibi noxiam, ut constat ex propositione damnata ab INNOC. XI, sub n. 44 : « *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat ; et, si hoc non sit probabile, vix ulla*

erit opinio probabilis in Theologia. » Potes tamen, utendo moderamine inculpatae tutelae, crimen verum occultum tui infamatoris manifestare, quantum scilicet necessarium sit, vel ut fides ipsius et auctoritas diminuatur apud audientes, vel ut moveatur ad desistendum ab injusta tui infamatione. Quod verum est, etiamsi illud sciveris sub secreto naturali; imo, etiamsi per fraudem extorseris : quia nemo tenetur alienum depositum cum gravi suo incommodo servare, et fur potest uti equo furtivo in urgente necessitate. Hinc etiam fit, ut, qui ab alio falsa calumnia impetitur, possit dicere : *quod mentitur*, quamvis hoc sit illi ignominiosum; idemque dicendum videtur, etsi *verum* sit crimen, quod ille objicit, dummodo sit *occultum :* quia infamator adhuc mentitur quoad famam publicam. **4°) Impotentia**, non tantum *physica*, sed etiam *moralis*, quando scilicet restitutio fieri non potest absque notabiliter graviori damno proprio. Nullus enim tenetur famam alteri restituere cum evidenti periculo vitae propriae, nisi ipsum per *calumniam* in simile periculum malitiose conjecerit (pag. 152); neque cum detrimento bonorum altioris ordinis, quando jactura istorum in prudenti aestimatione est longe majus detrimentum, quam damnum inferioris ordinis, pro quo deberet fieri restitutio. Neque cum detrimento notabiliter majori suae propriae famae; et hinc persona publica, cujus fama bono publico est necessaria, si ex restitutione famae deberet subire infamiam cum detrimento auctoritatis suae, non est ad hoc cogenda, sed satisfacit aliis beneficiis offensum demulcendo.

Q. 192. An admitti possit COMPENSATIO inter *famam* et *pecuniam*, ita 1°) ut tibi liceat famam alterius non reparare, quia alter non solvit pecuniae summam tibi debitam; 2°) ut, si alter non reparet *famam* tuam laesam, tu possis partem pecuniae, quam ei debes, pro rata infamiae retinere, vel etiam infamatori secreto auferre in illius COMPENSATIONEM?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant**; alii probabiliter **affirmant.** Caveat tamen qui hanc sententiam in praxim deduxerit, ne, judicem se constituens in propria causa, propter leve damnum gravem injuriam reparare omittat, aut vicissim, propter levissimam, gravem summam retineat aut occulte auferat. (Cfr. pag. 91 seq., Q. 110).

Q. 193. *Quomodo* HONOR restituendus sit?

R. *Modus* restituendi HONOREM is requiritur et sufficit, qui secundum gravitatem injuriae, qualitatem personarum, consuetudinem locorum, aliasque circumstantias, prudentis judicio, reputatur sufficiens ad reparandum HONOREM laesum, ita ut placari possit animus inhonorati et rationabiliter plus exigi non possit. Hoc autem fieri debet coram iis, coram quibus inhonorasti, vel saltem ita, ut iis innotescat.

Explanatur. Porro **A) Primus** modus competens est amica salutatio aut compellatio, vel exhibere signa benevolentiae; quo modo superior satisfacit subdito, dominus famulo, dux militi, etc.; hi enim raro tenentur veniam petere, « *ne*, dicente AUGUSTINO (epist. 109), *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* » **B) Secundus** modus competens aequalibus, est majora solito signa honoris ostendere, v. g. ad mensam invitare, locum honoratiorem cedere, propinare in sanitatem, etc. **C) Tertius** est humiliter veniam petere, non tamen flexis genibus; et ad hoc tenentur subditi erga superiores, quandoque et aequales inter se, si scilicet extraordinaria fuerit inhonoratio; ac valde decet, ut fiat inter aequales religiosos, ubi inhonoratio fuerit notabilis. Aliquando tamen, si offensus sumpserit vindictam, per illationem reciprocae injuriae, v. g. percutiendo, vulnerando, etc., non tenetur alter ad ulteriorem satisfactionem. Hoc enim probat communis hominum persuasio, et ulciscens videtur vindictam, quam sumit, acceptare pro satisfactione sibi debita. Sic quoque a restitutione honoris eximuntur plebeji, si inter ipsos facta fuerint aequalia convitia : quia statim adfuit compensatio.

CAP. IV. De restitutione ob damnum in bonis fortunae in casibus particularibus; scilicet : 1° quoad tributa; 2° quoad militiam ; 3° quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Gallicanae.

Q. 194. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit TRIBUTUM?

R. Ad 1^{um}) TRIBUTUM in genere significat omne id, quod Princeps vel Magistratus a subditis tribuendum exigit in ordine ab sustendanda onera communia.

R. Ad 2^{um}) Generatim dividuntur in TRIBUTA *directa* et *indirecta*.

Explanatur. 1°) Dicuntur **directa**, quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt, suntque apud nos : **A**) quae afficiunt bona immobilia *(contribution foncière)*; **B**) quae afficiunt bona mobilia ratione personarum et ipsas etiam personas *(contribution mobilière et personnelle)*; **C**) quae respiciunt atria, portas, fenestras aedium, juxta eorum numerum et situm; **D**) quae spectant mercaturae exercitium vel fodinarum extractionem *(les patentes et les redevances des mines)*.—2°) Dicuntur **indirecta** seu *vectigalia* aut *gabellae*, quae immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas, qui eas conficiunt, transvehunt, vendunt vel emunt, qualia sunt vulgo : *les droits d'accises, de douanes, d'octroi, de timbre, d'enregistrement, de barrières*, etc.

Q. 195. *Quid* dicendum sit circa *solutionem* TRIBUTORUM?

R. 1°) Certum est, subditos in conscientia, ex justitia saltem legali, *de jure* posse obligari ad solvenda tributa *justa* : tum, quia ipsa Scriptura id indicat (ROM. XIII, 5) : « *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal;* » tum, quia princeps et subditi pro sua quisque parte tenentur, ut oneribus societatis ferendis necessaria praesidia conferant. — Ut autem sint *justa*, requiritur : *A*) auctoritas legitima in imponente tributa; *B*) causa justa, i. e. vera necessitas aut utilitas reipublicae; *C*) proportio tributi cum necessitate et facultatibus singulorum. In dubio autem de TRIBUTORUM justitia ex S. LIG. (III, 617) non valet regula : « *Lex in dubio praesumitur justa;* sed potius praesumptio militat contra legem, « cum tot gravissimi DD. dicant, pauca esse TRIBUTA, in quibus conditiones omnes ad eorum justitam necessariae de facto concurrant. » Unde manet haec altera regula : « *In dubio favendum est ei, de cujus damno agitur.* » Exactores tamen possunt pro justitia praesumere.

R. 2°) Utrum *de facto*, leges TRIBUTORUM sint *praeceptivae*, an vero *mere poenales*, inter DD. *controvertitur*.

Explanatur. PRIMA sententia, quae communior est apud antiquos, imo, ex S. LIG. (III, 616) « *communissima et probabilior,* »

eas habet, ut de facto **praeceptivas**; SECUNDA, ut mere **poenales**, ita ut non obligent in conscientia, nisi ad poenam post judicis condemnationem. Ita NAVAR., SA, MALDERUS, B. ANGELUS *a* CLAVASIO, alii; idque probabile putant LESS., BONAC., SCAV. cum aliis. Rationes sunt : **A**) hujusmodi leges imponuntur sub poena, et praesumitur principem nolle suos subditos obligare ad culpam et ad poenam; **B**) defraudatio TRIBUTORUM compensatur per exactionem *mulctarum*, atque adeo, si restituerentur TRIBUTA non soluta, ultra necessitatem ditesceret fiscus; **C**) saltem dubium est, satis fundatum, an leges TRIBUTORUM obligent ad culpam et ad poenam : porro, in dubio nemo tenetur lege, quatenus dubia est; **D**) praeterea, si ad culpam simul ac ad poenam obligarent, attenta harum legum multitudine ac poenarum gravitate, vix amplius justae dici possent; **E**) denique communissima praxis id habet; jam vero, leges non aliter vigent, quam communi utentium praxi receptae sunt. Nec obstat declaratio LUDOVICI XVIII (10 Maii et 18 Nov. 1814), quae sic habet : « *Le refus de payer un impôt, dont on n'est pas affranchi par la loi est* UNE FAUTE... *Le Gouvernement a besoin de toutes ses ressources. Nous espérons que nos sujets acquitteront tous les impôts directs et indirects.* » Haec enim declaratio facta fuit tempore quo, ob maximas et adhuc instantes calamitates subsidiis maxime indigeret status; aliunde adeo generalis est, ut in ea agi possit de culpa contra justitiam legalem tantum, non vero contra justitiam strictam. Quare, aetate subsequente, dicere potuit TOULLIER : « *Les règlements relatifs à la perception des impôts n'établissent qu'une obligation* PUREMENT CIVILE, *qui soumet les contrevenants à l'amende ou à la peine portée par la loi; mais ils ne forment point contre eux* OBLIGATION NATURELLE. » — Hinc, si probabiliter juxta hanc sententiam excusantur a peccato injustitiae qui empto praedio, in contractu minus fingunt pretium, ne totum solvant TRIBUTUM; pariter excusantur notarii defraudationi cooperando, non tantum *negative*, eam non impediendo, sed etiam *positive*, eam scilicet contrahentibus suadendo : non enim constituuntur *ex officio* ad TRIBUTA fisco procuranda, ut praepositi TRIBUTORUM, de quibus diximus (pag. 129); sed ad actus publicos recte conficiendos; declaratio autem pretii, ad valorem actus non pertinet.

Resolvitur 1. In praxi, prout jam antea monuimus (tom. I,

pag. 145) *ante factum* praestat de hac controversia altum servare silentium coram populo eumque suaviter adducere ad leges omnes adimplendas. At *post factam* defraudationem non est poenitens urgendus ad restitutionem. **Resol. 2.** Consentiunt DD., etiam illi qui tenent leges TRIBUTORUM esse mere poenales, defraudatores non esse a peccato immunes : **A**) Si *ex pacto* expresso vel tacito cum exactoribus solutionem justi tributi evitaverint : peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando; **B**) Si *vi* erga eos adhibita, sive tributum, sive mulctam juste impositam, solvere detrectaverint : peccant enim saltem contra justitiam legalem; **C**) Si ratione tributi vel mulctarum, quas juste solverunt, aliquid *clam* surripuerint.

Q. 196. Ad *quid* teneantur nondum *inscripti* MILITIAE, qui ab hac se *subtrahunt*, si alii eorum vices supplere debent?

R. 1°) Qui pecunia, seductione, protectione aut aliis mediis magistratus vel medicos *corrumpunt*, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem tenentur, si non ut damnificatores physici, saltem ut injustitiae cooperatores, quatenus eos inducunt, ut jus strictum violent, cum scienter in unius loco alterum ad militiam indebite requirant. Et ideo ad restitutionem tenetur primo loco qui eximitur : quia beneficium ex illa injustitia directe defluens recipit; deinde vero magistratus et medici.

R. 2°) Qui autem *mendaciis*, *fraudibus*, *praeviis mutilationibus*, aut *fictis morbis* eosdem magistratus *decipiunt*, ut ad scrutinium non vocentur aut eximantur, an obligentur ad restitutionem, DD. *disputant*. Alii *affirmant* cum BOUV., GOUSS., COLL. AND.: quia juvenes exempti jus strictum habent, ne talia media in ipsorum praejudicium adhibeantur, cum ideo ipsi teneantur militare. Alii vero satis probabiliter *negant* : quia non sunt causa *efficax* inscriptionis alterius.

Explanatur. Non quidem sunt causa **efficax** : quia eorum deceptio neque *physice* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos; unde non efficaciter influunt in alios vocandos, sed solum in se eximendos; et si alii inscribuntur, hoc provenit per *accidens*, quatenus scilicet deficiente uno, inde occasione data, lex alterum vocet ad arma. Comparari possunt reo qui, accusatus de crimine quod patravit, ab eo se purgat coram judice, etiamsi prae-

videat, occasione mendaciorum et mediorum, quibus utitur ad probandam suam innocentiam, accusatorem gravi mulcta plectendum esse in poenam delationis, quae falsa creditur ob probationis defectum : quo casu reus non est hujus damni causa, sed tantum occasio. Praeterea, etiamsi hujusmodi se eximentes deprehendantur, non ideo in ipsorum loco appellati dimittuntur, vel aliqua compensatio imponitur illis tribuenda. Itaque non videntur teneri ad restitutionem, quamvis peccent tum mentiendo; tum se mutilando sine causa; tum, juxta communiorem sententiam, contra justitiam legalem, gubernio in lege justa non obediendo. Non desunt tamen DD., qui hanc legem conscriptionis justitiae distributivae adversari existiment, cum solae familiae juvenes militiae idoneos habentes tantum onus subeant.

Resolvitur 1. Ex dictis sequitur pro **praxi,** quod, stante probabilitate hujus sententiae, iniquum foret restitutionem exigere : quippe injustum est et contrarium axiomati : « *melior est conditio possidentis,* » imponere certum restitutionis onus, quando probabile est, nullam hujus oneris obligationem exsistere. **Resol. 2.** Milites exercitum *deserentes* redire tenentur juxta communiorem sententiam saltem ex justitia legali; alicubi vi jurisjurandi quo se obligarunt ad militandum pro tempore a lege praescripto; quandoque etiam ex justitia commutativa, si pacto libero se locaverunt. Excipe : **A**) si bellum sit certe injustum juxta dicta (tom. I, p. 466); **B**) si grave salutis periculum offenderent, ut si media confitendi non suppeterent; **C**) si redeuntes morte aliisve poenis gravissimis forent plectendi. **Resol. 3.** Qui se *locavit* pro alio et deinde militiam deserit, tenetur per se : **A**) restituere pretium acceptum, quia pacto non stetit; **B**) reparare damnum praevisum, si ille pro quo se locaverat militiam subire cogatur. Dixi : *per se;* nam si nullum damnum nullumque hujus periculum incurratur, non est urgenda restitutio : quia conductor pacto nihil aliud intendit quam suam liberationem; hac igitur obtenta, conductus non committit injustitiam, nec pactum proprie frangit.

Q. 197. *Quid* dicendum circa restitutionem *bonorum ecclesiasticorum*, quae tempore PERTURBATIONIS *gallicanae* fuerunt usurpata?

Q. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) fuerunt occupata a **privatis**, propria auctoritate; vel 2°) ab ipso **Gubernio**. — Si **primum**, i. e. si penes privatos remanserunt, v. g. eorum bonorum colonos, cum nulla condonatio intercesserit, episcopo sunt restituenda. — Si **secundum**, i. e. si a Gubernio fuerunt occupata, *subdistinguendum* est : **A**) Condonata fuerunt bona occupata et alienata ante Concordatum 15 Aug. 1801, per Bull. Pii VII « *Ecclesiae Christi.* » Unde quoque S. Poenit. (20 Mart. 1818) de expressa Apost. auctoritate declaravit hujusmodi « *bona ecclesiastica... in plena acquirentium proprietate esse, adeo ut ea retinere, iis gaudere, atque alienare etiam illa tuto ac libere possint, in foro tum externo, tum interno, dummodo tamen acquisitio facta fuerit secundum leges tunc vigentes.* » **B**) Bona occupata ante concordatum, et alienata postea, condonata sunt, non quidem per Concordatum, sed per Breve Pii VII, (20 Oct. 1821) ad Episc. Pictav. Unde debebant restitui ante Breve Pii VII. **C**) Quoad bona occupata post Concordatum, condonata sunt a Greg. XVI pro Belgio per Breve « *Epistolam* » (16 Sept. an. 1833). Sed quoad Galliam nihil est definitum. — Illa autem condonatio relative ad *bona* ecclesiastica, extendenda est ad eorum fructus et onera respectu ad ecclesiam, v. g. quoad missarum fundationes: non vero quoad onera temporalia respectu ad privatos, erga quos illa bona erant legaliter gravata, quae Papa nec voluit nec potuit condonare. « *Hortatur tamen* » S. Pœnit. (l. c.) acquirentes; « *ut pro sua pietate ac religione satisfacere velint piis Missarum, eleemosynarum aliarumque rerum similium oneribus, quae bonis illis olim forsan infixa erant.* »

Nota. Similis *sanatio* a S. Sede facta est : 1°) pro Anglia, post Henricum VIII, ex facultate a Jul. III Card. Polo concessa; 2°) pro regno Utriusque Siciliae, die 7 Mart. 1819, per Const. « *In supremo;* » 3°) pro Pedemonte et Genuensi Ducatu, die 20 Dec. 1816, per Brev. « *Datis ad nos demum;* » 4°) pro Borussia, die 16 Jul. 1821, per Const. « *De salute animarum;* » 5°) pro toto Sardiniae regno, die 14 Maii 1828, per Bull. « *Gravissimae* » Leon. XII (1).

(1) Hodie facultas **emendi** bona Ecclesiae usurpata et nondum condonata, v. g. bona in Italia ab an. 1860 inique usurpata, non ita facile conceditur, nisi extraordinariae adsint circumstantiae, vel agatur de personis, quae morum probitate et zelo religionis sint conspicuae, quaeque ad praedictam emptionem praecipue majori Ecclesiae et personarum, ad quas eadem bona de jure pertinent, utilitate motae censeantur. Praeterea hujusmodi facultas a S. Poenit. ipsis non conceditur, nisi prius loci Ordinario aut aliis viris eccle-

Q. 198. Quid dicendum circa restitutionem bonorum privatorum injuste *proscriptorum (des émigrés)?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) fuerunt occupata a **privatis**; vel 2°) a **republica.** Si **primum,** debent adhuc restitui. Si **secundum,** tunc *subdistinguendum* est : **A**) Acquisitores bonorum *nationalium* ad restitutionem tenebantur usque ad tempus *Restaurationis* an. 1814 : nulla enim legitima dominii translatio facta fuerat. **B**) Iidem acquisitores ab an. 1814, quo Ludov. XVIII Constitutionem publicam tulit ad possessiones hujusmodi bonorum *nationalium* confirmandas, et praesertim a die 27 April. 1825, quo lex *indemnitatis* sancita est a Carolo X sub hisce verbis : « *Trente millions de rente, au capital d'un milliard, sont affectés à l'indemnité due par l'Etat aux Français dont les biens fonds situés en France, ou qui faisaient partie du territoire de la France, au 1^r^ janvier 1792, ont été confisqués et aliénés, en exécution des lois sur les émigrés, les déportés et les condamnés revolutionnairement,* » non amplius ad restitutionem tenentur, modo acquisitio fuerit legalis seu auctoritate Gubernii facta. Haec enim lex, statuens dandam spoliatis summam 30 millionum redditus *(de 30 millions de rente)*, quamvis indemnitas longe esset insufficiens, consideratis tamen rerum circumstantiis, probabilius valebat in conscientia ; idque adhuc admittendum videtur, quamvis gubernium spoliatis tantum restituerit novem decimas *(les neuf dixièmes)*, quum 5 Jan. an. 1831 fisco addixerit decimam partem solvendam *(les trois millions de rente qui restaient encore à payer)*. Utrum bona *mobilia* comprehendantur sub beneficio ratihabitionis, non constat : lex enim an. 1814 nullum de istis verbum habet, et lex an. 1825 non loquitur nisi de immobilibus *(biens fonds)*. Plurimi tamen sentiunt de mobilibus annexis praediis aut domibus, sicut de immobilibus : quia « *accessorium sequitur principale.* »

siasticis, ab ipso Ordinario pro sua prudentia per dioecesim designandis, consignaverint syngraphaam ab eis subscriptam seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancellaria dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque haeredes et successores subjicere declarent : 1° *Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.* 2°) *Conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi.* 3°) *Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.* 4°) *Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis, ad quae de jure pertinent.* 5°) *Monendi haeredes et successores per syngraphaam subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.* Quae conditiones pariter requiruntur, quando Ordinariis conceditur facultas, sive per se, sive per confessarios sibi benevisos, indulgendi emptoribus, ut **retineant** bona sine licentia empta, praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis cum poenitentia salutari. Cfr. *Inst.* S Poenit. (1 Jun. 1869) ap. N. R. T. (I, 562 seqq.)

DE CONTRACTIBUS.

PRAEAMBULUM. Hujus tractatus **duplex** erit pars. In **prima**, agetur de contractibus *in genere ;* in **secunda**, de contractibus *in specie;* et quidem in *prima* sectione dicetur : de contractibus *gratuitis;* in *secunda* vero : de contractibus *onerosis*.

PARS PRIMA.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAP. I. De quidditate, divisione, et requisitis ad contractum.

Q. 1. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CONTRACTUS?

R. Ad 1^um^) CONTRACTUS *generatim* sumptus ex JUR. ROM. (L. I, ff. *de Pactis*) communiter definitur : « *duorum pluriumve in idem placitum et consensus,* » in ordine ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum, ex quo utrimque vel ex altera saltem parte nascitur obligatio.

Explanatur. 1°) Per verba : « **duorum pluriumve** » exprimitur *subjectum* CONTRACTUS, qui necessario duas saltem personas supponit, cum nemo secum contrahere possit vel jus alteri nescienti aut non acceptanti conferre, licet plures esse possint, ut facile intelligitur. 2°) Per verba : « **in idem** » i. e. in unum, unamque sententiam, exprimitur *objectum* seu *materia* CONTRACTUS, scilicet aliquid dandum, faciendum aut omittendum. 3°) Per verba : « **placitum et consensus** » exprimitur *essentia* CONTRACTUS qui sine mutuo consensu subsistere non potest. « Unde, ait REIFF., si unus quidpiam donavit aut promisit, alter vero id non acceptavit aut recusavit, jam non fuit contractus, neque oritur inde aliqua obligatio. » Est itaque CONTRACTUS veluti privata lex quam quis sibi voluntarie imponit, ex qua, tanquam *effectus*, oritur obligatio seu vinculum morale quo *uterque* vel *unus* saltem contrahentium se adstringit necessitate alicujus rei solvendae, faciendae aut omittendae. Cum JUR. ROM. concordat JUS GALL. inquiens (art. 1101) : « *Le contrat est une convention par laquelle une ou plusieurs per-*

sonnes s'obligent envers une ou plusieurs autres, à donner, à faire ou à ne pas faire quelque chose. »

R. Ad 2^um^) *Multiplex* distinguitur, et quidem praecipue *quintuplex.*

Explanatur. 1) Alius est **unilateralis** seu **gratuitus,** alius **bilateralis** seu **onerosus,** prout in *uno* tantum *latere* seu contrahente, ut est *promissio, donatio,* aut in *utroque,* ut est *emptio venditio,* parit obligationem. *Bilateralis* etiam dicitur *synallagmaticus* a duabus vocibus graecis (σὺν una simul ἀλλάσσω permuto); et subdividitur : *A*) in *commutatorium,* in quo uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid aequivalens et certum, sicut in venditione ; et *B)* in *aleatorium,* in quo aequivalens est spes lucri obtinendi vel damni vitandi, ab incerto eventu pendens, ut in ludis, assecurationibus, censibus *(rentes viagères).* 2) Alius est **nominatus,** qui in jure habet proprium nomen, ut venditio, depositum, etc. ; alius **innominatus,** qui tale non habet, estque quadruplicis generis : *do ut des ; do ut facias ; facio ut facias ; facio ut des,* vel modis oppositis : *do ut non facias,* etc., v. g. do vestem, ut non exigas debitum ; non exigo, ut pro me labores. 3) Alius est **formalis** seu **explicitus** et alius **virtualis** seu **implicitus,** qui et *quasi-contractus* dicitur, prout fit *expressa* partium conventione, vel *tacita* tantum, ut si officium aliquod acceptasti, v. g. medici, judicis, tutoris, etc., eo ipso obligaris ad illud diligenter peragendum. 4) Alius est **nudus** et alius **vestitus,** prout caret vel vestitur aliqua circumstantia, ob quam robur habet et parit actionem in foro civili. 5) Alius est **purus** et alius **non-purus,** prout nullam vel aliquam habet annexam qualitatem seu modificationem. Praecipuae autem contractuum modificationes sunt : *A) juramentum ; B) modi ; C) conditiones ;* de quibus postea.

Q. 2. *Quaenam* requirantur ad *valorem* CONTRACTUS ?

R. Quatuor requiruntur : 1°) *materia apta ;* 2°) *subjectum capax ;* 3°) *consensus legitimus ;* 4° *forma substantialis,* si qua sit a jure praescripta. De singulis pauca.

ART. 1. De primo requisito seu de materia apta.

Q. 3. *Quid* sit *materia* CONTRACTUS ?

R. Cum CONTRACTUS sit medium acquirendi dominium (p. 42), hinc quidquid dominii objectum esse potest, generatim potest esse *materia* seu *objectum* CONTRACTUS.

Q. 4. *Qualis* debeat esse *materia* CONTRACTUS?

R. Debet esse : 1°) *possibilis* ; 2°) *exsistens*, saltem in spe probabili ; 3°) *propria* ; 4°) aliunde *ex justitia non debita* ; 5°) *honesta*.

Explanatur. Dicitur : 1°) **possibilis,** non solum *physice*, sed etiam *moraliter*, ita ut, considerata imbecillitate humana, non superet nostras vires : quia, si non sit talis, et hoc contrahens sciat, non potest se serio velle obligare ; si nesciat, est error circa substantiam. Quod si partim sit *possibilis*, partim *impossibilis*, valet contractus, si ea sit *divisibilis* et consensus feratur *divisibiliter* : ut si contraxeris de tradendis 100 modiis tritici et non possis dare nisi 50. Secus, si materia sit *indivisibilis*, vel consensus feratur *indivisibiliter* : ut si promiseris horologium sciens te in illud habere tantum jus partiale ; vel si emeris duos equos ejusdem coloris et magnitudinis pro trahenda rheda et venditor non possit dare utrumque. Dicitur 2°) **exsistens**, saltem in spe probabili : quia ipsa probabilitas rei seu illius spes habetur ut aliquid pretio aestimabile. Hinc vendere licet fructus ex agro tali anno proventuros, lucrum ex tali negotiatione speratum. Dicitur 3°) **propria**, i. e. ejus, qui per contractum transfert jus in alterum : quia « *Nemo plus juris transferre potest, quam ipse habet.* » Hinc si quis rem furtivam emat, invalide emit, etiamsi bona fides in utroque contrahente adfuerit. Dicitur 4°) **aliunde ex justitia non debita** : quia dans aliquid pro re sibi *ex justitia* debita, aequivalenter emit rem suam. Hinc **A**) accepta per *modum pretii* pro ferenda sententia justa, vel ut advocatus non protrahat inique causam quam suscipit, vel ut quis abstineat a furto, ab homicidio, a detractione, sunt danti restituenda. Secus *probabiliter* dicendum, si pretium detur ab aliquo tertio, ut si v. g. Petro dem pecuniam, ut non occidat Paulum : quia licet Paulus habeat jus, ut sibi Petrus non noceat, ego tamen jus non habeo, ut Petrus Paulo non noceat, et consequênter possum illud jus emere. Licet quoque pretium accipere pro actione tua ex justitia alicui jam debita, si eadem actio

alteri prodesse possit, illaeso jure prioris, cui debetur; et sic v. g. si Titius te conduxerit ut tendas ad certum locum negotii pertractandi gratia, potes etiam a Petro conduci ad iter illud peragendum pro novo negotio tractando, modo posterius mandatum priori non noceat. E contra **B**) si res sit debita, non ex justitia, sed ex alia virtute, v. g. *charitate*, modo opus sit pretio aestimabile, contractus est validus : quia per eum acquiritur novum jus strictum, et ideo medicus et advocatus non debent restituere, si pretium acciperent a paupere, cui ex charitate gratis inservire tenebantur, modo tamen non sint ad hoc conducti stipendio a communitate. Si tamen opus non foret *pretio aestimabile*, contractus foret invalidus; et ideo ad restitutionem teneretur ille, qui pecuniam exigeret a constituto in bivio et viam rogante, si absque ullo labore aut temporis jactura, v. g. solo indice, illam ostendere valeret. Dicitur 5°) **honesta** : quia ad turpe et illicitum non potest esse obligatio. Hinc quidquid prohibitum est lege naturali, divina vel humana, *obligante in conscientia*, de illo non valet contractus. Quare promittens non tenetur dare, et accipiens, saltem opere non patrato, non potest retinere. Talia sunt pacta de patrando homicidio, adulterio, furto, sacrilegio et hujusmodi. Quod si *lege tantum poenali* aliquid prohibetur, valet contractus : quia illud est de se licitum, quod potest quis etiam per leges facere, si se ad poenam resolvat. — Sufficit autem ad contractus validitatem, ut materia sit *substantialiter* honesta : contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit, v. g. si mala intentione fiat : ut si emam gladium ad occidendum inimicum; vel si in se sit prohibitus fieri, supposito tamen quod fiat, non irritatur, juxta regulam juris : « *Multa prohibentur fieri, quae tamen facta tenent.* » Tale est matrimonium initum post sponsalia cum alia persona.

Q. 5. An res *mere spiritualis* possit esse *objectum* CONTRACTUS?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de contractu **gratuito**, vel **oneroso.** Si **1**^{um}) *affirmative* : quia nulla lex obstat. Sic possum promittere orationes, missas, sacras reliquias. Si **2**^{um}) *subdistinguo :* **A**) *affir-*

mative per se, si res ex utraque parte sit spiritualis. Sic possunt dari sacerdoti reliquiae cum pacto ut quasdam missas celebret. Excipe, si accedat Ecclesiae prohibitio, ut contingit v. g. in permutatione beneficiorum, quae privata fiat auctoritate (tom. 1, p. 372, Q. 33). **B**) *Negative*, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex alia : quia esset simonia. Hinc injuste ageret, qui pecuniam exigeret pro danda absolutione.

Q. 6. An res temporalis *spirituali annexa* possit esse *objectum* CONTRACTUS *onerosi?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel annexa est **antecedenter**, vel **consequenter**, vel **concomitanter.** Si **1°**) *affirmative* per se (tom. 1, pag. 373, Q. 33). Hinc vendere licet calicem benedictum. Si **2°**) *negative.* Hinc prohibetur jure ecclesiastico venditio beneficiorum quoad jus ad fructus. Si **3°**) *subdistinguendum :* vel annexa est *intrinsece*, vel *extrinsece (ibid.* pag. 370). Si **A**) *negative* : quia tunc res temporalis nullum habet valorem inseparabilem a re sacra, uti est labor intrinsecus sacerdotis in absolvendo, etc. Si **B**) *affirmative*, uti est labor extrinsecus horae celebrationis vel itineris pro missa.

Q. 7. An semper *restituenda* sit res ex *turpi* CONTRACTU accepta.

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ante positionem operis turpis, *affirmative*, modo sit data per modum *pretii.* Ratio : quia, cum nequeat dari obligatio ad peccandum, dominium rei hujus non fuit valide translatum. Dixi : *modo* etc. Nam si data tantum sit per modum *allicitivi*, non esset ex justitia restituenda : quia unusquisque potest retinere quod liberaliter datur. Hinc, si vir aliquid mulieri donaverit ad eam seducendam, illa, denegato consensu, non peccaret contra justitiam rem retinendo. Difficulter tamen excusaretur a peccato scandali et contra charitatem : quia ipsa acceptio est causa, quod ille det, et certum est, eum non daturum sine novo peccato. **2°) Post positionem** operis, *duplex* datur sententia : **A**) **Prima** docet pretium esse restituendum : quia contractus invalidus ante operis positionem, per ejusdem positionem validari nequit. Aliunde,

si pretium retineri posset, esset ideo, quod opus sit pretio aestimabile, quod dici nequit. **B**) **Secunda**, quae est *communior*, quam et late probat Bill., docet ex S. Thom. (2. 2. q. 32, a. 7;—q. 62, a. 5 ad 2; —q. 87, a. 2 ad 2; — item in 4. q. 15, q. 2, a. 4, q. 2 seq.) pretium retineri posse : imo, et dari ex justitia debere, modo accipiens non sit per legem inhabilis factus ad accipiendum, et pretium non sit excessivum. Ratio est : quia intervenit duplex contratus : unus *absolutus*, nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic, impleta conditione, fit validus. Aliunde, quamvis opus substantialiter turpe pretio dignum non sit, quatenus est malum, est tamen pretio dignum ob utilitatem et delectationem unius et pericula ac incommoda alterius praestantis opus turpe, v. g. in meretrice. Dixi : **a**) *modo accipiens per legem* **non sit inhabilis** ; nam jus positivum obligat ad restitutionem simoniacum in materia beneficiorum, in ingressu religionis et ordine. Dixi : **b**) *modo pretium* **non sit excessivum**; secus enim non esset justum, ut si meretrix, quae usum corporis solet conducere aureo uno, a juvene extorserit 5 Napoleones.

Resolvitur. Quum utraque sententia ex judicio S. Lig. (III, 712) sit probabilis, **practice** licet agere juxta regulam quod *melior sit conditio possidentis*. Hinc, opere completo, retineri potest quod datum est a complice : contra, solvere non tenetur, qui promissum servare tergiversatur. Unde quoque S. Poenit. (22 April. 1822) ita decidit : « *Mulier poenitens non* COGENDA *est, sed* HORTANDA, *ut pretium meretricii, juxta prudentis confessarii judicium, eroget in usus pios.* »

ART. II. De secundo requisito seu de subjecto capaci.

Q. 8. *Quinam* possint *contrahere?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ex **jure naturae** omnes et soli, qui usum habent rationis, valide possunt contrahere de rebus, de quibus possunt libere disponere. **2°**) Ex **jure positivo** ad contrahendum habiles sunt, qui jure naturae contrahere possunt, nisi per legem declarentur inhabiles. Sic *A*) lege *canonica* religiosi, qui votum

solemne paupertatis emiserunt, prorsus inhabiles sunt, sine legitima dispensatione, ad contractum, qui actum proprietatis includeret; possunt tamen ii, ad quos pertinet, nomine communitatis, si haec dominii capax sit, hujusmodi contractus inire. Sic *B*) lege *civili* inhabiles sunt *minores*, *interdicti*, nec non *mulieres conjugatae*. Illi tamen, si naturaliter non sit incapaces, jure civili non inhabilitantur *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*. Inhabilitas quippe est, quae illis tantum favet, non aliis secum contrahentibus. Praeterea inhabiles illi tantum sunt pro casibus in lege determinatis (a. 1125).

Q. 9. *Quinam* 1°) ex jure *gallico* vocentur MINORES; 2°) *quotupliciter* distinguantur; et 3°) an *valide* contrahant?

R. Ad 1^{um}) *Minores* sunt filiifamilias utriusque sexus, qui nondum annum 21 compleverunt. Attamen, respectu matrimonii contrahendi, *masculi*, qui habent parentes aut ascendentes, non reputantur majores, nisi ad annum 25 pervenerint.

R. Ad 2^{um}) *Dupliciter* distinguuntur.

Explanatur. Alii **non emancipati,** qui simpliciter subjiciuntur auctoritati patris vel tutoris, per quos in actibus civilibus repraesentantur. Alii **emancipati,** qui ab auctoritate patris vel tutoris per beneficium *emancipationis*, quae *duplex* est (pag. 25), liberati sunt, ita ut civiliter agere possint nomine proprio, ea tamen restrictione, quod in variis actibus indigeant assistentia curatoris vel concilii familiae vel tribunalis; sicque medium locum tenent inter majores et inter minores sub tutela.

R. Ad 3^{um}) Validitas aut firmitas contractus, a *minoribus* initi, a variis locorum legibus pendet. Ad eas igitur quisque in sua regione attendere debet.

Explanatur. De *jure* **naturali** minores valide contrahunt, si usu pleno rationis gaudeant. De *jure* **gallico** contractus minorum, sine assistentia patris aut tutoris, si non sint emancipati, vel, si sint emancipati, sine assistentia curatoris, concilii familiae aut tribunalis, pro casibus in quibus tali assistentia indigeant, sunt quidem validi, sed non firmi : i. e. possunt quandoque esse *rescindibiles* a parte minoris, non vero a parte eorum, qui cum eo con-

traxerunt, cum hi ejus incapacitem invocare nequeant. Et quidem sunt certo *rescindibiles*, saltem *regulariter*, in casu laesionis (a. 1305). Hinc axioma : « *Minor non restituitur tanquam minor, sed tanquam laesus.* » Dixi : *regulariter* : quia, *per accidens*, beneficium restitutionis seu rescissionis, etiam in casu laesionis, admitti nequit : **1°**) Si minor laesus fuerit tantum casu fortuito, ut si emerit domum contractu sibi favente, quae postea incendio perit (a. 1306); **2°**) Si laesus fuerit in actibus commercii vel professionis (aa. 1308 et 487); **3°**) Si laesus fuerit in contractu matrimonii, cui consenserunt illi quorum consensus exigebatur (a. 1309); **4°**) Si delicto aut quasi-delicto alium induxerit ad contrahendum (a. 1310); **5°**) Si, major factus, approbaverit contractum a se minore initum (a. 1311); **6°**) Si ditior ex contractu evaserit vel damnum injustum alteri contrahenti intulerit (aa. 484, 1241).

Q. 10. An MINOR *tuta conscientia* uti possit beneficio *rescissionis?*

R. *Affirmative*, per se, cum lex illa justa sit, quippe quae fundetur in periculo deceptionis. Secus, si sit in mala fide; et ita rescissionem postulare nequit, ut eximatur a restitutione pecuniae, quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit : quia tenetur adimplere obligationem quam certo novit, cum pecuniam postularet. Ipsius vero culpae tribui debet, si nullum emolumentum acceperit.

Q. 11. *Quinam* 1°) dicantur INTERDICTI, et 2°) *quid* de valore eorum *actuum* sit judicandum?

R. Ad 1^{um}) INTERDICTI dicuntur, qui judicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi, ob statum imbecillitatis, aut dementiae, aut furoris. Huc referri possunt etiam damnati ad poenam juribus civilibus privantem, qui, si non judicialiter, certe legaliter sunt interdicti.

R. Ad 2^{um}) Quod ad *valorem* actuum initorum ab INTERDICTO attinet, *distinguendum* est.

Explanatur. Vel positi sunt **post** judicium interdictionis, vel **ante.** Si **1°**) sunt *radicaliter nulli*, tum lege naturali, tum civili, si defuerit intelligentia ad requisitum consensum; secus, sunt *rescindibiles* ex jure civili tantum, idque independenter a laesione.

Si **2°**) *subdistinguendum* est : vel **A**) eorum nullitas postulatur adhuc *vivente* interdicto ; et tunc actus sunt tantum *rescindibiles*, i. e. irritari possunt a judice, si causa interdictionis *notoria* esset tempore quo initus est contractus (a. 505) ; vel **B**) postulatur jam *mortuo* illo, qui interdici potuisset aut debuisset, et tunc irritari nequeunt actus causa dementiae, nisi ante ipsius mortem interdictio postulata fuerit, vel dementia colligatur ex ipsomet contractu, vel agatur de donationibus et testamentis. (aa. 504 et 901).

Q. 12. *An* et *quatenus* UXOR contrahere possit ?

R. Potestas *uxoris* relative ad CONTRACTUS maxime pendet a regimine matrimoniali.

Resolvitur. 1°) Sub regimine *dotali* potest alienare bona paraphernalia mobilia et immobilia paraphernalia administrare (a. 1576). **Resol. 2°**) Sub regimine *communitatis* valide contractus inire potest pro omnibus actibus commercium spectantibus, quando vacat commercio publico et separato (a. 220). **Resol. 3°**) Sub regimine *communitatis exclusivo*, cum stipulatione *separationis* bonorum, alienare potest mobilia et immobilia administrare (aa. 1449 et 1536). **Resol. 4°**) Extra hos casus, mulier ex lege *gallica* inhabilis est ad quoscumque contractus ineundos absque *speciali* concursu mariti vel judicis auctoritate, nisi agatur de actibus causa mortis (aa. 217, 776, 905, 1124, 1595). Unde, sub quocumque regimine nupserit, mulier nequit bona immobilia donare, vendere, nec titulo gratuito aut oneroso quidquam acquirere extra casum commercii publici, absque consensu mariti vel judicis. Praeterea conjuges inter se venditiones facere nequeunt, nisi in tribus casibus designatis (a. 1595). Sed potest uxor pro libitu suo disponere de bonis suis per testamentum : quia parvi refert mariti, ut mulieris domini, quaenam futura sit uxoris dispositio testamentaria, cum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii solutionem. — Nullitas autem, quae afficit contractus UXORUM, non est *pleni juris*, sed *incompleta*, seu rescindibilitas aut rescissio *(action en nullité, en rescission)*, cum requiratur judicis sententia ad eam declarandam. Nec est *absoluta*, sed *relativa* tantum, i. e. invocari potest, et quidem independenter a laesione, ab uxore, vel ejus marito, vel ab eorum haeredibus ; non vero ab aliis qui cum uxore contraxerunt.

ART. III. De tertio requisito seu de consensu legitimo.

Q. 13. *Qualis* requiratur CONSENSUS ad valorem contractus ?

R. Ad valorem contractus requiritur CONSENSUS : *internus*, *externus*, *mutuus*, *actualis* sive *virtualis*, *perfecte deliberatus*.

Explanatur. Dicitur 1°) **internus** seu **verus** : i. e. animus se obligandi, saltem implicitus, ut dum quis facit vel vult aliquid, ex quo naturaliter et necessario sequitur obligatio ; et sic qui judicis officium suscipit, censetur *implicite* velle se obligare ad justas edendas sententias. Ratio est : quia contractus essentialiter importat obligationem ; per hoc enim differt a mero proposito ; atqui, ubi deest voluntas se obligandi, ibi quoque deest obligatio, cum in tantum quis obligetur, in quantum voluit. Hinc **A**) non requiritur animus obligationem *implendi :* stant enim simul se obligare ad aliquid et tamen ex malitia non velle huic obligationi satisfacere. Aliquando tamen voluntas non implendi obligationem, externe manifestata, potest esse signum, praesertim in contractibus *gratuitis*, quod contrahens noluerit serio contrahere, ut si quis diceret : promitto tibi horologium, sed nunquam illud habebis. Contra **B**) non sufficit consensus *fictus* : i. e. serio quidem exterius prolatus, sed interius absque animo se obligandi ; et ideo si quis exterius contractum simulet, v. g. sponsalia, si animus se obligandi desit, nil efficit in foro conscientiae, nec obligationem naturalem contrahit, nisi reparandi damnum ex tali simulatione comparti secutum, cujus est injusta causa. In foro tamen externo judicabitur pro valore contractus, nisi probet defuisse consensum : quia homines de solis externis judicant. Ordinarie etiam obligabitur in conscientia, sed *mediate* tantum, in quantum tenetur tollere fictionem, ponendo verum consensum : qui enim serio contrahit cum alio, habet jus, ut et alter serio agat. Quod si **C**) quis velit contrahere, et tamen nolit se obligare, habet voluntates repugnantes, et videndum, quaenam praevaleat : si primario velit se non obligare, contractus est nullus ; si primario velit contrahere, secundario se non obligare, valet ; si utrumque aequaliter velit, est nullus, quia tendit ad impossibile, scilicet ad contractum sine obligatione.

Dicitur 2°) **externus** : i. e. aliquo signo sensibili exterius manifestatus; contractus enim est actus humani commercii, qui nonnisi per signa externa perficitur. Et quidem de *jure naturae* sufficit signum qualecumque, modo ex eo innotescat voluntas contrahentium, sive dictum, scriptum, factum, sive explicite aut implicite manifestetur. De *jure civili* varia de signis statuuntur, quorum alia requiruntur ad *probationem*, alia vero ad *solemnitatem*. Si priora desint, poterit nulla esse obligatio civilis, sed naturalis certo exsurget; si desint posteriora, non datur obligatio civilis; utrum vero detur naturalis, DD. *disputant*.

Dicitur 3°) **mutuus** : i. e. ab uno datus et ab altero, saltem *implicite*, acceptatus; et sic aliquando sufficit taciturnitas, ut si promittatur alicui res ipsi grata. Attamen per se non requiritur, ut etiam notificetur ista aeceptatio : nam ad contractum perficiendum satis est, quod adsit duorum consensus in idem; porro ille exsistit statim ac intentio unius fuit alteri intimata, et ab isto acceptata. Dixi : *per se;* nam excipe, nisi aliud decernat : aut **A**) *lex;* et sic ex (a. 932) donatio inter vivos in favorem absentis facta, vim non habet, nisi acceptatio donatarii expresse et juridice denuntiata fuerit donatori; aut **B**) *consuetudo;* et sic ex praxi recepta satis constare videtur venditionem non esse perfectam, nisi notificata de facto, vel saltem irrevocabiliter missa acceptatione, ita ut ante hujusmodi notificationem res venditori periret aut alteri valide venderetur; aut **C**) *expressa contrahentium intentio*, qua scilicet consensum usque ad notificationem acceptationis suspendere velint.

Dicitur 4°) **actualis** sive **virtualis** : i. e. procedens ab actu voluntatis hic et nunc exsistente, vel moraliter seu virtualiter perseverante, ita ut non sufficiat consensus : *habitualis*, ut si contractus fieret in ebrietate, licet te inebriasses cum intentione contrahendi; nec *interpretativus*, qui datus fuisset, si mens de re cogitasset; nec *praesumptus*, qui praesumiter adfuisse, etsi de facto abfuerit.

Dicitur 5°) **perfecte deliberatus** : i. e. habitus cum ea saltem advertentia et libertate quae sufficiat ad peccatum mortale. Hinc nulla obligatio etiam levis oritur, ubi tantum est semiplena deliberatio : quia per contractum quasi alienatur libertas propria, ad quod requiritur, ut totus homo consentiat.

Q. 14. *Quaenam* sint *vitia* CONSENSUI opposita?

R. Sunt illa omnia, quae impediunt, ne CONSENSUS talis exsistat, qualis requiritur, et ideo contractum nullum vel rescindibilem faciunt. Talia sunt : 1°) ex parte intellectus, *error* et *dolus*; 2°) ex parte voluntatis, *vis* aut *metus*.

Q. 15. *Quid* sit ERROR, *quid* vero DOLUS?

R. ERROR est acceptio unius rei pro alia. — DOLUS est machinatio adhibita ad alterum decipiendum. Unde praeter errorem, cujus est causa, dolus includit injuriam, quae in omni casu, etiam ubi contractus nec irritus nec rescindibilis foret, locum dat compensationi damnorum.

Q. 16. *Quotuplex* possit esse ERROR vel DOLUS?

R. Potest esse : 1°) vel *substantialis* seu *essentialis*, qui cadit in aliquid quod est contractui inito essentiale, sive in se, sive in intentione utriusque aut alterutrius ex contrahentibus; vel *accidentalis*, qui cadit in mera accidentia contractus, salva ejus substantia. 2°) Uterque potest esse : vel *antecedens* seu *dans causam contractui*, sine quo contractus non fieret : vel *concomitans* seu *incidens*, sine quo contractus etiam fieret. Tandem 3°) ERROR potest procedere : vel *ab ipso decepto*, qui ob suam ignorantiam erravit sine alterius malitia; sive ex DOLO *alterius* contrahentis aut *tertiae personae* ad contractum non pertinentis.

Q. 17. *Valeat*ne contractus celebratus per ERROREM vel DOLUM?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Error* vel *dolus* **substantialis**, sive sit *antecedens*, sive *concomitans* tantum, sive *ab altera parte* contrahente, sive a *tertia persona* proveniens, nullum reddit contractum defectu consensus. Hinc invalide contrahit, qui errat vel decipitur : **A)** circa *objectum* contractus, ut si emas vitrum pro gemma, aut vinum pro oleo, quamvis aeque libenter vel eodem pretio emisses vinum. Huc spectat error circa *personam* in sponsalibus et matrimonio, necnon in contractibus *gratuitis*, quotiescumque intuitu personae fit donatio, ut si intendam donare equum Petro et non cuilibet alii; non vero in *onerosis*, saltem ordinarie;

ut si vendam Petro, putans esse Paulum, nisi illa venditione voluissem specialiter gratificari Paulo. Item **B**) circa *naturam contractus*, ut si des mutuum Cajo putanti id sibi donari; si solvas, falso putans te debere, etc. Item **C**) circa *causam* seu *motivum finale, intrinsecum*, ut si des Petro, falso existimans talem summam ei esse ex legato patris debitam. Item **D**) circa *qualitatem redundantem in substantiam*, quatenus scilicet per se intentam, vel per modum conditionis sive explicite sive implicite positam a contrahente; ut si intendas emere equam juniorem ad foetum inde obtinendum et venditur annosa foetui inepta; aut si, te vestire intendens in nigris, a venditore petieris et emeris pannum nigrum, ille vero tibi postea transmittat pannum alterius coloris. **2°**) Si *error* vel *dolus* sit **accidentalis**, v. g. circa qualitatem non redundantem in substantiam, vel motivum mere impulsivum, ut si detur eleemosyna alicui quia vere pauper est, sed simul putatur consanguineus, etc., tunc *subdistinguendum* est. Si **A**) fuerit solum *concomitans*, sive dein ab altera parte contrahente, sive a tertia persona provenerit, nec invalidat contractum, nec dat facultatem eum rescindendi : cum, errore aut dolo secluso, adhuc contractus fuisset initus; solum ergo decepto contra deceptorem competit actio et huic obligatio, ut solvat quantum interest dolum non fuisse commissum. Si vero **B**) fuerit *antecedens*, alii aliter sentiunt. Probabiliter invalidat contractus *gratuitos*, ut sunt promissio et donationes liberales, cum hi omnimodam spontaneitatem requirant, vel saltem, juxta omnes, hi ad nutum errantis sunt rescindibiles. Non vero invalidat *onerosos* : quia talis error non impedit cognitionem nec consensum relate ad rei substantiam. Hujusmodi tamen contractus, si excipias *matrimonium* et *professionem solemnem*, qui ex natura sua sunt contractus indissolubiles, rescindi possunt ad nutum decepti, si error provenerit simul ex dolo *alterius contrahentis*. Si vero non provenerit ex dolo alterius contrahentis, sed vel ab ipsomet errorem passo, vel ab altero tertio, tunc : **a**) Certum est, deceptum habere actionem, ut vocant, *quanti minoris*, i. e. habere jus, ut tanto minus solvat, quanti minoris rem emisset, vitio cognito. **b**) Certum est, posse rescindi *sponsalia*, quia actionem *quanti minoris* non admittunt, et aliunde majorem libertatem propter difficultatem indissolubilis matrimonii requirunt. **c**) Quod

reliquos contractus *onerosos* attinet, utrum in casu rescindi valeant DD. *disputant.* — Haec autem statuuntur in Cod. civil. : 1°) Quando laeditur emptor ex vitiis occultis quae rem reddunt ineptam ad usum ad quem destinatur, potest pro nutu suo vel rem reddere et pretii restitutionem petere, vel rem servare et partem pretii recuperare juxta peritorum aestimationem (a. 1644). 2°) In venditione immobilium soli venditori rescissionem petendi per biennium jus agnoscitur, quando laesio excedit septem duodecimas *(les sept douzièmes)* valoris rei venditae (a. 1674), si v. g. vendas domum, cujus pretium minimum in venditionis momento aestimatur ad 12,000 francos, eamdem vendas pretio minus quam 5000 francorum, potes tu ipse qui vendidisti, contractus rescissionem petere.

Q. 18. An et quandonam VIS et METUS contractum *invalidet* aut eum *rescindibilem* reddat?

R. VIS *proprie dicta* qualemcumque contractum semper invalidat, ut constat ex dictis (tom. I, pag. 30 seq., Q. 18). Quod METUM attinet, *distinguendum* est et videndum, *qualis* fuerit METUS (ibid. pag. 33, Q. 22).

Resolvitur. 1°) METUS, ita *mentem perturbans*, ut non relinquat deliberationem sufficientem ad peccatum mortale directe voluntarium, quemcumque contractum semper invalidat, defectu consensus requisiti. **Resol.** 2°) *Metus* absolute vel relative *gravis, injuste incussus*, probabiliter invalidat contractum *gratuitum*, cum ex omnimoda spontaneitate fieri debeat, vel saltem eum rescindibilem reddit, ad nutum metum passi. Idque verum est, sive metus incutiatur *ab altero contrahente*, sive *a tertia persona*, sive *in ordine ad contractum*, sive *sine illo ordine*. **Resol.** 3°) *Metus* absolute vel relative *gravis, injuste incussus ab altero contrahente* etiam *sine ordine* ad contractum; vel *a tertia* persona *in ordine* ad contractum, juxta aliquos, *invalidat* contractus *onerosos*, non quidem defectu consensus, sed quia consensus datus in casu est fructus injustitiae: ex injuria autem nasci verum jus absurdum est. Juxta alios vero, facit quidem eos ob injuriam *rescindibiles* (a. 1111), sed de se *non invalidat :* neque *jure naturae*, cum metus gravis non tollat simpliciter voluntarium; neque *jure canonico*, quod

declarat tales contractus esse rescindendos; ergo eos validos habet. Dicunt : *de se;* nam per accidens excipiuntur sequentia : **A**) *matrimonium* et probabilius *sponsalia*, cum connexorum idem debeat esse judicium ; **B**) *professio religiosa* et probabilius cetera *vota;* **C**) *absolutio a censuris*. **Resol. 4°**) Metus gravis injuste incussus a *tertia* persona, sed *non in ordine* ad contractum, non invalidat contractus onerosos, neque illos rescindibiles reddit : quia nullus contrahentium injuriam intulit. Tertius tamen, qui metum infert, tenetur inducere ad rescissionem, ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit Lugo contractum matrimonii, quem putat esse invalidum ex tali metu initum. **Resol. 5°**) Metus *levis* in foro *externo* non attenditur, saltem generatim loquendo; alioquin via aperiretur innumeris litibus. In foro autem *interno* metus levis injuste incussus probabiliter irritat contractus *gratuitos*, quando eorum vera causa fuit, quia tunc impedit plenam spontaneitatem; *onerosos* vero *rescindibiles* facit, si vera sit eorum causa : injuria enim levis reparanda est sicut et gravis.

ART. IV. De quarto requisito seu de forma substantiali.

Q. 19. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit FORMA contractuum?

R. Ad 1^{um}) Nomine FORMAE intelliguntur solemnitates, actus seu conditiones, quae ex legum humanarum praescripto in contractu adhibendae sunt.

R. Ad 2^{um}) Aliae sunt *substantiales* seu *essentiales*, quae nempe ex legum vi sic pertinent ad substantiam contractus, ut omissae illum invalident. Talis est praesentia parochi et duorum testium in matrimonio pro locis, ubi decretum TRIDENTINUM de matrimonio clandestino est promulgatum. Item, ex jure *gallico* (aa. 970 et 1001), formae essentiales testamenti olographi sunt hae tres : *écrit en entier, daté et signé de la main du testateur*. Aliae sunt *accidentales*, quae pertinent tantum ad majus complementum, quaeque proinde omissae actum non invalidant. Tales sunt proclamationes antenuptiales. Item conditio conficiendi testamentum charta obsignata.

Q. 20. An *in conscientia* vim obtineant contractus, per se quidem validi, sed qui in foro externo invalidi habentur, quia deficiunt *solemnitates a jure positivo ad eorum valorem requisitae?*

R. *Triplex* datur sententia.

Explanatur. 1°) Prima **affirmat**, dummodo per se valeant et absit omnis fraus : quia lex humana, quamvis neget actionem civilem, i. e. in tribunali, propter defectum formae, non tamen intendit tollere obligationem naturalem, ad quam sufficit solus contrahentium consensus. Juxta hanc sententiam, hujusmodi leges fundantur in praesumptione *facti*, scilicet fraudis actualis, ac proinde naturalem obligationem non tollunt, ubi fallit praesumptio. 2°) Secunda **negat** : quia hujusmodi leges non fundantur praecise in praesumptione fraudis actualis, sed periculi communis fraudum, quae praesumptio nunquam fallit, etiamsi in aliquo casu particulari nulla fraus aut fraudis periculum subsistat (tom. I, pag. 140, Q. 51) : et ideo, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur, bonum commune exigit, ut legislator quibusdam contractibus certas praescribat solemnitates, quibus neglectis, contractus in utroque foro invalidi sint. 3°) Tertia, inter utramque media, **possessori favet**, docetque contractus hujusmodi non esse per se nullos, sed valere ad hoc, quod possessor possit retinere id quod habet, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum ; post sententiam vero restituere teneatur. De hac quaestione ulterius, ubi de *testamentis*.

CAP. II. De contractuum modificationibus : 1° de juramento; 2° de modis; 3° de conditionibus.

Q. 21. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quot* sint contractuum MODIFICATIONES?

R. Ad 1^{um}) Sunt quaedam *adjuncta*, ab ipsis contrahentibus contractui annexa, quae ejusdem obligationem vel confirmant, vel augent aut determinant, vel suspendunt aut exstinguunt.

R. Ad 2^{um}) Praecipuae sunt : *juramentum ; modi ; conditiones* (pag. 180).

Q. 22. *Quid* dicendum de JURAMENTO promissorio, quod contractui additur?

Praenotandum. Aliud est JURAMENTUM *valere*; aliud *firmare* contractum. *Valet* JURAMENTUM, si ex religione erga Deum obligat, quamvis ex eo nullum jus acquirat ille in cujus favorem juratur. *Firmat* contractum, quando ultra obligationem juramenti, quae tota est in ordine ad Deum, dat novum jus ipsi contrahenti, cui juratur, ita ut, addito JURAMENTO, contractus *invalidus* fiat *validus*, vel contractus *rescindibilis* fiat *firmus* seu *irrevocabilis*. Hoc posito,

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. JURAMENTUM promissorium, quo nempe quis jurat se servaturum seu non revocaturum contractum, accedere potest contractui : vel 1°) **valido**; vel 2°) **invalido**; vel 3°) **rescindibili.**

Si **1**) accedat contractui **valido**, valet juramentum et nonnisi *improprie* firmat contractum, quia jam ex se habet unde valet; firmat tamen eo sensu, quod obligationi fidelitatis aut justitiae superaddat novam obligationem ex virtute religionis. Hinc si infringatur, duplex aderit peccatum. Si tamen per causam aliquam cesset obligatio contractus, eo ipso cessat obligatio juramenti, quod, utpote accessorium, naturam sequitur principalis. Hinc, si contingat causa ob quam contractus v. g. sponsalia non jurata sint solubilia, etiam dissolubilia sunt jurata.

Si **2**°) accedat contractui **invalido**, *subdistinguendum* est. Contractus, cui additur juramentum, est *invalidus* : vel **A**) ex **jure naturae**; vel **B**) ex **jure positivo.** Si **primum**, v. g. si sit invalidus ob defectum consensus, tunc non *firmatur* juramento quod nequit supplere defectum substantialem propter quem invalidus est; nec *valet* juramentum, sive quia jurans non potest se obligare ad illicitum, sive quia non intendit jurare de re circa quam non consentit. Sic nullius roboris sunt pacta jurata de prostitutione corporis, de usuris, de vendenda re aliena, de dando nummo qui putatur aeneus et est aureus. Si **secundum**, ulterius videndum erit, an nullitas lata sit ex motivo **boni publici**, an vero **boni privati.** Si *prius*, non firmatur contractus nec valet juramentum : quia quod fit contra bonum publicum est bonis moribus contrarium adeoque illicitum. Sic nulla obligatio oritur ex contractu matrimoniali jurato, si inter contrahentes sit impedimentum dirimens etiam juris tantum ecclesiastici. Si *posterius*,

locum habent quae dicturus sum de contractu *rescindibili ob bonum privatum*.

Si 3°) accedat contractui **rescindibili,** iterum *subdistinguendum* est. Contractus est *rescindibilis* : vel **A**) ob **bonum commune**, vel **B**) ob **bonum privatum** ipsius jurantis. Si **primum,** non firmatur contractus, nec valet juramentum. Hinc nullius valoris sunt juramenta minorum, uxorum et similium ad confirmandos contractus, quos ex lege possunt rescindere, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta : quia secus perversi homines semper juramentum ab eis exigerent, quod in societatis detrimentum cederet. Si **secundum**, utrum tunc contractus juramento firmetur, DD. *disputant*. Alii *affirmant :* quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto ; porro interpositio juramenti in casu est quaedam renuntiatio beneficio rescissionis in gratiam contrahentis inducto. Alii *negant :* quia juramentum non excedit limites religionis ; ergo vim non habet firmandi contractum, i. e. efficiendi ut contractus invalidus aut rescindibilis valeat aut firmus sit in ratione contractus. Hinc confessarius potest in favorem poenitentis resolvere. Quia tamen juramentum, etsi non firmet contractum, *ex praescripto SS. Canonum* servandum est, quoties servari potest sine peccato, ideo, juxta communem DD. sententiam, si promisisti solvere usuras vel dare crumenam latroni, et jurasti, debes adimplere promissionem non quidem ex fidelitate aut justitia, sed ex religione ob sanctitatem juramenti ; quae obligatio, cum sit *personalis*, non transit ad haeredes. Potes autem postea te compensare ; potes etiam adhibere momentaneam solutionem, solvendo nempe, et statim repetendo ; potes etiam petere relaxationem a latrone vel usurario, qui eam ex justitia dare tenetur ; vel si nolit, a superiore ecclesiastico, etiamsi per secundum juramentum promisisses te prioris juramenti relaxationem numquam petiturum esse, quippe juramentum invalidum fuisset utpote spiritualis potestatis quodammodo restrictivum ; vel quod solvisti in judicio iterum repetere (Cfr. tom. I, pag. 389, Q. 52). Quoniam tamen talis obligatio solvendi nonnullis ridicula et illusoria videtur, hinc, praescriptum SS. CC. minus curantes, putant probabile esse nullam talem obligationem exsistere.

Q. 23. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit MODUS in contractibus ?

A. Ad 1um) MODUS est « *qualitas adjecta contractui non suspendens illum, sed addens aliquid pro onere aut favore unius contrahentis.* »

R. Ad 2um) MODI praecipui sunt sequentes : *A) in diem ; B) sub causa ; C) sub poena ; D) sub demonstratione ; E) sub disjunctione.*

Q. 24. Quid dicendum, tum *generatim*, tum *speciatim*, de contractibus *modalibus ?*

R. Alia dicenda sunt *generatim*, quae scilicet omnibus contractibus modalibus applicari possunt. Alia dicenda sunt *speciatim*, quae nempe *varios* MODOS respiciunt sub quibus contractus ineuntur.

Explanatur. 1°) Dicendum est **generatim** : **A)** MODUS servandus est, nisi repugnet substantiae contractus. **B)** MODI violatio *per se* non irritat contractum : quia ut quid mere accidentale habetur ; nisi aliter conventum sit, aut voluntas contrahentis esset restricta ad hunc vel illum modum, tanquam conditionem sine qua non. **2°)** Dicendum est **speciatim** : **A)** In contractu **ad diem** (*à terme*) v. g. promitto me tibi daturum 100 intra mensem, intra annum, obligatio statim oritur, sed effectus ejus ad tempus determinatum differtur, ita ut debitor ante diem praefixum non teneatur ad contractum exsequendum. Si tamen ante diem exsecutus sit, repetitioni locus non est (a. 1186). **B)** In contractu **sub causa** (*quia*) v. g. duco te, quia es virgo, si causa sit *finalis*, ea non subsistente, contractus est nullus ; secus ordinarie, non subsistente causa *impulsiva* tantum. **C)** In contractu **sub poena** (*clause pénale*), quae aliquando apponitur contractui ex consensu contrahentium, ne injuste resiliant, et ideo poena *conventionalis* dicitur, ea solvi debet ab eo qui culpabiliter non servat contractum, *si exigatur*, et quidem ante sententiam judicis : quia non praesumuntur contrahentes se voluisse obligare ad molestam judicis implorationem. Si vero *non exigatur*, censetur remitti. Ut tamen incurratur poena, mora debet esse notabilis, qualis non censetur aliquot dierum, nisi aliter postulet aut qualitas negotii, aut indigentia alterius contrahentis, aut

mos patriae. **D**) In contractu **sub demonstratione**, i. e. cum appositione alicujus signi ad ostendendam personam cum qua, vel rem de qua contrahitur, sequentia sunt notanda : Si **a**) demonstratio est falsa circa *personam*, tunc contractus est nullus si agatur de *gratuitis ;* in his enim persona est subjectum substantiale, et hinc si dono 100 Titio putans esse Cajum, donatio est nulla, ob defectum consensus. Si vero agatur de *onerosis*, contractus est validus : quia persona est accidens ; excipe matrimonium aut alium contractum in quo primario contrahitur non de re sed de persona. Si **b**) demonstratio est falsa circa *rem,* tunc contractus est nullus, si sit circa *substantiam* rei. Hinc dispositio : relinquo Titio 100 aureos, quos mihi debet Petrus, est invalida, si Petrus nihil debeat. Si vero est circa *qualitatem* rei, *subdistinguendum* est ; si qualitas est deducta in pactum, est etiam nullus ; secus validus. Hinc valet dispositio : lego tibi aedes meas quas emi 1000 aureis a Cajo, etsi minoris emerim aut pluris. Pariter validum censetur legatum, si dicatur : lego tibi catenam *inauratam*, quae in tali loco custoditur, vel hunc agrum 100 jugerum, etsi catena sit aurea, vel ager contineat 150 jugera : quia testator demonstrans et donans rem ipsam praesumitur illum excessum voluisse donare, quamdiu non constat de opposito. Aliud esset, ubi de voluntate contraria constaret, uti obtinet in contractibus onerosis : nemo enim censetur voluisse vendere catenam auream eodem pretio, quo venderet catenam deauratam. Tandem **E**) in contractu **sub disjunctione,** v. g. dono bovem *vel* equum, nulla res determinata debetur et unius solutio totam obligationem tollit. Praeterea jura statuunt : *in disjunctivis electio est debitoris*. Si tamen contractus dirigatur ad creditorem, aut in ejus favorem fiat, optio ad eum spectat. Hinc v. g. si testator dicit : lego Titiae domum vel agrum, haeres tenetur dare, quod Titia eligit, et si deficiat domus, tenetur dare agrum ; nec sufficit, dare pretium rei destructae. Facta semel electione, non potest variare.

Q. 25. *Quid* sit CONDITIO ?

R. CONDITIO, *rigorose* accepta, est : « *qualitas adjecta contractui quem suspendit, donec illa impleatur.* »

Resolvitur. Hinc contractus **conditionalis** in hoc princi-

paliter differt a **modali**, quia hic, cum sit *absolutus*, adhuc pendente seu nondum praestito MODO, dat actionem petendi debitum; quod non facit *conditionalis*, qui tantum fert obligationem expectandi tempus conditionis implendae. In **dubio** autem : an qualitas, adjecta contractui, sit CONDITIO, an MODUS, colligendum est principaliter ex intentione contrahentis ; sin minus, ex forma contractus, in qua CONDITIO exprimi solet his verbis *si, dummodo, nisi, casu quo, non aliter*, etc.

Q. 26. *Quotuplex* sit CONDITIO ?
R. *Tripliciter* distinguitur.

1°) **Propria** et **impropria** ; illa respicit futurum liberum vel contingens; haec respicit praeteritum, vel praesens, vel futurum necessarium. 2°) **Possibilis** et **impossibilis.** 3°) **Honesta** et **turpis,** i. e. licita et illicita.

Q. 27. Contractus celebratus sub CONDITIONE sitne *validus ?*
R. *Distinguendum.*

Explanatur. Celebratus fuit sub CONDITIONE : vel **1°) impropria** ; vel **2°) propria.**

Si **primum,** quia v. g. conditio fuit *de praeterito* vel *praesenti*, contractus non suspenditur, cum pendeat a re certa; sed statim vel validus est, si conditio sit vera, i. e. exsistens, vel invalidus, si non exsistat. Similiter conditiones *de futuro necessario*, v. g. si sol cras oriatur, *per se* non suspendunt contractum, quia pro exsistentibus jam habentur, et ideo in foro externo censentur pro non adjectis. *Per accidens* tamen possent suspendere contractum usque ad eventum, si contrahentes bona fide putarent, eas esse contingentes, cum tunc ita intenderent.

Si vero **secundum,** *subdistinguo.* **A**) Si conditio sit **honesta** et **possibilis,** contractus obtinet plenum valorem, verificata conditione, secus non, et interim remanet suspensus. **B**) Si conditio sit **impossibilis** aut **turpis,** quamdiu haec est futura, contractus est nullus jure naturae, si illi alligata sit intentio : quia ad impossibilia aut turpia nulla est obligatio. Dixi : **a**) *quamdiu haec est futura ;* hinc v. g. si Titius promittat Cajo 100 aureos, si ejus inimicum occidat, pendente seu nondum adimpleta conditione, nulla

nascitur obligatio. Num vero, adimpleta conditione, valeat contractus, *duplex* datur sententia (p. 183 seq.). Communior et probabilior *affirmat;* alia, quam S. Lig. (III. 712) probabilem vocat, *negat* docetque, ex contractu sub conditione turpi inito, neque *ante* neque *post* adimpletam conditionem ullam exsurgere obligationem. Quare dubium manet, num v. g. sponsalia, quae juvenis init cum puella sub conditione quod secum fornicetur, impleta conditione subsistant nec ne. Dixi **b**) *jure naturae :* nam jus canonicum statuit, ut conditiones impossibiles et turpes adjectae matrimonio censeantur non adjectae, modo non sint contra substantiam illius, i. e. contra triplex bonum matrimonii : *fidem*, *prolem* et *sacramentum*, ut, « *si alter dicat alteri : contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas.* » Idem dicunt Theologi de professione religiosa et de sponsalibus conditionatis. Quod autem jus canonicum ordinavit circa matrimonium, ordinavit jus civile in testamentis, volens illa esse valida non obstante conditione impossibili vel turpi. Quae dispositio probabilius valet etiam in foro conscientiae, nisi constet testatorem revera voluisse suam voluntatem illi conditioni necessario alligare.

CAP. III. De effectu seu obligatione contractuum.

Q. 28. *Quisnam* sit EFFECTUS contractuum ?

R. EFFECTUS immediatus et veluti proprietas cujusvis contractus est *obligatio*, saltem in uno contrahentium, i. e. vinculum morale, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. Quare, ubi contractus definitur : « *ultro citroque obligatio* » vox *obligatio* tunc in sensu *causali* accipienda est ; contractus enim non est ipsa obligatio, sed eam causat. Cfr. BILL.

Q. 29. *Quotuplex* distinguatur OBLIGATIO in contractu ?

R. *Triplex.*

Explanatur. 1°) **Mere naturalis,** quae obligat conscientiam, sed nullam dat actionem in foro externo, ut est obligatio certum debitum solvendi, quod juridice nequit probari. 2°) **Mere**

civilis, quae actionem parit in foro externo ob aliquam facti praesumptionem, quae cum non subsistat, non obligat conscientiam; ut si quis ex falsis depositionibus damnetur a judice ad mulctam et nulla ei suppetat via ad innocentiam probandam. 3°) **Mixta**, quae obligat in utroque foro; et sic generatim se habet obligatio, cum generatim contractus tum honestati naturali, tum legi civili innitantur.

Q. 30. Quomodo *cesset* contracta OBLIGATIO?

R. Cessat seu exstinguitur : 1°) per *praescriptionem*, de qua supra pag. 55 seqq.; 2°) per *solutionem* ipsius debiti, ad quam revocatur *cessio bonorum*, de qua pag. 155; 3°) per *compensationem legalem*, de qua pag. 91; 4°) per *remissionem creditoris*, de qua pag. 153; 5°) per *novationem* seu substitutionem novi debiti debito antiquo, ut si promiserim tibi dare singulis annis quinque dolia vini, nunc tecum conveniam ut, loco vini, dem mille francos; 6°) per *confusionem*, i. e. per debiti et crediti in eamdem personam reunionem, ut si creditor fiat haeres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat haeres creditoris simul et debitoris; 7°) per *interitum rei debitae*, de qua pag. 153; 8°) per *rescissionem* seu *rescindibilitatem*, quae locum habet, quando contractus, constans essentialibus conditionibus, ob aliquos defectus dissolubilis sit.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

SECTIO PRIMA.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

CAP. I. De promissione.

Q. 31. *Quid* sit PROMISSIO?

R. Solet definiri : « *liberalis, deliberata ac spontanea*

fidei donatio facta homini, et ab ipso acceptata, de re licita et possibili. »

Explanatur. Dicitur : 1°) **Liberalis** : si enim fiat cum onere vicissim praestando, habet rationem contractus onerosi, saltem innominati. 2°) **Deliberata ac spontanea** : ita ut promittens sit plenissime sui compos et agat cum perfecta libertate, immunis scilicet ab errore, dolo et metu etiam levi, juxta dicta superius pag. 189 seqq. 3°) **Fidei donatio** : sicque differt tum a *donatione*, quae non est fidei sed rei datio ; tum a *proposito*, quod est simplex voluntas aliquid faciendi in futurum, absque ulla obligatione etiam fidelitatis. Itaque nomine *fidei* hic intelligitur voluntas seu animus se obligandi, saltem *virtualis* et *implicita*, quam censetur habere, qui serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat. 4°) **Facta homini** : sicque differt a voto quod fit tantum Deo. 5°) **Et ab ipso acceptata,** adeo ut ante acceptationem semper revocari possit : est enim contractus. Hocque verum est, licet accesserit juramentum, quod sequitur naturam actus, cui additur. Debet autem acceptari vel ab ipso promissario vel ab alio vices ejus legitime gerenti. 6°) **De re licita et possibili,** quia ad illicitum et impossibile nulla potest esse obligatio.

Q. 32. *Qualis* et *quanta* sit OBLIGATIO promissionis gratuitae semel acceptatae ?

R. Hoc pendet ex voluntate promittentis : ex hac enim sola procedit.

Resolvitur. 1°) Si intendit se obligare ex **fidelitate** tantum, per se loquendo obligat *sub levi*, etiamsi materia esset gravis. Dixi : *per se ;* nam excipe, si grave detrimentum promissario inferatur ex fide non servata, ut si v. g. liberaliter promiseris mihi mutuare frumentum, quod postea debeo multo carius emere, quam tempore promissionis valebat. **Resol.** 2°) Si intendit se obligare sub **justitia**, tunc si materiae est *gravis*, obligat sub gravi ; si *levis*, sub levi. Ut tamen res *temporalis* in promissione censeatur *gravis*, requiritur, ut ipsa sit quadruplo major quam in furto mortali : promittens enim agit de proprio et fur de alieno. Res autem *spiritualis* promissa, ut censeatur *gravis*, debet esse notabilis in ordine spirituali, attenta communi hominum aestimatione : hinc rosarium,

una missa audienda, imo legenda, gratuito promissa non videtur materia gravis; quia negatio unius missae liberaliter promissae non videtur apta ad graviter laedendam charitatem. **Resol. 3°**) In **dubio** praesumitur promissionem obligare ex *fidelitate*, aut sub *levi;* quia possessio stat pro libertate, et « *in obscuris minimum est sequendum.* » Imo notari potest **practice**, quod promissiones, saltem prout communiter fiunt, saepius nullam obligationem, sive justitiae sive fidelitatis, inducant : quia promittens ordinarie intendit non quidem suam fidem obligare, sed merum propositum enuntiare.

Q. 33. An *mortuo promissario* ante ACCEPTATIONEM, possint ejus haeredes *acceptare* promissionem ?

R. *Negative :* quia intentio ferebatur in personam quae desinit, et haeredes tantum succedunt in jura realia acquisita defuncti, quale jus hic non est. Si tamen ex circumstantiis pateat, quod promissio simul facta sit in favorem uxoris vel prolium, ab his acceptari potest.

Q. 34. An *mortuo promittente* ante ACCEPTATIONEM, possint ejus haeredes *revocare* promissionem ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirmative*, si promittens mittat nuntium, non ut indicet promissionem a se factam, sed ut **nomino suo promittat**, et ante acceptationem moriatur promittens : quia mandatum gratiae *faciendae*, re adhuc integra, exspirat morte mandantis. **2°**) *Negative* per se, juxta *probabiliorem* sententiam, si promittens mittat nuntium, ut **indicet promissionem a se factam**, et, antequam ad promissarium perveniat, moriatur promittens : quia promissio facta et non revocata, nuntio vel litteris mandata, censetur adhuc moraliter perseverare, estque gratia *facta*, quae non exspirat morte concedentis. Quare sub *gravi* vel *sub levi*, ex *justitia* vel *ex fidelitate*, tenebuntur haeredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Dixi : *per se;* nam poterunt revocare, si ex adjunctis rei aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. Imo, etiamsi de hoc non constaret, adhuc possunt revocare juxta *probabilem* sententiam : quia post mortem donantis nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu.

Q. 35. Quomodo *cesset* OBLIGATIO promissionis acceptatae ?

R. *Duobus* praesertim modis, ad quos reliqui facile revocari possunt. 1°) *Mutuo consensu :* quia per quas causas nascitur obligatio, per easdem dissolvi potest. 2°) *Mutatione notabili rerum :* i. e. si tanta superveniat mutatio, ut spectatis circumstantiis, promissor prudenter praesumatur noluisse se obligare in tali eventu. « *Unde et*, ait S. THOM. (2. 2. q. 110, a. 3 ad 5), *Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, ut dicitur* 2ª *ad Cor. I, et hoc propter impedimenta quae supervenerunt.* »

Resolvitur. Hinc, ob **notabilem mutationem,** cessat obligatio promissionis : **1°**) si res promissa fiat impossibilis, illicita, noxia vel inutilis promissario ; **2°**) si promissarius non stet promisso prius facto, aut de amico fiat inimicus, de paupere dives, etc. ; **3°**) si opem promittens, ipse ob superveniens infortunium indigeat. Et haec etiam vera sunt, quamvis promissio fuerit jurata : quia juramentum, promissioni validae adjectum, censetur adhibitum sub iisdem conditionibus sub quibus facta est promissio. Omnis autem promissio tacite imbibit conditionem : vel « *si potero ;* » vel « *si is, cui fit promissio, obligationem non remittat ;* » vel « *si res non fuerit notabiliter immutata.* »

CAP. II. De donationibus in genere.

Q. 36. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit DONATIO ?

R. Ad 1ᵘᵐ) DONATIO in genere est « *liberalis alicujus rei datio.* »

R. Ad 2ᵘᵐ) Potest esse : 1°) *mere liberalis* seu *mere gratuita*, cum scilicet fit a donante absque ullis meritis donatarii ; vel *remuneratoria* seu *antidoralis*, cum fit ob merita donatarii, quae, cum non obligent ex justitia sed tantum ex gratitudine, adhuc sinunt donationem esse liberalem seu gratuitam, licet non pure. 2°) Potest esse : vel *inter vivos*, si donans actualiter et irrevocabiliter transfert dominium rei suae alteri acceptanti ; vel *per testamentum*, quando post mortem suam

vult dominium transferre, et haec est revocabilis; vel *causa mortis*, quae quasi medium tenet inter utramque, ac locum obtinet, si donans actualiter transfert dominium rei suae alteri acceptanti, non quidem irrevocabiliter, sed sub conditione quod res sibi restituatur, si eam petat, et ad illum pertineat, si ipse moriatur absque revocatione prioris voluntatis. De *jure gallico* donatio *mortis causa* non admittur. Hinc de ea dicendum videtur, sicut de testamentis formalitatibus destitutis.

Q. 37. *Quinam valeant* DONARE ?

R. Omnes et ii soli qui, praeter usum rationis, habent dominium rei donandae et liberam ejus administrationem, qualem non habent, qui ex lege *positiva* plus minusve inhabiles declarantur.

Explanatur. Sic ex jure **civili** incapaces sunt donandi : 1°) **Interdicti** post sententiam interdictionis (a. 502); ante interdictionem, actus ab ipsis positi annullari possunt in casibus expressis aa. 503-504 (p. 186 seq.). 2°) **Minores** ante annum 16, praeterquam in contractu matrimoniali (a. 1095). Post annum 16, possunt de dimidia parte bonorum suorum disponere per testamentum. 3°) **Uxores,** quae donationes inter vivos facere nequeunt sine consensu mariti aut judicis auctoritate. Ast testari possunt de propriis. 4°) **Bonorum cessores,** qui donare non possunt intra decem dies, quae praecedunt declarationem judiciariam decoctionis. Donationes vero factae ante illos dies possunt irritae declarari, si probetur, eas fuisse factas in fraudem creditorum (a. 444 seq. Cod. comm.) Cfr. pag. 145.

Q. 38. *Quantum* possit quis DONARE ?

R. *Distinguendum.*

Explanatur. Vel 1°) agitur de donatione **inter vivos,** vel 2°) **per testamentum.** Si **primum,** *subdistinguo :* **A**) *Si habet haeredes necessarios,* nempe descendentes vel ascendentes, potest tantum donare suam partem disponibilem *(quotité disponible)* (a. 913), ita ut donatio ultra partem disponibilem sit nulla quoad excessum (a. 920). **B**) *Si non habet haeredes necessarios*, potest donare omnia bona praesentia, non vero futura (a. 943), nisi donatio fiat intuitu alicujus matrimonii (a. 1082). Si **secundum,** potest donare etiam futura, salvis semper juribus seu parte reser-

vata (*la réserve*), quae etiam vocatur *legitima*, descendentium vel ascendentium.

Q. 39. *Quaenam* sit RESERVATIO seu LEGITIMA haeredibus necessariis debita ?

R. *Distinguendum* inter jus *naturale* et jus *civile*.

Explanatur. De jure **naturae** determinari nequit : hoc enim pendet a statu et necessitate haeredum naturalium, ac proinde ab infinite diversa circumstantia. De jure **gallico** in casu donationis, tum inter vivos, tum per testamentum, aliter atque aliter praefinitur pars sive *descendentibus*, sive *ascendentibus* reservata. 1°) **Filiis legitimis** reservatur dimidia pars haereditatis, si unicus sit ; bistriens 2/3, si duo sint ; dodrans 3/4, si plures (a. 913). 2°) **Ascendentibus** obvenit dimidia pars haereditatis, *servato tamen successionis ordine*, si ascendentes supersint in utraque linea paterna ac materna ; quarta pars, si in alterutra tantum (a. 915). Dixi *servato successionis ordine* : quia fratres et sorores cujusque defuncti, quibus ex lege nulla reservatur pars haereditatis, in ea tamen capienda antecedunt ascendentes secundi gradus, avum scilicet et aviam (a. 750). Quoties autem ascendentes ex legis dispositione ad haereditatem suscipiendam non vocantur, toties cadit statuta eorum causa reservatio.

Nota. **Filiis illegitimis** adimitur ex lege facultas haereditatem adeundi. Qui autem *legaliter* aguiti fuerint, haeredes quidem patris aut matris tantum sunt (a. 756) ; sed amittunt aliquam haereditatis partem. Sic eis aufertur bistriens 2/3 portionis quam obtinuissent, si alii filii legitimi adsint ; dimidium, si defunctus habeat fratres, sorores, aut ascendentes ; quarta autem pars, si alios saltem habeat haeredes (a. 757). Non succedunt in universam haereditatem, nisi alius non comparcat haeres (a. 758).

Q. 40. *Quid* sit REDUCTIO donationis ?

R. *Est donationis vel legati rescissio pro excessu supra quantitatem disponibilem* (a. 920). Unde est corollarium non servatae reservationis seu legitimae et ex ejus violatione nascitur. Eam, per se loquendo, tuta conscientia petere possunt in quorum gratiam constituta est, sive agatur de *profana* donatione, sive etiam, juxta sententiam satis probabilem, de donatione *pia*.

Explanatur. Dixi : *per se loquendo ;* i. e. exclusis fraudibus, mendaciis, et dummodo donator aut testator specie donationis aut legati non occultaverit solutionem debiti quo ex contractu vel delicto in conscientia tenebatur.

Q. 41. *Quinam* valeant donationes ACCIPERE ?

R. ACCIPERE possunt, qui sunt capaces dominii (p. 21). et a lege non prohibentur.

Explanatur. De jure **gallico** prohibentur : **1°) Nondum conceptus** tempore confectae donationis, vel quoad testamentum, tempore mortis testatoris ; vel quidem conceptus, sed qui **non nascitur vitalis**, v. g. puer mortuus aut vivens, sed ante diem 80 a conceptione (aa. 906 et 725). **2°) Uxores** absque consensu mariti vel judicis (a. 934). **3°) Surdi-muti** a nativitate, nisi scribere valeant (a. 936). **4°) Tutor** respectu pupilli, antequam administrationis bonorum reddiderit rationem, nisi sit unus ex ascendentibus (a. 907). **5°) Filii adulterini et incestuosi**, excepta alimentorum causa (a. 762). **6°) Filii naturales** etiam legaliter recogniti, ultra id quod ipsis conceditur jure successionis (aa. 757, 758, 908). **7°) Medici, chirurgi, pharmacopolae, ministri cultus,** qui in *ultimo* morbo *aegrotum vere curaverunt*, si *durante illo morbo donatio facta* fuerit, nisi sint vel haeredes directi, vel collaterales in quarto gradu aut propinquiori, deficientibus haeredibus directis (a. 909). Excipiuntur donationes remuneratoriae, factae titulo particulari, modo sint proportionatae facultatibus donantis et officiis praestitis. Idem dicendum de donatione facta confessario, ut missas celebret. Excipitur etiam sacerdos, qui tantum viaticum aut extremam unctionem administrat. **8°) Communitates** quaelibet, absque debita gubernii approbatione (a. 910). Quoniam vero haec prohibitio non tam respicit habilitatem donatarii, quam *formam* in donationis acceptatione servandam, ideo non spectat donationes *manuales*, quae non subjiciuntur formis pro donationibus praescriptis. **9°)** Personae **interpositae,** quibus scilicet datur ea conditione explicita, aut implicita, ut tradant alteri personae a lege prohibitae (aa. 911, 1099, 1100).

Q. 42. *Quid* sit COLLATIO donationum ?

R. COLLATIO *(rapport)* est actus, quo unus ex haeredibus

ad summam successionis refert ea, quae a donatore directe vel indirecte titulo gratuito accepit. ut ex aequo haereditas dividatur. Quod semper fieri debet sive in specie *(en nature)*, i. e. referendo rem ipsam donatam, sive minus accipiendo *(en moins prenant)*, nisi 1°) adsit *expressa donatoris dispensatio*, ut si donator dederit, haeredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo praecipui juris *(par préciput)* (a. 843) ; aut nisi 2°) *lex aliter statuat.*

Explanatur. Sic inter alia, ad communem haereditatem **non referuntur** : **1°**) Bonum immobile, quod periit casu fortuito, absque culpa donatarii (a. 855) ; **2°**) Fructus, quos donatarius accepit ante mortem donatoris (a. 856) ; secus omnino frustranea fuisset donatio ; **3°**) Expensae factae a patre pro educatione filii et donationes manuales *(les frais de nourriture, d'entretien, d'éducation, d'apprentissage, les frais ordinaires d'équipement, ceux de noces et présents d'usage)* (a. 852). Hujusmodi tamen munera essent **referibilia,** si nimium excederent conditionem facientis ; item sumptus educationis *extraordinarii,* si filius bona propria haberet, quorum usufructu gauderet ; item quae expensa sunt ad statum *(établissement)* unius e cohaeredibus et ad debitorum ipsius solutionem ; item pecunia adhibita ad filium e militia redimendum, nisi redimatur in utilitatem patris vel familiae : qui enim commodum percipit, onus et ferre debet.

CAP. III. De donationibus in specie.

ART. I. De donatione inter vivos.

Q. 43. *Quandonam* DONATIO INTER VIVOS censeatur *perfecta ?*

R. Ex jure *hodierno* censetur perfecta, et rei donatae proprietas translata habetur, etsi nondum tradita, quando est acceptata a donatario ; ideoque ipsi applicantur, quae de acceptatione promissionis dicta fuerunt pag. 203 seq.

Q. 44. *An* et *quandonam* DONATIO INTER VIVOS perfecta possit *revocari ?*

R. Licet ex natura sua sit *irrevocabilis*, potest tamen revocari ob *quatuor* causas.

Explanatur. *Revocatur :* 1°) *Ob* **inexsecutionem conditionum,** quae donationi fuerunt appositae. 2°) *Ob* **ingratitudinem donatarii** insignem, in his tribus casibus (a. 955) : **A**) Si insidiatus fuerit vitae donatoris; **B**) si se reum reddiderit saevitiae, delicti aut injuriae gravis erga donatorem; **C**) si alimenta neget indigenti donatori. Haec tamen revocatio ratione ingratitudinis non afficit donationes in gratiam matrimonii factas, cum censeantur factae non solum in gratiam sponsorum, sed etiam liberorum ex illo matrimonio jam natorum aut forsan nasciturorum (a. 959). 3°) *Ob* **supervenientem donatori prolem legitimam,** etiam posthumam vel legitimatam per subsequens matrimonium (a. 960) : quia non praesumitur, quod donator voluerit alienos successores propriis anteponere, et recte dicitur inesse donationi quaedam conditio tacita : « *si liberi non mihi nascantur.* » 4°) *Ob* **stipulationem reversionis** *(du droit de retour)* (a. 951) : quando scilicet donator stipulatus est, bona donata ad se reversura, si praemoriatur vel donatarius solus, vel donatarius et ejus descendentes.

Q. 45. *Quaenam* sint *formae* requisitae pro DONATIONIBUS INTER VIVOS ?

R. *Distinguendum* inter jus *naturale* et jus *civile?*

Explanatur. 1°) Ex jure **naturae** nulla specialis requiritur formalitas, sed sufficit, ut adsint conditiones requisitae ad consensum utriusque partis in idem. 2°) Ex jure **gallico,** *subdistinguendum* est. Agitur de DONATIONE : vel **solemni**; vel **manuali**; vel **indirecta** seu **simulata.** — Si **Primum,** ut quando inter vivos donantur *immobilia,* aut *mobilia absque actuali traditione,* tunc quatuor requiruntur formalitates : **A**) *Interventus notarii,* apud quem servari debet prima actus donationis perscriptio *(il en restera minute sous peine de nullité)* (a. 931); **B**) *acceptatio expressa* seu *terminis expressis* ex parte donatarii, ita ut non sufficiat tacita, seu deducta ex praesentia in subscriptione (a. 932); **C**) *index aestimatorius,* si mobilia donentur, subscriptus a donatore et donatario et actui annexus (a. 948); **D**) *transcriptio actus* apud hypothecarum conservatorem in territorio *(arrondissement),* ubi res donatae sistunt, quando donatio est rerum, quae hypothecis subjiciuntur.—Si desint tres priores formalitates, non datur actio civilis (a. 931). Si

deficiat quarta, donatio quidem est perfecta inter donatorem et donatarium, sed non potest opponi iis, qui jus acquisierunt in objecta donata. Unde v. g. defectus transcriptionis invocari potest a creditoribus donatoris. — Si **Secundum,** ut quando donantur *res mobiles* absque ullo actu authentico, *per solam traditionem de manu ad manum*, tunc nulla formalitas requiritur : quia secus, nimium fuisset vinculatum jus civium. Patet aliunde ex (a. 2279) : « *En fait de meubles la possession vaut titre.* » — Si tandem **Tertium**, puta si fiat donatio occulta sub *specie* contractus *onerosi*, v. g. venditionis, valet talis donatio in foro externo, ratione formae, praesupposita capacitate donandi et acceptandi, et etiam ex hypothesi quod non excedatur pars disponibilis.

ART. II. De donatione per testamentum.

Q. 46. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit TESTAMENTUM ?

R. Ad 1^um^) TESTAMENTUM est actus revocabilis, quo quis disponit de suis bonis vel de quadam eorum parte, pro tempore mortem ejus subsecuturo.

R. Ad 2^um^) Ratione FORMAE *triplex* distinguitur : 1°) *olographum* ; 2°) *solemne* seu *publicum* ; 3°) *mysticum* seu *secretum*.

Explanatur. *P. 1um* seu **olographum** est, quod a testatore propria manu scribitur et subscribitur cum appositione diei, mensis et anni, in quo fuit exaratum : « *écrit en entier, daté et signé de la main du testateur*, » (a. 970). Itaque *tria* ad ejus validitatem requiruntur et sufficiunt. — Ceterum **A**) INDICATIO diei, mensis et anni exprimi potest notis arithmeticis et in qualibet parte testamenti collocari. Dubia tamen esset validitas, si subscriptio apponeretur ante designationem temporis. **B**) INTERSCRIPTIONES *(les interlignes)*, propria manu testatoris scriptae, non vitiant testamentum, licet ab illo approbatae non fuerint ; bene vero, quae extranea manu scriptae sunt, quando unum corpus cum testamento certe efficiunt, ut constaret v. g. ex approbatione testatoris. **C**) LITURAE *(les ratures)* deletas dispositiones irritant, si approbentur a testatore, aut, deficiente approbatione, si testamentum in possessione testatoris et illius sigillo obsignatum reperiatur. **D**) INSCRIPTIO LOCI, ubi testa-

mentum conficitur, minime necessaria existimatur : nam ex a. 999 valet testamentum, ubicumque conditum fuerit (1). **E**) Papyrus quaelibet, licet non obsignata, sufficit; si tamen res ad judicem deferatur, mulcta erit ab haerede solvenda. **F**) Testamentum *olographum*, antequam exsecutioni mandari queat, praesentari debet judici in Tribunali primae instantiae; judex vero post sufficiens examen jubebit, illud apud aliquem notarium custodiri (a. 1007).

Secundum seu **solemne** illud est, quod *a duobus notariis coram duobus testibus*, vel *ab uno notario coram quatuor testibus* accipitur (a. 971). Ad ejus validitatem observari debent solemnitates praescriptae in (aa. 972, 973, 974. 975 et 980); et notandum *quartum* gradum consanguinitatis et affinitatis de quo agitur in (a. 973), eumdem esse, in linea *collaterali*, ac *secundum* in jure canonico : quia in jure civili tot numerantur gradus quot sunt personae generatae, dum, in jure canonico, tot numerantur gradus quot sunt generationes.

Tertium seu **mysticum** est, in quo testator secreto disponit de bonis suis, quodque clausum et signatum offertur notario et sex testibus simul praesentibus, ab eodem testatore asserente hoc esse suum testamentum a se scriptum et subscriptum, vel ab altero exaratum et a se subscriptum. Ad ejus validitatem servari debent solemnitates requisitae in (aa. 976-980).

Q. 47. *Quotuplicis* generis HAEREDES distinguantur?

R. Sunt *duplicis* generis : 1°) *ex testamento*, iique sunt, vel *necessarii*, vel *voluntarii*; 2°) *ab intestato*.

Explanatur. 1°) Haeres alius dicitur **ex testamento,** si per testamentum fuerit designatus; alius **ab intestato,** qui succedit in bona defuncti ob defectum testamenti. Testamentum autem *deficere* dicitur, cum non est conditum, aut conditum est invalide, vel haeredes nolunt aut nequeunt illud acceptare. Haeredes **ab intestato** sunt primo descendentes; deinde ascendentes et collaterales in propiori gradu usque ad 12 gradum, i. e. sextum juxta computationem canonicam (a. 731). His deficientibus, haereditas transit vel ad liberos naturales *legaliter* agnitos, vel ad conjugem superstitem, vel ad fiscum (aa. 758, 767, 768).

(1) Locus tamen pro *tutiori* inscribatur. Sic etiam praxis habet.

2°) Inter haeredes **ex testamento**, alii sunt : 1°) **Necessarii**, qui in testamento praeteriri non possunt, saltem quoad *legitimam*. Tales sunt : **A**) descendentes in propiori gradu ; **B**) ipsorum defectu *ascendentes* tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori. Alii sunt : 2°) **voluntarii**, qui scilicet haeredes habentur ex libera voluntate testatoris, et hi tripliciter distinguuntur : **A**) *universales* seu *ex asse*, quibus testator donat *universitatem* bonorum suorum (a. 1003). Ut igitur censeantur haeredes universales, si plures sunt, necesse est, ut nulla pars inter eos assignetur. **B**) *Titulo universali*, quibus testator donat testamento *quotam* bonorum partem, v. g. dimidiam, tertiam, quartam partem totius haereditatis, vel omnia immobilia, vel omnia mobilia, vel quotam eorum partem determinatam (a. 1010). **C**) *Titulo particulari*, quibus testator donat testamento partem bonorum *in se determinatam*, v. g. bibliothecam, summam centum aureorum, prata, sylvas, vites, uno verbo, bona loco determinato possessa.

Q. 48. An *cuilibet* haeredi liberum sit haereditatem *acceptare* vel eidem *renuntiare?*

R. *Affirm.*, juxta axioma : « *Nemo haeres, nisi velit.* » Effectus igitur successionis veluti in suspenso manet, donec haeres mentem suam aperuerit. Si *acceptet*, censetur ab ipso mortis instanti accepisse (a. 777). Si *renuntiet*, censetur nunquam habuisse haereditatem (a. 785), quae sic statim transit, et quidem retroactive, ad eum qui in ejus defectum vocatur. *Renuntiatio* autem non praesumitur, sed facienda est in tabulario (*au greffe*) tribunalis territorii, in quo obtigit successio.

Q. 49. *Quotuplex* distinguatur haereditatis ACCEPTATIO?

R. *Duplex* : 1°) alia *simplex;* 2°) alia *sub beneficio inventarii*. A) *Prima* est *actualis* et *absoluta*, fitque vel *expresse*, ut quando quis titulum haeredis assumit in actu authentico aut privato ; vel *tacite*, scilicet per actum qui necessario supponit voluntatem acceptandi, et quem non potest elicere nisi quatenus haeres (a. 778). B) *Secunda* autem est *conditionata*, eo sensu quod haeres non intendit acceptare nisi quatenus, ope inventarii, compererit successionem non talibus oneribus gravari, ut ipse in damnum incidat. Tres autem conceduntur menses ad faciendum *inven-*

tarium, et insuper 40 dies ad deliberandum pro acceptatione vel non (a. 795).

Q. 50. An haeredes teneantur *ex suis* solvere, si *debita* defuncti aut *legata* titulo particulari *vires haereditatis superent?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Acceperunt : vel 1°) **sub beneficio inventarii**; vel 2°) **simpliciter.** Si **primum** : non tenentur; si **secundum** : multiplici *subdistinctione* opus est. **A**) In foro *externo*, tenentur solvere, si agatur de **debitis,** sive ex delicto, sive ex contractu. Si vero agatur de **legatis**, utrum teneantur solvere, jurisperiti *disputant*. **B**) In foro *interno*, si agatur de **debitis,** *triplex* datur sententia : **a**) *prima* affirmat eos teneri; **b**) *secunda*, quae est communior, probabilior et practice tuta, negat; **c**) *tertia*, docet eos non teneri ante sententiam judicis, bene vero post. Si vero de **legatis,** tunc si haeres sit talis cui debetur *reservatio*, non tenetur in casu solvere legata, nisi salva sua legitima. Si vero haeres sit cui non debetur reservatio, **triplex**, ut modo supra, datur sententia. Et quidem multo minus hic ausim obligare haeredem in conscientia, cum testator non possit donare ultra id quod habebat, nec proin haeredem suum gravare ultra id quod transmisit. Cfr. Giribaldi (*de Contr.* C. XV, n. 130).

Q. 51. Quo jure, *naturali* an *civili*, haeredes AB INTESTATO succedant in bona defuncti ?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Nonnulli jus istud repetunt *a* **lege civili** *tantum*. Alii *communius* et *probabilius* censent illud jus, praesertim quo filii parentum haeredes sunt, repetendum esse *ex ipso* **jure naturae.** Audiatur S. Thom. (2 Sent. dist. 33, q. 2) : « *Dicendum, quod matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis; unde de lege naturae est, quod parentes filiis thesaurizent et filii parentum haeredes sint.* » « Quidquid sit, ait Kenrick (*tract.* X, n. 84), *aequum esse*, ut propinqui in bona defuncti succedant, probat *omnium gentium consuetudo*. Quapropter societatis eversores San-Simoniani censendi sunt, qui ea omnium communia velint esse, pro cujuslibet necessitate distribuenda. Legum autem dispositio

maxime attendenda est, quum jura cujuslibet explicare et definire plerumque censeantur. »

Q. 52. An FACULTAS *testandi* repetenda sit ex *jure naturae?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant,** ex eo quod ex voluntate testatoris nullum haeredi jus acquiratur. Non *ante mortem* quidem : « *Ambulatoria est enim testatoris voluntas, usque ad extremum vitae spiritum.* » Non *post mortem :* quia ipsa morte testator jure rerum suarum exuitur, adeoque tum jus nullum in haeredem potest transferre. Idem argumentum aliis verbis enuntiant : ad transferendum dominium privata auctoritate, de jure naturae requiritur, ut dominus rem suam in alium transferre *velit* ac *valeat.* Atqui testator rem suam in alium transferre ante mortem non vult : vult enim res suas servare quamdiu vivit; post mortem vero desinit esse dominus. Ergo testamentum ex se ineptum est ad transferendum dominium, ac proinde ex solo jure positivo vim habet.

Alii communius et probabilius **affirmant** et probant : **1°**) Quia dispositio testamentaria nihil aliud est quam donatio suspensiva sub conditione mortis. Morte itaque interveniente, est valida et firma sine novo consensu, vi scilicet consensus, quem testator vivens praestitit et non retractavit. **2°**) Quia apud omnes gentes ultima hominis voluntas habita est ut res sacra, et factio testamenti cum ipsis mundi incunabilis sumpsit exordium, quum solum jus naturale vigebat. **3°**) Ex absurdo. In sententia enim contraria, stando intra limites juris naturae, vel omnes donationes essent faciendae inter vivos, quod durum esset et inhumanum, necnon etiam industriae inimicum foret; vel omnium morientium bona, seposita lege positiva, forent primi occupantis.

Q. 53. An valeat *in conscientia* testamentum *formis legalibus* destitutum?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur : vel **1°**) de testamentis *ad* **causas profanas**; vel **2°**) de testamentis *ad* **causas pias** seu de *legatis piis.*

Si **Primum** : *Triplex* datur sententia probabilis. *Prima* affir-

mat, cum S. Antonino, Lessio, Molina, Roncaglia, aliis, ut adeo haeres ab intestato, si certus sit de voluntate testatoris, teneatur eam exsequi et haereditatem restituere, etiamsi judicium in sui gratiam obtinuisset. Ratio hujus sententiae est : quia ex ipso jure naturae oritur testandi potestas ; adeoque, ubi constat de voluntate testatoris, oritur obligatio naturalis, et lex est tantum in subsidium. *Secunda* cum Vasquez, Suar., Lugo, aliis, negat, ita ut haeres sic institutus aut legatarius non possint tuta conscientia adire vel retinere haereditatem aut legatum, sed teneantur eam dimittere haeredi ab intestato. Ratio horum DD. est : quia lex irritans testamentum formis legalibus destitutum fundatur in praesumptionem *periculi communis* fraudum quae in ultimis dispositionibus contingere solent, et ideo obligat in conscientia, licet in casu particulari praesumptio sit falsa, ut dictum fuit antea (tom. I, 140). *Tertia*, inter utramque media, et juxta S. Alp. (III, 711, et H. A. X, 126) probabilior ac in praxi tenenda, docet cum Bill., Sanch., Bannez., aliis, esse validum ante sententiam judicis, invalidum vero post sententiam, in eo scilicet sensu, quod legatarius possit legatum retinere usque ad sententiam, et tamen haeres ab intestato possit postulare judicium cui alter in conscientia tenebitur obedire (pag. 194). Ratio est : quia leges humanae eo modo obligant quo per usum communem recipiuntur ; atqui lex de formalitatibus testamentorum sensu explicato communiter intelligitur. « Haec nostra sententia, ait doctissimus Billuart, obviat variis conscientiae perplexitatibus et peccandi periculis in quae inducunt aliae sententiae. Quem enim reperies qui voluntarie dimittat quod titulo testamenti alteriusve contractus minus solemnis absque vi vel fraude possidet, dum a nemine repetitur?.... Quis est qui restituit id quod per sententiam judicis obtinuit contra dispositionem testamenti alteriusve contractus minus solemnis? »

Si **Secundum** : *Subdistinguendum* est. Vel **A**) agitur de locis, ubi causae piae sunt jure civili *privilegiatae*, vel **B**) non. — Si prius, valet testamentum, et legata pia in conscientia obligant. — Si posterius, *duplex* datur sententia : *prima* docet de hujusmodi testamentis generatim et per se idem dicendum esse ac de testamentis ad causas profanas. Dicitur : *generatim et per se ;* i. e. nisi in casu, quo certo constaret testatorem de bonis suis ad pias causas disposuisse, ut

satisfaceret obligationi restitutionis aut voti; nam haec sunt onera realia, quae transeunt ad haeredes. *Secunda*, quae est communior, imo *certa* juxta S. Lig. (III, 923), tenet testamenta ad pias causas et legata pia esse valida, si certo constet de voluntate testatoris, licet formalitatibus careant, idque probat : 1°) Ex cap. «*Relatum*» II *de testamentis et ultimis voluntatibus*, ubi Alexander III mandat, ut judices *(civiles)* Velitrenses non secundum leges civiles, sed secundum canones tractent *eas causas in quibus agitur de bonis relictis Ecclesiis*. Quod decretum Alex. III insertum fuit a Gregorio IX in Corpus juris canonici cap. « *Indicante* » 4. 2°) Quia piae causae ad Ecclesiam pertinent ejusque subjacent jurisdictioni; jam vero Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae jurisdictioni suae directe subsunt. Quare Conc. Trid. (sess. XXII, cap. 8 *de reform.*) statuit, ut « *Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicae delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores*. 3°) Accedit responsio S. Poenitentiariae de die 25 Junii 1844. — Ceterum, ut notat Marc n. 1083 ex S. Lig (III, 924 et II. A. X, 255) « si non constet de voluntate testatoris per scripturam ipsius indubitatam, aut per verba ex ipso audita aliove simili modo, haeres non tenetur credere *uni* soli testi, licet probatissimo, v. g. parocho aut confessario : quia debent esse saltem *duo* testes, ex ipso jure canonico et ratione boni communis, ut fraudes vitentur. »

Verum 1°) utrum Alexander III judicibus Velitrensibus rescripserit quasi **Pontifex,** ac proinde correxerit jus civile; an vero quasi **Princeps,** atque ideo jus novum in sua tantum ditione introduxerit, quaestio est antiqua, de qua DD. *disputant*. 2°) Esto decretum Alex. III insertum fuerit in corpus juris canonici sicque pro universa Ecclesia confirmatum, forte non immerito dici potest, post editas juris moderni leges, dispositiones juris canonici hac in re, saltem extra ditionem pontificiam, obsolevisse. 3°) **Ecclesia** in praesenti materia **non videtur jus suum urgere**, ne falso a politicis de legum civilium contemptu criminetur, aut saltem ne fideles, rati formas legis civilis esse necessarias, a bona fide quacum pia legata retinent, incassum excidant. Demum 4°) quod responsum attinet **S. Poenit.,** nihil exinde inferri posse videtur.

Expositum fuerat : « Eudorius, *haeredibus necessariis destitutus, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem* Bonifacium *legatarium universalem instituit, per testamentum debitis restitum formis. Scriptum autem privatum* Bonifacio *tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eamdem fideliter exsequatur.* Bonifacius *vero, mortuo* Eudorio, *integram haereditatem servat, ex eo quod testamento valido illam teneat.* **Postulatur,** *utrum in conscientia tutus esse possit?* » S. Poenit. **respondit** in casu proposito : « Bonifacium *teneri in conscientia ad implendam voluntatem* Eudorii *certo cognitam.* » Ast qui tenent testamenta ad pias causas necnon legata pia nequaquam esse *privilegiata*, nisi lex civilis eadem tanquam talia agnoscat, in praesenti tamen casu aeque resolvunt Bonifacium pro foro conscientiae et sub gravi teneri ad implendam voluntatem Eudorii certo cognitam : praeiverat enim speciale pactum seu contractus innominatus, quo Bonifacius se obligavit ad exoneranda pia legata in casu quo Eudorius testamento legitimo eum instituerit suum legatarium universalem. Atqui justa pacta servanda sunt in conscientia, etiamsi lex civilis non assistat. Ergo vi pacti testamentum legitimum praecedentis, tenetur Bonifacius pias dispositiones Eudorii exsecutioni mandare. — **Nec valet** dicere : ex casu proposito non necessario sequi pactum speciale seu contractum innominatum ; quamvis enim non *explicite*, habetur tamen *implicite*.

Quibus omnibus consideratis, audiatur cl. Jos. D'Annibale (part. 2, n. 542, pag. 321 edit. I.) : « *Liceat igitur id saltem concludere, rem* **dubiam** *esse ; atque ideo, quamdiu S Sedes loquuta non fuerit, non oportere inquietare eos, qui extra ditionem Pontificiam non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex jure civili,* » nisi, juxta dicta, certo constaret, ea fuisse relicta ad impletionem restitutionis aut voti. Et hanc sententiam idem auctor quem Leo XIII honoribus cumulavit ac sacra insignivit purpura, nedum in subsequentibus editionibus retractavit, sed imo audacius proposuit, dum simpliciter scribit : « *quamdiu igitur* S. Sedes *loquuta non fuerit,* existimo *non oportere inquietare eos, etc.* »

Nihilominus de sententia quam tuetur Card. D'Annibale asserere non dubitat Berardi (*Prax. conf.* n. 2736) : « *Doctrina ista tam-*

quam improbabilis haberi debet.» — Ad me quod attinet, controversiam inter DD. catholicos agitatam referre quidem breviter, non vero, quod absit, dirimere intendi. « *Caeterum*, cum doctissimo KENRICK, Arch. Baltim. (tract. XI, n. 37), *vix auderem denegare sacramenta nolenti ea solvere quae legis civilis praesidio carent.* »

Q. 54. *An* et *quomodo* peccent PARENTES : 1°) uni filio *plus* quam alteri relinquendo; 2°) laedendo *legitimam* filiorum?

R. Ad 1^{um}) Peccant parentes contra charitatem, si sine justa causa uni filio aut nepoti plus relinquant quam alteri, praesertim si hic, accedente labore et industria, se honeste alere non posset portione legitima : dant enim occasionem querelarum et dissentionum. Justa autem causa est : si unus sit magis meritus; vel plus requirat, quia v. g. defectum habet; vel si nondum sit qualificatus, vel sit in studiis et ideo pluribus indigeat, etc.

R. Ad 2^{um}) Similiter, si pater sine justa causa, dum vivit, bona vendat aut alienet cum praejudicio *legitimae* filiorum, peccat contra charitatem, non vero justitiam : quia filii non habent jus in haereditatem, patre vivente.

Q. 55. *An* et *qualis* sit OBLIGATIO relinquendi bona *cognatis*, qui non sunt haeredes *necessarii?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur : vel **1°**) de **fratribus** et **sororibus**; vel **2°**) de **consanguineis remotioribus.** Si **Primum** : *gravis* erit obligatio ex charitate, si sint in gravi necessitate, saltem in quantum est necessarium ad eam sublevandam. Secus, eos praeterire non erit nisi veniale, imo nullum peccatum, si justa adsit causa. Si vero **Secundum** : est tantum levis obligatio, secluso odio, eos ceteris praeferendi, etiamsi indigeant. Tenemur tamen sub veniali eos non excludere sine justa causa, ut evitentur jurgia, lites, invidiae, maledictiones et similia mala, quae inde solent oriri. Justae autem causae sunt : **A**) si consanguineus substantiam cum meretricibus sit dissipaturus; **B**) si ea abusurus sit ad persequendam Ecclesiam; ad favendum inimicis, sive societatis, sive religionis. Cfr. S. LIG. (III, 946).

Nota. Sapientissime tradunt STAT. *dioec. Mechl.* : « *Tempore*

opportuno, dum adhuc bona valetudine gaudent, testamentum conficere clerici non negligant, memores verborum Spiritus Sancti (Isa. XXXVIII, 1) : « Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives. » *Caveant, ne consanguinei bonis patrimonialibus sine justa ratione priventur, cum inde obloquia et murmurationes enasci soleant.*

Q. 56. Dic : 1°) *An* et 2°) *quomodo* testamentum *revocari* possit ad *nutum* testatoris?

R. Ad 1^{um}) *Affirmative*. Si tamen additum esset juramentum non revocandi, tunc quidem licite et sine peccato revocari non posset, adhuc tamen valide : quia juramentum non tollit naturam testamenti.

R. Ad 2^{um}) Revocari autem *duplici* modo potest : A) *Expresse*, per testamentum validum posterius confectum, quo mutatio voluntatis testatoris exprimitur (a. 1035). B) *Tacite*, per donationem, venditionem, permutationem, destructionem rei legatae aut quamlibet aliam dispositionem, qua manifestatur in testatore voluntatis mutatio (a. 1038).

Q. 57. An *commutari* possit testamentum defuncti?

R. *Negative*, ne in melius quidem, praeterquam a principali potestate : i. e. a R. Pontifice in causa pia, et a Rege in causis profanis; « *sed nonnisi ex justa et necessaria causa*, » ut ait Trid (sess. XXII, *de ref.* c.6). Alias commutatio et illicita erit et irrita, juxta sententiam, quae vocatur « *verior et communis* » a S. Lig. (III, 931). Nihilominus in causa pia id licet episcopis, non quidem jure proprio, sed justa interpretatione seu per epikeiam : 1°) Si is casus inciderit in quo testator aliter disposuisset, puta, si sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus Ecclesia non egeat. 2°) Si testator aliquid legavit ad certum opus, ad quod legatum non sufficit; verum hoc in aliud opus converti debet quod ei, quod testator jusserat, proximius sit, et pro loco ac tempore utilius. 3°) Juxta plures, si voluntas testatoris nondum exsecutioni mandari potuit. — Adhibeantur tamen in omnibus casibus haeredes et exsecutores testamentarii, quamvis neutri impedimento forent, si dissentiant injuste.

Q. 58. *Quis* 1°) dicatur *exsecutor* testamenti et 2°) *quodnam* ejus *munus?*

R. Ad 1um) *Exsecutor* is dicitur cui voluntas defuncti exsequenda committitur. Ejusmodi vero est, quem testator sibi elegit, et si neminem elegerit, haeres. Eligere autem potest quot et quos malit, dummodo sint capaces obligationis contrahendae et jure positivo non prohibeantur.

R. Ad 2um) *Munus* exsecutoris, quod ad ejus haeredes non transit, postulat : *A)* ut apponantur sigilla, si inter haeredes sint quidam minores, interdicti, vel absentes; *B)* ut fiat inventarium, praesente vel saltem rite vocato haerede proximo; *C)* ut vendantur res mobiles, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; *D)* ut exsecutionem testamenti urgeat (a. 1031). — Impensae autem ab exsecutore factae, muneris sui adimplendi gratia, ex rebus haereditariis solvi debent (a. 1034).

CAP. IV. De commodato, precario, deposito, sequestro, mandato et negotiorum gestione.

Q. 59. 1°) *Quid* sit COMMODATUM? 2°) *Quid* vero PRECARIUM?

R. Ad 1um) COMMODATUM *(commodat* seu *prêt à usage)* est « *contractus quo res gratuito conceditur ad solum usum, cum onere eamdem in individuo reddendi, praefinito tempore.* »

Explanatur. Dicitur : **1°) res,** sive immobilis, v. g. stabulum, cella; sive mobilis, etiam fungibilis, modo sit in commercio (a. 1878). Si enim sit fungibilis seu consumptibilis ex natura sua (pag. 20), potest tamen commodari ad pompam, ostentationem, etc. Dicitur : **2°) gratuito,** et in hoc differt commodatum a *locatione*, in qua pretium seu merces datur pro usu rei. Dicitur : **3°) ad solum usum, cum onere eamdem in individuo reddendi,** et sic differt a *mutuo gratuito*, in quo res datur ad consummationem, et ideo eadem in individuo reddi non debet, sed in aequivalenti. Dicitur : **4°) praefinito tempore,** sive explicite, dum v. g. conceditur equus pro hoc tempore; et in hoc differt a *precario*, quod est ad arbitrium concedentis revocabile.

R. Ad 2um) PRECARIUM est : « *contractus quo res gratuito conceditur ad solum usum, cum onere eamdem in individuo reddendi, ad nutum concedentis.* » Ideo dicitur

precarium, quia recipiens quasi continuo precatur, ut possit retinere. Quod tamen ita intelligendum est, ut non omnino statim repetatur absque necessitate, sed aliquantulum temporis concedatur judicio prudentis : alias foret inutile et nugatorium.

Q. 60. *Quaenam* sint MUNERA *commodatarii?*

R. 1°) Non excedere fines usus ; 2°) non repetere expensas *ordinarias* factas pro usu rei ; 3°) eam restituere tempore statuto, vel post usum ad quem fuit concessa ; et quidem 4°) in bono statu. Probabiliter tamen, si res deterior facta sit absque culpa theologica, non debent in conscientia compensari damna, nisi speciale pactum intercesserit (pag. 112 seq.).

Q. 61. *Quaenam* sit OBLIGATIONES *commodantis?*

R. 1°) Monere de vitio rei, si quod habeat nocivum ; 2°) *per se* non repetere rem ante tempus explicite seu implicite praefixum ; *per accidens* eam citius repetere poterit : *A*) ab haeredibus, si commodata fuerit in favorem solius commodatarii, si ante tempus praefixum moriatur ; *B*) si ipse commodans ex improviso re sua statim indigeat ; 3°) sustinere rei pericula et detrimenta ex casu fortuito enata, juxta axioma : *res perit domino*, seclusa tamen mora, culpa aut pacto peculiari, et sic restituere debet impensas *extraordinarias*.

Q. 62. *Quid* 1°) sit DEPOSITUM et 2°) *quotuplex* distinguatur?

R. Ad 1^{um}) Est *contractus quo res alteri custodienda traditur, ut eadem gratis integre reddatur ad nutum deponentis.* Dicitur : *gratis ;* si enim pro custodia aliquid solvi debeat, non manet merum depositum, sed est quasi *locatio.*

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur : *voluntarium* scilicet et *necessarium* (a. 1920).

Explanatur. Depositum **voluntarium** est quod perficitur mutuo et expresso consensu deponentis et depositarii (a 1921) ; — **necessarium** dicitur, quando non *omnino sponte* eligitur depositarius. Quod fit in duplici casu : 1°) in casu incendii, vel ruinae vel naufragii (a. 1949) et hinc vocatur depositum *miserabile.* 2°) Quando a *viatoribus* quaedam objecta committuntur *cauponibus* aut eorum famulis, *stabulariis*, *nautis* et similibus, qui omnes tenentur de furto vel alio quocumque detrimento rerum ad viatores

pertinentium (a. 1953), nisi vis armata aut alia vis major intercesserit (1954).

Q. 63. Ad *quid* teneatur *depositarius?*

R. Tenetur : 1°) ad diligentem rei depositae custodiam : hinc si ea pereat ex dolo vel alia culpa theologice gravi, tenetur eam compensare; 2°) non uti re deposita absque expressa vel saltem rationabiliter praesumpta domini licentia; 3°) *per se loquendo* depositum reddere quamprimum petitur, nisi, *per accidens* (pag. 137), deponens eam repetat, ut noceat sibi aut aliis; vel res sit furtiva eamque dominus repetat, vel nisi depositarius justam habeat causam compensationis; 4°) rem depositam reddere in eo statu in quo reperitur tempore restitutionis, cum fructibus ex ea perceptis.

Q. 64. Ad *quid* teneatur *deponens?*

R. Tenetur : 1°) aperire vitium rei ex quo depositario potest damnum obvenire; 2°) solvere expensas, si quae sint faciendae in servando vel reddendo depositum.

Q. 65. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit SEQUESTRUM?

R. Ad 1^{um}) Est species *depositi*, seu contractus, quo res inter plures controversa apud tertium deponitur, qui dicitur *sequester*, eo fine, ut post sententiam judicis vel arbitri tradatur illi, qui causam evicerit.

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur : A) *conventionale*; B) *judiciarium*; prout fit vel sola partium voluntate, vel judicis sententia. *Conventionale*, si sit gratuitum, iisdem subjacet regulis ac *depositum* proprie dictum; si non sit gratuitum, tunc habetur ut operae *conductio*, et ejus regulis regitur. *Judiciarium*, quod relinquitur arbitrio judicis praescribendum, non est ex natura sua gratuitum, sed salarium determinatur ab ipsa lege sequestri solvendum.

Q. 66. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit MANDATUM?

R. Ad 1^{um}) MANDATUM (*mandat, procuration,*) est contractus, *quo negotium aliquod alicui gratis gerendum committitur et ab ipso suscipitur* (a. 1984). Dicitur : *gratis;* quia MANDATUM natura sua gratuitum est, et si pretio suscipiatur, est potius *locatio operae.*

R. Ad 2um) Aliud est *speciale*, quod unum vel quaedam tantum negotia respicit; aliud *generale*, quod cuncta negotia mandantis amplectitur. Hoc tamen generalibus verbis conceptum ad solos actus administrationis pertinet : quare ad alienationem, vel hypothecam concedendam,vel ad alios quoscumque actus dominii, mandatum expressum seu speciale requiritur.

Q. 67. Ad *quid* teneatur *mandatarius?*

R. Tenetur : 1°) implere mandatum quod accepit, adeoque nec fines ejus excedere ; 2°) negotium diligenter gerere ; 3°) reddere rationem administrationis suae, et *per se* restituere omne lucrum quod percepit ex mandato; nisi, *per accidens*, lucrum sequatur ex speciali ejus industria aut labore indebito.

Q. 68. Ad *quid* teneatur *mandans?*

R. Tenetur : 1°) adimplere quascumque obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite illud ratum habitum fuerit (a. 1998); 2°) praebere mandatario quae necessaria sunt ad mandati exsecutionem eique solvere sumptus legitimos, quos fecit occasione mandati, etiamsi res prosperum successum non habuerit (a. 1999); 3°) indemnem facere mandatarium circa damna, quae, praecisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus est (a. 2000).

Q. 69. Quibus modis *solvatur* MANDATUM?

R. *Tribus* modis.

Explanatur. Solvitur : 1°) revocatione mandatarii; 2°) ipsius renuntiatione; 3°) morte, interdictione et bonorum subversione *(déconfiture)* tum mandantis, tum mandatarii (a. 2003 seqq.).

Q. 70. *Quid* sit NEGOTIORUM GESTIO?

R. Est quasi contractus ortus ex facto illius, qui negotium alterius spontanee gerit, eo inscio, vel non inscio (a. 1372).

Q. 71. Ad *quid* teneantur : 1°) *gestor* negotii; 2°) ille,*cujus negotium geritur?*

R. Ad 1um) *Gestor* negotii tenetur : *A*) illud diligenter administrare; *B*) semel coeptum perficere; *C*) reddere rationem eorum quae gessit.

R. Ad 2um) Ille, *cujus negotium geritur*, tenetur : *A*) servare conventiones ejus nomine initas a gestore; *B*) ipsum servare indemnem pro omnibus obligationibus personalibus quas suscepit; *C*) ipsi refundere omnes impensas utiles aut necessarias, quas fecit, etiamsi res male successerit (a. 1375).

CAP. V. De mutuo, ubi de usuris et montibus pietatis.

Q. 72. *Quid* 1°) sit MUTUUM? 2°) An sit contractus *gratuitus*, an vero *onerosus?*

R. Ad 1um) MUTUUM, quasi *ex meo tuum*, dupliciter sumi potest : vel *objective*, pro re ipsa mutuata, ut dum dicimus dari mutuum, accipi mutuum; vel *formaliter*, pro ipsa mutuatione; et hoc sensu est contractus, quo res fungibilis (p. 20) alicui datur quoad plenum dominium, ea lege, ut tantumdem eodem genere restituatur post aliquod temporis spatium.

R. Ad 2um) Est quidem contractus ex natura sua *gratuitus*, quia per se censetur dumtaxat in gratiam mutuatarii initus. Plerumque tamen est *onerosus* (*prêt à intérêt*) (a. 1905), quatenus fit cum pacto aliquid dandi ultra *sortem*, i. e. supra rem mutuatam.

Resolvitur. Hinc MUTUUM **differt 1°)** : a *commodato*, *locato* et *deposito* : **A**) quia in MUTUO res debet esse fungibilis, secus in aliis; **B**) quia res non in individuo reddenda est; **C**) quia in MUTUO transfertur rei dominium et non in aliis; **D**) quia in MUTUO res perit accipienti, in ceteris tradenti. **Differt 2°)** : a *donatione*, in qua res traditur alteri absque ulla obligatione eamdem restituendi. **Differt 3°)** : tum a *venditione*, tum a *permutatione*, in quibus res non in *eodem* sed in *alio* genere reddenda est, v. g. pecunia pro pane, vel oleum pro frumento. **Differt 4°)** : a *cambio*, in quo aurum v. g. pro argento statim datur.

Q. 73. Dic : 1°) *Quinam* DARE possint MUTUUM, 2°) *quinam* vero ACCIPERE?

R. Ad 1um) DARE possunt, qui rei dominium habent et alienare non prohibentur.

R. Ad 2um) ACCIPERE possunt, qui possunt contractus inire.

Q. 74. An aliquando detur *obligatio* ex charitate dandi MUTUUM?

R. *Affirmative*, non quidem respectu pauperum *absolute*, i. e. qui tales sunt, tum in re, tum in spe : hi enim sublevantur eleemosynis; sed respectu pauperum *secundum quid*, i. e. habentium alibi vel in proxima spe.

Q. 75. Ad *quid* teneantur : 1°) *mutuans* seu *mutuator*; 2°) *mutuatarius?*

R. Ad 1^{um}) *Mutuans* tenetur : *A*) monere mutuatarium de vitio rei traditae, si quod sit : alias tenetur de damnis; *B*) non repetere mutuum ante tempus definitum, et si nullum praefixum sit, ante tempus judicio prudentium definiendum, spectatis adjunctis et fine, ob quem res mutuo data sit.

R. Ad 2^{um}) *Mutuatarius* tenetur : *A*) restituere suo tempore, et loco quo accepit, nisi aliud pactum sit; *B*) *tantumdem* restituere, adeoque *eodem genere*, *qualitate* et *quantitate*, nisi aliud convenerit, sive creverint pretia rerum, sive decreverint. Quod si eodem genere restituere non possit, permittitur aestimationem solvere ejus temporis quo creditor petiit, et ejus loci quo restitutio facienda est, non quidem juxta valorem *intrinsecum*, sicut pro aliis rebus, sed pro praesenti valore eorum *extrinseco* seu *imposititio*, nisi aliud convenerit.

Resolvitur. Hinc si 100 accepisti in aliqua moneta et postea augeatur valor istius monetae, sufficit ut reddas valorem 100, licet in monetis paucioribus, nisi aliter conventum sit, puta, si mutuator eas monetas conservaturus erat usque ad tempus incrementi. Contra in mercibus attenditur valor intrinsecus, ideoque sive crescat, sive decrescat valor frumenti mutuati, tot sunt reddendae mensurae, quot fuerunt acceptae, nisi aliud sit pactum.

Q. 76. *Quid* 1°) sit USURA, et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1^{um}) USURA, *stricta* significatione, *dupliciter* accipi potest : *objective* et *formaliter*.

Explanatur. USURA **objective** sumpta, ex S. THOMA (2. 2. q. 78, a. 1), est : « *pretium usus rei mutuatae;* » seu aliis verbis : « *lucrum immediate proveniens ex mutuo;* » et hoc sensu USURAE instar accessionis et fructuum sortis, i. e. rei mutuatae habentur.

Et « ea de causa USURA etiam *foenus* dicitur a foetu, more Graecorum, quibus USURA τόκος *partus* est, a *pario*, eo quod per usum pecunia pecuniam, ceu foetum, pariat. » (THEOL. WIRCEB.) — **Formaliter** sumpta, ex S. THOM. (*ibid.*), est : « *acceptio pretii pro usu rei mutuatae ;* » seu aliis verbis : « *contractus de lucro supra sortem reddendo tanquam debito praecise ratione mutui.* » Dicitur 1°) **contractus** : quia usura *formaliter* sumpta praesupponit MUTUUM sive *expressum* et *explicitum*, sive *implicitum* et *tacitum*. MUTUUM igitur est quasi usurae propria sedes et fundamentum, ut colligitur ex jure canonico, causa 14, q. 13. Unde si quis lucrum perciperet ex injusta venditione vel locatione, non esset reus usurae, sed alterius injustitiae, quia lucrum illud a MUTUO non provenit. Dicitur 2°) **de lucro** : quo nomine intelligitur « quidquid est pretio aestimabile, sive sit pecunia, sive quidquid aliud quod pecunia aestimari potest, ut sunt munera, onera et signanter civilis obligatio, etiam ad aliquid quod non est pretio aestimabile ; est enim ipsa pretio aestimabilis. Unde si mutuando obliges mutuatarium ad tibi conferendum Beneficium vel Ordines, eris simoniacus ratione collationis Beneficii aut Ordinum, et usurarius ratione obligationis quam imponis mutuatario » (BILL.). Dicitur 3°) **supra sortem** ; i. e. ultra capitale vel hoc quod mutuo datum est. Et ideo illud lucrum vocatur *auctarium*, ad significandam utilitatem *alicui rei superadditam*. Dicitur 4°) **reddendo tanquam debito** ; sive ex justitia, sive ex gratitudine, modo ex vera obligatione, ob damnatam ab INNOC. XI propositionem sub. n. 42 : « *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum ; sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.* » Ceterum, docente S. THOM. (*l. c.* a. 2), si quis « *recipiat aliquid hujusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat : quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit.* » Dicitur 5°) **praecise ratione mutui** : i. e. *per se immediate*, seu praecise *vi ipsius mutui* vel alicujus in mutuo *essentialiter* inclusi aut *necessario* connexi, ac secluso quocumque alio justo titulo concomitante seu extrinseco aliquid accipiendi ultra sortem mutuatam. Unde BENED. XIV. in Encycl. « *Vix per-*

venit » (1 Nov. 1745) sic scribit : « *Peccati genus illud quod* USURA *vocatur... in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod ratione ipsius mutui sibi debere contendat.* »

Resolvitur 1. « Usura est, si injungas mutuatario, ut frequentet tuam officinam, molendinum, merces tuas etiam justo pretio emat, etc. : quia licet nullum inde pateretur damnum, patitur tamen ejus libertas, quod est onus. » (Sass.) **Resol. 2.** « Usura est, si ideo des mutuum, ut alter desinet a lite justa, ne aedificium altius extollat, ut certam fenestram obfirmet, ut beneficium vel officium tibi vel alteri digno conferat, ut te recommendet, etc. ; quia obligatio haec praestandi est pretio aestimabilis. » (Sass.). **Resol. 3.** « Non est usura, si des, ut desinat a lite injusta : quia hoc onus non oritur ex mutuo, sed aliunde. Sic non est usura, si obliges ad aliquid praestandum ad quod jam ante erat obligatus ex justititia, v.g. ut solvat antiquum debitum ; sic enim non imponitur novum onus. » (Sass). **Resol. 4.** « Si sperem aliquid ex gratitudine vel benevolentia, non est usura : quia si sponte ex gratitudine detur, possum accipere ; cur ergo non sperare? »(Sass.). « Et hoc est verum etiamsi qui sperat se aliquid accepturum a mutuatario grato et liberali, alias non mutuaturus esset. » (Ronc.). « Neque obstant verba Christi : *Date mutuum, nihil inde sperantes :* non enim debent ita generaliter accipi, ut excludatur spes cujuscumque rei ; alioquin mutuans, non posset sperare redditionem sortis ; sed intelliguntur de spe lucri usurarii, » (Bill.), i. e. de spe lucri tanquam debiti precise ratione mutui. **Resol. 5.** Imo *exigere* a mutuatario aliquid *non tanquam ullo modo debitum*, sed ut *mere gratuitum* solius amicitiae et gratitudinis titulo liberrime conferendum, ut fieri solet inter amicos, non est **secundum se** usurarium. » (Bill.). Quo spectant verba S. Thom: (2. 2. q. 78, a. 2 ad 3) : « *Si vero munus ab obsequio, vel a lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia quae sub aestimatione pecuniae non cadit, licet hoc accipere, et exigere et exspectare.* » Quae doctrina nihil commune habet cum prop. sub n. 42 ab Innoc. XI damnata (pag. 226), ut patet ex terminis. Dicitur : « *secundum se* » : « Quia, quantum ad praxim, vix aut ne vix admittendum arbitror, ait Bill., nisi in iis occasionibus et necessitatibus, in quibus solent amici ab amicis obsequium requirere. »

R. Ad 2^um^) USURA *formaliter* sumpta *multiplex* distinguitur.

Explanatur. 1°) Alia est **expressa** seu **aperta,** quando expresse exigitur pretium pro mutuo, ut si quis dat mutuos 100 francos eo pacto, ut post annum reddantur sibi centum et tot vel tot ultra; alia est **palliata, tacita** seu **virtualis**, quae fit in contractu mutui non expressi, sed alterius nomine, velut pallio occultati, ut si mercator ob solam dilationem solutionis pretii, merces carius vendat : nam in re aliud non est, quam emptori mutuam dare pecuniam, post aliquod tempus cum auctario recipiendam. 2°) Alia est **realis** seu **externa,** quando lucrum deducitur exterius in pactum sive explicitum sive implicitum; alia **mentalis** seu **interna,** quando mutuans non deducit lucrum in pactum exterius sive explicitum sive implicitum, intendit tamen illud tanquam sibi debitum vi mutui et ut tale illud exigit aut accipit (BILL.).

Q. 77. An *certo* constet, USURAS esse vetitas, jure sive *naturali*, sive *divino?*

R. *Controvertitur.* « *Triplex* asserta est circa hoc punctum sententia. » Ita cl. BONAL.

Explanatur. Sententia **PRIMA,** quae est *communissima*, **affirmat** cum S. THOM. (2. 2. q. 78, a. 1), cujus argumentationem S. LIG. (III, 759) sic breviter complectitur : « Licet in re, quae usu non consumitur, prout in domo, equo, possit usus a re distingui; in re tamen usu consumptibili, ut in vino, tritico, pecunia, non adest usus rei distinctus a dominio, cum usus rei sit ipsa rei consumptio, et ideo in mutuo ex sua natura transfertur rei dominium in mutuatarium. Si igitur aliquid exigeretur pro usu rei consumptibilis, injuste quidem exigetur, ait S. THOM. et OMNES, quia exigeretur pro re quae non exstat. » Imo asserit BENED. XIV (*de Syn* l. X, C. IV, n. II) : « *Omne lucrum ex* MUTUO, *praecise* RATIONE MUTUI, *uti loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico, illicitum esse,* **perpetua fuit et est catholicae Ecclesiae doctrina,** *omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata.* ». Quam thesim postquam variis illustraverat argumentis, deinde En-

cyclicam suam « *Vix pervenit* » (1 Nov. 1745) commemorat, in qua, ait Pontifex (*loc. cit* n. X) : « *Haec inter cetera declaravimus :* **primo,** *omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium et illicitum esse ;* **secundo,** *ad usurae labem purgandam, nullum arcesseri posse subsidium vel ex eo quod id lucrum, non excessivum et nimium, sed moderatum, non magnum sed exiguum sit ; vel ex eo quod is, a quo id lucrum, solius causa mutui, deposcitur, non pauper, sed dives exsistat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus ;* **tertio,** *quamquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid, ultra sortem ex mutuo debitam, exigendi, attamen false et temere affirmari diximus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique praesto esse, ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque recipere.* » Porro, aiunt Patroni istius sententiae, declaratio illa Bened. XIV est judicium *ex cathedra* prolatum : nam est judicium *dogmaticum*, cum agatur de re ad bonos mores pertinente et cum revelatione connexa. Insuper profertur vi primatus Petri, siquidem, etsi illa Encyclica dirigatur ad solos Italiae episcopos, nihilominus S. Pontifex in ea dicit, se, sic docendo, *munus apostolicum* adimplere, *mandatum apostolicum* dare. Aliunde SS. Pontifices subsequentes in responsis particularibus praefatam decisionem proposuerunt episcopis et animarum pastoribus tanquam regulam omnino sequendam etiam extra Italiam, Ergo illa declaratio est judicium supremum et infallibile.

SECUNDA sententia **negat** cum cl. Josepho d'Annibale (*Sum. Theol. Mor.*, part. 2, n. 519), qui, expensis argumentis oppositae sententiae, ita scribit : « *Nullo igitur manifesto, seu naturali, seu divino jure constat, usuras per se illicitas, aut alias vetitas esse. Quin potius, ex ratione agendi Ecclesiae catholicae, contrarium conjicitur : nam eas tueri sinit libris Romae editis ; vetat inquietari eos qui illas stipulantur, et inabsolutos dimitti* (1) ; *compendiorum*

(1) « Nec dicat quis S. C. id vetuisse his in locis, ubi usuras probat jus civile : nam alias aliis id generatim respondit, detracta mentione juris civilis. »

denique arcas [caisses d'épargne] *in ipsa Pontificia ditione fovet. Liceat igitur id saltem concludere : lex, quae usuras vetat, incerta et dubia est; atqui legis hujusmodi nulla est obligatio. Dixi :* **per se**; *nam immodicae profecto illicitae sunt, immo et modicae, si eas charitas vetat.* » Nec, aiunt Patroni istius sententiae, quis **objiciat 1°**) : per MUTUUM, dominium rei mutuatae transit in accipientem; jam vero, dominum ob rei suae usum quidvis alteri praestare debere, et iniquum et absurdum est. **Resp.** enim : qui rem mutuam alii dat, ei profecto beneficium praestat; jam vero, beneficia mercedem recipere naturali quoque jure posse, nemo unquam dubitavit. Revera per se et apud omnes melius est jus in re, bonum praesens, facultas intra aliquod tempus re utendi et abutendi, quam, intra idem tempus, jus ad rem, ad bonum futurum, ad recuperandam facultatem re utendi et abutendi; atqui mutuans vi mutui *prius* mutuatario diviti indebite confert, et *posterius* tantum pro se retinet; ergo, ut servetur aequalitas, mutuans vi mutui aliquid supra sortem exigere potest. Aliunde, qui usum rei tantum alteri ad tempus concedit per locationem, ob hoc beneficium jus habet ad lucrum proportionatum, juxta omnes; nonne igitur a fortiori jus istiusmodi habet, qui alteri indebite ad tempus concedit non solum rei usum, sed et dominium? Nec **obstat 2°**) celebris *Encyclica* BEN. XIV « *Vix pervenit* » ad Italiae episcopos missa (1 Nov. 1745) : nam de genuino ejus sensu ultro citroque gravissime disputatum fuit; imo, MAFFEI suum opus : « *Sull' impiego del denaro,* » quod an. 1744 Veronae ediderat, recusum an. 1746 ipsimet Pontifici dedicavit, in quo opere lucrum moderatum vi ipsius mutui perceptum jure naturali et divino licitum esse propugnat. Praeterea, an. 1830, Romae prodiit, cum superiorum licentia, opus MASTROFINI, ex clero Romano, cui titulus : « *Delle usure,* » a duobus S. OFFICII consultoribus valde laudatum, in quo aperte et ex professo asseritur, lucrum moderatum, ex quocumque titulo divitibus praestitum, nec injustum esse, nec prohibitum. In quam sententiam descendisse nonnullos scriptores catholicos, sive in Italia, sive in Gallia et aliis regionibus notum est. Quae sane omnia non contigissent, si S. Sedes declarationem BENED. XIV uti judicium dogmaticum habuisset ex cathedra prolatum. Accedit praefatam Encyclicam ad solos Italiae episcopos

fuisse directam, nec unquam ad universam Ecclesiam fuisse emissam eique impositam. Nec **obstant 3°**) : propositiones damnatae, tum ab Alex. VII sub n. 42 : « *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus ;* » tum ab Innoc. XI sub n. 41 : « *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram ; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* » Item n. sub. 42 : « *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum ; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* » Hae enim propositiones in eo damnabiles fuerunt, quod nimis generaliter ac indeterminate loquerentur. Nec **obstant 4°**) : SS. Litterae. Nam in V. T. usura erat quidem prohibita Judaeis erga Judaeos saltem pauperes, sed eis licita erat erga extraneos; unde illa prohibitio statuta fuit ob rationes constitutioni gentis judaicae proprias, nec ex jure naturali oriebatur. Quod vero N. T. attinet, illa Christi verba (Luc. VI, 35): « *Mutuum date, nihil inde sperantes,* » miscentur plurimis aliis quae consilium tantum exprimunt innuuntque mercedem aeternam esse promissam perfectis, seu iis qui non agunt intuitu mercedis temporalis. Nec demum **obstat 5°**) : probatio ex traditione desumpta, quantumvis gravissimi momenti videatur. Etenim traditio constans et universalis usque ad medium XII saec. improbavit quidem usuram tanquam pauperis oppressivam, et ideo ut charitati oppositam; sed circa usuram moderatam ex mutuo divitibus facto, non adest traditio satis expressa et universalis sive ratione temporis, sive ratione loci, ut catholica dici possit et decretoria. Ita Card. la Luzerne. Revera tempore Patrum et Scholasticorum, rarum erat negotiationis mutuum, rarum proinde mutuum divitibus factum, dum e contra ordinarie mutuum onerosum erga pauperes erat maxime frequens et vere oppressivum. Theologi vero et canonistae usuram impugnarunt vel potius ut philosophi quam ut traditionis testes, vel nimis abstrahendo ab effectibus practicis usurae moderatae. « *La matière de l'usure est surtout politique et économique, c'est sur les besoins extérieurs de la société qu'il faut particulièrement se régler, pour modérer ou étendre la rigidité des lois qui la répriment.* » Ita Troplong (*Du prêt*, n. 345), qui paulo

ante (*ibid.* n. 342) haec scripserat : « *Il y a, du reste, une preuve bien sûre de la légitimité morale du prêt à intérêt, quand il est renfermé dans des bornes raisonnables. C'est que, malgré toutes les prohibitions des lois ecclésiastiques et civiles, l'on a toujours cherché par des moyens équipollents ou par des fictions, à s'en procurer les résultats et les avantages. J'ai assez bonne opinion de l'humanité, pour être convaincu que ce n'est pas là ce qui serait arrivé, si ce prêt eût été comparable au vol.* »

TERTIA sententia **distinguit** inter MUTUUM *consumptionis* et MUTUUM *negotiationis*, dicitque lucrum moderatum vi mutui ex mutuo saltem negotiationis perceptum, licitum esse jure naturali et divino. Sed de utroque mutuo loquitur BENED. XIV in Enc. « *Vix pervenit* » et in Syn. (*l. c.* n. III) et utrumque improbat. Quare inter auctores qui excusare conati sunt mutuum onerosum negotiationis, plerique deducti sunt ad mutuum onerosum consumptionis pariter excusandum.

Conclusio. Cum cl. BONAL. : « Haec **controversia,** quae olim tot tamque gravibus discussionibus locum dedit, in statu praesenti societatis, non adeo ad **praxim** interest, cum fere in omni casu, excepto mutuo erga pauperes, licitum sit mutuum onerosum ex solida praesumptione alicujus tituli extrinseci, ut haud subobscure innuunt recentes et practicae declarationes S. Sedis. »

Q. 78. Quaenam usurae *immodicae* dicendae sint, quaenam vero *modicae?*

R. Hoc metiri debet tum ex locis, tum ex nummorum cujusque loci copia vel inopia, tum denique ex copia vel inopia creditorum.

Q. 79. Quinam sint *tituli*, ob quos *certo* licitum sit, in mutuo aliquid supra sortem exigere sine labe USURAE?

R. *Quinque* vulgo numerantur.

Explanatur. Sunt : 1°) **Detrimentum,** si quod forte creditori imminet ex mutuo, sive hoc sit damnum emergens, sive lucrum cessans (S. Th. 2.2.q.78,a.2ad 1). 2°) **Periculum sortis amittendae,** i. e. timor prudens ne sors recuperari nequeat. Constat ex decisione S. C. *de* P. F. pro Missionariis Sinensibus ab INNOC. X approbata, an. 1645. 3°) **Incommoda repetitionis,** si haec aut difficultate aut labore aut molestia non sit caritura. 4°) **Poena conventio-**

nalis seu pactum, quod si mutuatarius non satisfacit solutioni intra tempus praefinitum, solvendum erit aliquid ultra sortem. 5°) **Lex civilis.** Nam S. Sedes pluries interrogata, an ex solo titulo *legis civilis* permittentis, aliquid ultra sortem in mutuo percipi possit, respondit, et signanter per decreta S. Officii (18 Aug. 1830 et 31 Aug. 1831), tam fideles, quam confessarios hoc admittentes, « NON ESSE INQUIETANDOS, *quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere;* » quae verba « **non esse inquietandos** » ex doctrina S. Lig. (III, n. 765) significant: « *non meram tolerantiam, sed positivam permissionem.* » Unde, licet suis responsis, ut patet ex terminis, S. Sedes « *quaestionem a Theologis agitatam de titulo illo ex lege principis desumpto haud quaquam voluerit definire, sed solummodo normam proponere quam confessarii tuto sequerentur erga poenitentes qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide paratique essent stare mandatis S. Sedis* » sicut totidem verbis declaravit (7 Mart. 1835) Card. De Gregorio, Poenitentiarius Major, in responsione sua ad Episc. Vivarien.; tamen de legitimitate hujus tituli hodie vix dubitari potest, quamvis non eadem ab omnibus detur explicatio. Nam alii invocant vim *alti dominii* quod suprema auctoritas habet in bona privatorum; alii autem, longe melius, recurrunt ad jus et officium quod suprema auctoritas habet decernendi praemium iis qui pecuniam suppeditantes commercio favent. — Quod vero clausulam attinet, ut scilicet fideles « **parati sint stare mandatis S. Sedis** » de hac dispositione, saltem generatim loquendo, non sunt necessario interrogandi a confessario : tum quia hoc non exigitur in praefatis responsis; tum quia confessarius praesumere debet poenitentem in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. Imo hanc clausulam S. Sedes jam consuevit omittere, ut notat Kenr. (I, 101).

Scholion. Ex Cod. civ. Gallico **duplex** distinguitur auctarium : **legale,** quod a lege definitur; **conventionale,** quod determinatur ex consensu mutuantis et mutuatarii. « *L'intérêt est* LÉGAL *ou* CONVENTIONNEL. *L'intérêt légal est fixé par la loi. L'intérêt conventionnel peut excéder celui de la loi, toutes les fois que la loi ne le prohibe pas. Le taux de l'intérêt* CONVENTIONNEL *doit être fixé par écrit* » (a. 1907). Sed cum usurae atrociores ubique in Gallia grassarentur,

lex lata est (3 Sept. 1807) auctarium *conventionale* ad *legale* revocans legisque infractoribus poenas imponens : « *L'intérêt* CONVENTIONNEL *ne pourra excéder, en matière civile, 5 p. c., ni en matière de commerce, 6 p. c. Le prêteur sera condamné à restituer l'excédant, s'il l'a reçu ou à souffrir une réduction sur le principal de la créance.* » Ast hodie in Belgio, sicut in plerisque regionibus, taxa auctarii *conventionalis* non amplius definita est. Etenim lex (3 Sept. 1807) hanc taxam definiens, quoad hanc partem abrogata fuit per legem 5 Maii 1865, quae sic habet : « *Art. 1. Le taux de l'intérêt* CONVENTIONNEL *est déterminé librement par les parties contractantes.* » Taxa autem auctarii *legalis* eadem remansit, scilicet 5 p. c. in materia civili, 6 p. c. in materia commerciali. Sed imminuta fuit per recentem legem (20 Dec. 1890) quae statuit : « *Le taux de l'intérêt* LÉGAL *est fixé à 4 1/2 p. c. en matière civile et à 5 1/2 p. c. en matière de commerce.* »

Verum, concessa jam libertate recedendi a taxa legali, non ideo licet ex mutuo percipere **quodcumque auctarium** seu interesse; sed, sicut in ceteris contractibus onerosis, ita etiam in foenoris stipulatione limites **justi pretii** servandi sunt. Propter circumstantias tamen seu causas particulares, ut puta certum mutuatoris damnum emergens, verum et magnum sortis periculum, quandoque non injustum erit majus quam usu communi concessum exigere auctarium. De illo auctario, non adamussim, sed juxta timoratorum praxim determinando, habito respectu locorum et temporum, sic respondit S. POENIT. (18 April. 1889) episcopo de MARSICO et de POTENZA : « *Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit, Ven. in Chr. Pater episcopus orator in singulis casibus rem decernat juxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.* » Ap. N. R. T. (XXI, 496).

Q. 80. *Quid* dicendum de *Montibus pietatis?*

R. *Montes pietatis*, sic dicti, quia pium est pauperum necessitati providere, sunt aeraria publica eo fine erecta, ut indigentes, quae sibi sunt necessaria, ex MUTUO accipere possint, deposito certo pignore, cujus periculum in se suscipiunt ministri illius aerari, et soluto supra sortem modico auctario ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administra-

tionem necessarios. Quod si MUTUUM non restituatur suo tempore, pignus sub hasta venditur, ac retento pretio, quod *Monti* debetur, reliquum restituitur domino pignoris, si ille inveniri poterit, vel cedit eidem etiam *Monti*, si pauper sit. — Nihil itaque ex se habent, in quo increpari valeant.

SECTIO SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

CAP. I. De emptione-venditione in genere.

Q. 81. *Quid* 1°) sit EMPTIO-VENDITIO et 2°) quomodo *perficiatur?*

R. Ad 1um) EMPTIO est pactio pretii pro merce, et VENDITIO pactio mercis pro pretio. Ex quo duplici pacto unum consurgit : EMPTIO-VENDITIO, seu contractus onerosus, quo emptor et venditor conveniunt de commutanda merce pro pretio.

R. Ad 2um) Ex jure *gallico* tribus, *regulariter* loquendo, perficitur : A) *mutuo consensu ;* B) *determinatione mercis; determinatione pretii.* Quare non amplius, sicut sub jure *Romano*, requiritur, ut res sit *tradita ;* sed dominium rei venditae in emptorem transfertur, quamprimum inter emptorem et venditorem conventum est de re ejusque pretio (a.1583).

Explanatur. Dixi : **regulariter** ; ob sequentes exceptiones : **1°**) Si res vendantur, non acervatim *(non en bloc),* sed ad pondus, numerum aut mensuram *(au poids, au compte ou à la mesure) ;* vel ad gustum *(que l'on est dans l'usage de goûter avant d'en faire l'achat)* ; vel denique ad probationem *(à l'essai)* ; earum venditio *perfecta* non est, nisi prius accedat ponderatio, numeratio, mensuratio, degustatio aut probatio (aa. 1585, 1587 et 1588). **2°**) Si res pure mobilis sit duobus vendita, ipsius est, qui eam bona fide emptam possidet, etiamsi ipsius titulus seu emptio sit tempore posterior (a. 1141). **3°**) Venditio summam 150 francorum excedens, ut in foro *externo* probari possit, scriptum authenticum seu privatum exigit (a. 1541), nisi agatur de conventionibus commercialibus (a. 109. *Cod. comm.*).

Q. 82. *Quid* 1°) sit MERX et 2°) *quotuplici* modo possit *determinari?*

R. Ad 1um) MERCIS nomine intelligitur quidquid est in commercio, nisi legibus particularibus prohibeatur ejus alienatio (a. 1598); sive sint res *corporeae*, sive *incorporeae* (pag. 19); *futurae* quoque, ut fructus et partus nascituri, excepta *viventis* haereditate.

R. Ad 2um) Determinari potest : vel *in spe*, v. g. vendo tibi jactum retis pro capiendis piscibus; vel *in re*, v. g. vendo tibi pisces jam captos. *In re* potest MERX determinari : vel *in genere*, vel *in specie*. *In genere*, v. g. vendo tibi decem oves de meo grege; *in specie* potest iterum determinari : vel *in individuo*, v. g. vendo tibi has decem oves; vel *ad corpus* seu acervatim sine mensura (*en bloc*), v. g. vendo tibi *totum* frumentum quod est in horreo meo pro mille francis; vel *ad pondus*, *numerum*, *mensuram*, v. g. vendo tibi centum mensuras ex frumento quod est in horreo meo pro mille francis; vel sub pacto *degustationis* aut ad *probationem*.

Q. 83. *Cui* res vendita PEREAT ante *traditionem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) perit ex **vitio intrinseco occulto**; vel 2°) ex **culpa venditoris**; vel 3°) **casu fortuito.** Si **Primum** : perit venditori (a. 1647). Si **Secundum** : perit etiam venditori; nisi in communi periculo aeque periisset (a. 1302). Si **Tertium** : perit emptori, quia ipse est dominus, etiam ante traditionem. Excipe : **A**) si aliter conventum fuerit; **B**) si res vendita sit *in genere* : quia genus non perit; **C**) si vendita sit ad *pondus*, *numerum*, *mensuram*, sub pacto *degustationis*, vel ad *probationem*, et pereat antequam adimpleatur conditio.

Q. 84. Si *vitium* adest in merce, sitne *aperiendum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vitium potest esse : **substantiale**, vel **accidentale**; **occultum** vel **manifestum**; **damnosum** vel **non damnosum.** 1°) Si vitium sit **manifestum**, non est aperiendum, modo emptor non sit ignarus seu valde rudis : quia respectu talis vitium censetur occultum. 2°) si sit **occultum**, *subdistinguo :*

A) vel est **substantiale**, et tunc est aperiendum; **B**) vel est **accidentale**, et iterum *distinguo* : **a**) vel est **damnosum**, et est aperiendum; **b**) vel **non damnosum**, et non est aperiendum, modo diminuatur pretium pro qualitate vitii. Excipe : si venditor sit *interrogatus;* quo casu, tenetur quodcumque vitium notabile, quantumvis *occultum*, manifestare, etiamsi illud mercem nec nocivam, nec prorsus inutilem redderet emptori : secus enim committeret dolum, qui si fuerit *antecedens*, ita ut, cognito vitio, emptor non emisset, contractus rescindibilis est. Si vero dolus fuerit *incidens* tantum, ita ut emptor, vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor. Cfr. S. Thom. (2. 2. q. 77, a. 2 seq).

Ex jure civili (a. 1641 seqq.) quotiescumque res habet vitium occultum quod illam reddit ineptam ad usum ad quem destinatur, vel hunc usum minuit in tantum ut vel empta non fuisset, vel nonnisi minori pretio, datur emptori *actio redhibitoria* vel *actio quanti minoris*, i. e. datur optio inter rescissionem et indemnitatem (a. 1644). Quae legis dispositio obtinet etiam quando venditor vitia rei ignorasset. Attamen in venditione animalium domesticorum, ut equorum, asinorum, ovium jam in Belgio nulla vitia admittuntur ut *redhibitoria*, nisi quae designavit Edictum regium 3 Sept 1885 (ex lege 25 Aug. 1885).

Q. 85. *Quid* 1°) sit PRETIUM JUSTUM et 2°) *quotuplex?*

R. Ad 1^{um}) PRETIUM JUSTUM dicitur, quod *adaequatur valori rei venalis.*

R. Ad 2^{um}) Est *triplex* : 1°) *legale* seu legitimum; 2°) *vulgare* seu naturale; 3°) *conventionale.*

Explanatur. Primum seu **legale** est, quod publica auctoritate taxatum est, v. g. in pane, in sale, et consistit in indivisibili, ita ut *per se* non possit minui nec augeri. Excipe *per accidens* : **A**) si a majori parte non servetur, principe sciente et tacente; **B**) si mutatis circumstantiis, evadat injustum; **C**) si merces sint notabiliter pretiosiores solito vel deteriores; **D**) si taxa lata sit in gratiam emptorum, qui ideo, si minus dent, non tenentur superaddere.

Secundum seu **vulgare** est, quod communi hominum aestimatione, consideratis rerum circumstantiis, constituitur. Et quoniam varii homines varie de iisdem rebus judicent, pretium vulgare non

consistit in indivisibili, sed quamdam habet latitudinem, intra quam res in iisdem etiam circumstantiis potest pluris vel minoris vendi sine injustitia. Hinc communiter **triplex** distinguitur : **A**) *summum*, supra quod, **B**) *infimum*, infra quod res aestimari non solet; **C**) *medium*, quod inter utrumque interponitur. In rebus autem *necessariis* et frequentioris venditionis, pretium *infimum* parum distat a *supremo;* v. g. si *infimum* sit 9, *medium* erit 10, et *supremum* 11. In rebus *superfluis* major est latitudo; et in rebus *raris* et *pretiosis* adhuc major est distantia. Ceterum, *vulgare* pretium variis ex causis augeri vel minui potest.

Tertium seu **conventionale** est, quod non ex vulgari opinione, sed ex judicio et voluntate *privatorum* definitur, sive quia non exsistit circa rem venditam aestimatio communis satis constans, ut si agatur de rebus, quae dicuntur rarae, peregrinae et voluptuosae, ut gemmae quaedam, picturae aut statuae antiquae, libri rari et curiosi, certi canes, aves transitoriae, etc. ; sive quia contrahentes ab illa recedere volunt propter peculiarem quamdam rationem.

Q. 86. Ex quibusnam CAUSIS *variari* possit pretium *vulgare* citra injustitiam?

R. Variari, i. e. *augeri* vel *minui* potest variis ex CAUSIS.

Explanatur. 1°) *Ex parte* **mercium,** propter *abundantiam*, quae minuit, et *penuriam*, quae auget mercium valorem. **2°**) *Ex parte* **mentium,** qui si *frequentes* sint, carius venduntur merces, quam si sint *rari :* quia frequentia emptorum inducit penuriam mercium. Imo, usu satis receptum, nec improbabile est, res posse etiam carius vendi ob *specialem affectum* vel commoditatem emptoris : quia venditor emptori illud commodum procurat, et sic justum est, ut cum emptore dividat, pretium rei adaugendo. Communior tamen opinio id negat cum S. THOM. (2. 2. q. 77, a. 1) : « *Quia,* ait, *utilitas quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione mentis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum.* » **3°**) *Ex parte* **vendentium** : nam carius possunt vendere, qui *ex officio* vendunt, quam qui *per accidens.* Sicut etiam *expensae, pericula* et *damna* venditorum *communiter* occurrentia, necnon *singularis affectio* et commoditas, quam habet venditor in re vendita, pretium illud augent, dum venditor in gratiam emptoris se illa privat. Dixi : *communiter ;* nam ex eo, quod unus mercator

singulare damnum patiatur in suis mercibus, v. g. naufragio, incendio, non ideo juste pro ipso augetur pretium. 4°) *Ex parte* **modi vendendi.** Nam carius venduntur : **A**) quae emuntur *minutim*, quam quae *simul* in magna quantitate; **B**) carius, quae quaeruntur *in officina* mercatoris, quam quae a venditore *ultronee* offeruntur; **C**) carius, quae venduntur *in propria officina*, quam quae *sub hasta* seu foro scrutario; **D**) carius, quae venduntur *credito* seu solutione dilata, quam quae pro solutione praesenti vel anticipata : quia carentia pretii, quo tempore differtur solutio, onus est pretio aestimabile. 5°) *Ex parte* **temporis**; et sic carius poterit vendi, si pretium tradendum sit tempere quo res ipsa pluris est valitura, si a venditore ad illud usque servanda fuisset; sicut vilius poterit emi, si tradenda sit tempore quo minoris valebit.

Q. 87. An liceat *minoris* emere CHIROGRAPHA et CREDITA, ob *anticipatam solutionem?*

R. *Affirm.*, etiamsi appareant *liquida*, i. e. certae et facilis solutionis ex parte debitoris, cum vix sint adeo certa, ut absit omne periculum sortis, damni emergentis, sumptuum aut molestiarum. Quod verum est, etsi eadem ob singularem circumstantiam essent facilia ementi : quia eorum valor pendet ex *communi* aestimatione, licet huic vel illi aliter contingat.

Q. 88. Utrum et quatenus *peccent*, qui non stant *justo pretio?*

R. 1°) Si detur pretium *legale*, illud servandum est, ita ut *per se* non possit minui nec augeri citra injustitiam (pag. 237). 2°) Si non detur *legale*, tunc servandum est *vulgare*, quod crescit vel decrescit juxta dicta, et non potest citra injustitiam vendi supra *summum*, nec emi infra *infimum*, posita tamen aliqua latitudine. 3°) Si agatur de rebus, quae non habent pretium determinatum, nec legale, nec vulgare, potest venditor tanti illas vendere, quanti voluerit et potuerit, modo emptor sciens et volens consenserit dare id quod dedit.

Q. 89. An possint vendi *pretio currente* res *mixtae* cum alia viliori?

R. Negative *per se*. Excipitur *per accidens :* 1°) Si admixtio alienae substantiae sit *modica*, fiatque ob *necessitatem*, *utilitatem* vel *communem consuetudinem*. 2°) Si merx pro-

portione pretii sit adhuc satis idonea ad usum consuetum vel ab emptore intentum. 3°) Quando merx est bonitatis extraordinariae et excedentis alias communiter taxatas. 4°) Si merx, secundum se deterior, ita per industriam admisceatur, ut res melius temperetur. 5°) Si ob pretium injuste taxatum, aut nimias exactiones, aut iniquitatem ementium venditor non potest justum habere pretium rei, sed cogitur justo minoris vendere; tunc enim poterit usque ad aequalitatem justi pretii merci aliquid vilioris materiae admiscere aut in mensura diminuere. Cfr. SPOR. n. 77 seqq.

Q. 90. *Quid* dicendum de illis, qui *mendaciis* et *perjuriis* alios inducunt, ut *carius* emant, intra latitudinem tamen *justi pretii?*

R. Quoniam, *regulariter* loquendo, fides non adhibetur mercatorum dictis, quippe quae communiter habeantur ut quaedam stratagemata ad emptores facilius alliciendos; hinc, nisi *certo constet*, emptorem mendaciis venditoris revera credidisse, et ideo majoris emisse intra limites justi pretii, aliosque mercatores deseruisse, venditor, qui illis utitur, peccat quidem saltem venialiter mentiendo et graviter perjurando; sed non tenetur ideo restituere. Cfr. BILL.

Q. 91. An ille, qui novit *scientia privata* mercium pretium brevi vel *minuendum* vel *augendum*, vendere aut emere possit *pretio nunc currente*?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Pretium *minuendum* aut *augendum* est : vel **1°**) ob causam rei **intrinsecam**; vel **2°**) ob causam **extrinsecam.**—Si **Primum**, v. g. si quis sciat suum equum moriturum ex morbo occulto, aut vinum corrumpendum, *non licet.*—Si **Secundum,** v. g. quia praevidetur magna mercium copia aut inopia, vel alius eventus, ex quo minuatur aut augeatur pretium, hoc *licitum est*, modo absit omnis vis aut fraus, ita saltem ut non peccetur contra justitiam. Ita docet S. THOMAS (2. 2. q. 77, a. 3, ad 4) : « *Venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat.* » Et patet exemplo Joseph in Aegypto.— Dixi : *contra justitiam ;* quia peccari potest *contra charitatem*, quod tamen *regulariter* non fit,

quia venditor seu emptor utitur jure suo, etsi per accidens alteri damnum obveniat. Excipe : **A**) si emens magnam quantitatem reduceretur ad gravem necessitatem ; **B**) si venditor posset mercem vendere pluribus et vendat uni, vel cum posset vendere alicui, qui statim iterum venderet rem consumpturis, venderet alteri rem servaturo usque ad tempus diminutionis pretii.—Dixi praeterea : *modo absint vis vel fraus*. Si enim tantum uteretur *blanditiis*, probabilius est, non peccari contra justitiam, quia preces libertatem relinquunt.

Q. 92. *Quid* 1°) sit EVICTIO, et 2°) utrum de ea teneatur *venditor?*

R. Ad 1^{um}) EVICTIO est *deturbatio juridica emptoris a possessione rei quam emit*, quoad totum vel quoad partem.

R. Ad 2^{um}) De EVICTIONE tenetur venditor, *generatim* loquendo (a. 1626). Excipe : A) quando bona fide pactum iniit de non praestanda evictione. Dico : *bona fide ;* nam secus dicendum, si fuerit malae fidei. Hinc v. g. si vendo tibi domum, quam jam vendidi Petro, et stipulor quod non tenear ad te assecurandum in casu EVICTIONIS, haec stipulatio, utpote fraudulenta, nulla est (a. 1628). B) Quando emptor, sciens rem esse litigiosam vel periculo obnoxiam, emit se subjiciendo illius periculo (a. 1629). C) Quando emptor turbatus coram judice, venditorem non vocaverit, et iste probet se potuisse rationes opponere EVICTIONI (a. 1640).

Q. 93. Quid *in conscientia* debeat *restituere* venditor, qui de *evictione* tenetur?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur de EVICTIONE : vel 1°) **totali,** vel 2°) **partiali.** — Si **primum,** *subdistinguo :* **A**) vel fuit *malae fidei*, et tunc restituere debet emptori : **a**) rei pretium ; **b**) omne damnum quod patitur emptor, v. g. sumptus initi contractus, fructus, quos emptor domino rei forte restituit, etc. **B**) Vel fuit *bonae* aut *dubiae fidei*, et tunc restituere debet : **a**) pretium post sententiam judicis; **b**) etiam ante sententiam judicis, in casu quo certo sibi constaret, rem pertinere ad tertium. Attamen ante sententiam judicis non

tenetur facile fidem praebere iis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat. — Si **secundum**, iterum *distinguendum* est et videndum, an pars, de qua evincitur emptor, talis sit, ut absque ea rem emere voluisset, vel noluisset. Si *noluisset*, potest contractus rescissionem obtinere (a. 1636), et eadem jura habet, de quibus modo diximus. Si *voluisset*, i. e. si nihilominus rem emisset, potest hujus partis pretium exigere secundum aestimationem valoris tempore EVICTIONIS (a. 1637). Quae autem statuuntur de EVICTIONE *partiali* applicantur casui quo fundus venditus gravetur servitutibus non apparentibus, quae non fuerunt declaratae.

Q. 94. An *confundi* debeat VENDITIO cum venditionis PROMISSIONE?

R. *Negative*. Licet enim codex civilis asserat (a. 1589) PROMISSIONEM venditionis ipsi VENDITIONI aequiparari, ubi adest consensus circa rem et pretium : « *la promesse de vente vaut titre;* » in hoc tamen differunt, quod per venditionem emptor, *regulariter* loquendo (pag. 235), statim fiat rei dominus, ita ut si res pereat, ipsi pereat; dum post venditionis promissionem, promittens manet rei dominus, ita ut ipsi perire debeat.

Q. 95. *Quid* 1°) sit PERMUTATIO et 2°) *quid* de ea dicendum?

R. Ad 1^{um}) PERMUTATIO *(échange)* est contractus, quo contrahentes rem aliquam sibi invicem dant ad aliam habendam (a. 1702).

Explanatur. Dicitur : **rem aliquam**, i. e. diversam a pecunia; et in hoc differt PERMUTATIO a VENDITIONE : in hac enim datur pecunia pro merce; in illa vero merx pro merce. Hinc, quando rerum inaequalitas compensatur per summam pecuniae, quae dicitur *soulte, retour*, ibi agnoscenda erit VENDITIO vel PERMUTATIO, prout pretium, ab uno solvendum, erit majoris vel minoris momenti quam res ab altero tradenda; vel reputabitur VENDITIO quoad pretium ab uno debitum, PERMUTATIO vero quoad reliquum.

R. Ad 2^{um}) PERMUTATIO iisdem legibus regitur, quibus venditio, nisi aliud per legem statuatur (a. 1707).

CAP. II. De venditione in specie : 1° de retrovenditione et mohatra ; 2° de venditione sub hasta ; 3° de monopolio ; 4° de venditione per proxenetas.

Q. 96. *Quid* 1°) sit RETROVENDITIO, et 2°) utrum sit *licita?*

R. Ad 1^{um}) RETROVENDITIO seu venditio cum pacto redimendi *(vente de rachat, de réméré)*, est venditio in qua venditor sibi reservat facultatem intra aliquod tempus rem recuperandi, restituendo pretium, solvendo sumptus et resarciendo damna secuta. Vocatur etiam *retractus conventionalis*. Et quidem ex *jure gallico* requiritur, ut tempus ad resiliendum contractum non extendatur ultra quinquennium (a. 1660). Est igitur venditio sub conditione *resolutoria* ; unde, adveniente conditione, non fit novus venditionis contractus, sed prima venditio annihilatur, atque omnia in integrum restituuntur, perinde ac venditio non intercesserit (a. 1183).

R. Ad 2^{um}) RETROVENDITIO *per se* est *licita*, si nimirum inter venditorem et emptorem debita servetur aequalitas; imo, in V. L. (LEV. XXV, 29 seq.), in quibusdam casibus Judaeis fuit imposita.

Explanatur. Ut autem servetur **aequalitas,** requiritur : **1°**) Ut pretium venditionis, habita ratione gravaminis quod emptori imponitur, diminuatur ad arbitrium boni viri. **2°**) Ut res vendita non retrahatur, nisi restituto prius pretio, contractus expensis, et quidquid praeterea emptor in rem impendit necessario vel utiliter (a. 1673). **3°**) Ut venditor rem suam recuperet a quovis onere per emptorem imposito liberam; excipe locationem, quam sustinere debet, si in venditoris fraudem inita non fuerit ab emptore, (*art. cit.*)

Q. 97. *Quid* 1°) sit contractus MOHATRA, et 2°) an sit *licitus?*

R. Ad 1^{um}) Contractus MOHATRA, sic dictus ab Hispanis, est species retroventionis, seu contractus quo mercator vendit merces suas summo pretio et credita pecunia (*à crédit*), ea lege, ut eas statim ipse infimo pretio, numerata pecunia, redimat. Uti, si Titius indigens 90 nummis, petit illos mutuo a Cajo mercatore; hic, quia lucrari cupit, denegat mutuum; sed

offert Titio tot frumenti mensuras, quas ipsi vendit summo pretio credito convento, nempe 100 nummis; addito pacto, ut Titius emptor ipsi Cajo venditori, numerata pecunia, illico revendat infimo pretio, v. g. 90 nummis, quibus de facto indiget Titius.

R. Ad 2^{um}) Contractus MOHATRA usuram palliatam includit; unde ipsi applicanda sunt quae de usura dicta fuerunt. INNOC. XI damnavit sequentem propositionem sub n. 40 : « *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retroventionis praevie inito, cum intentione lucri.* » Interim *certo* non esset damnandus, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excederet.

Q. 98. *Quid* 1°) sit VENDITIO SUB HASTA seu per licitationem, et 2°) quomodo in illa *violari* possit *justitia?*

R. Ad 1^{um}) VENDITIO SUB HASTA (*aux enchères*) ea est, qua res venales publice expositae per praeconem proclamantur, ita ut cuivis liberum sit augere pretium, et res majus offerenti, post tempus datum, adjudicetur. De ea agit *Cod. civ.* (aa. 826-7 1686-7-8, 2204-2218); *Cod. jud.* (aa. 673-7, 945-85).

R. Ad 2^{um}) Justitia violari potest ex *triplici* capite.

Explanatur. Violatur justitia : **1°**) Ex parte **venditoris,** si rem unam exponat, et tradat alteram minoris pretii. An autem possit rem suam *retrahere*, incoepta licitatione, si minus pretium offeratur, aut *mittere fictos licitatores*, ut pretium rei crescat, *distinguendum est :* vel **A**) talis usus praevalet; vel **B**) contrarius est. Si *primum* : utrumque licet; si *secundum :* DD. *disputant.* Juxta S. LIG. (III, 808) non licet. Juxta alios, de injuria non constat. Veri enim licitatores semper manent liberi ab emptione se abstinere, nec proprie jus habere videntur tali vel tali pretio emendi. **2°**) Ex parte **emptoris,** si pactum faciat cum aliis ne licitent aut ne plus offerant. Excipe : **A**) Si venditor possit rem suam retrahere, quando pretium inferius ei offertur : tunc enim conqueri non potest. **B**) Si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti, ut fratres, amici, etc. : quia faciunt unam personam moralem. **C**) Si emptor simpliciter *roget* alios, ne licitent : quia libertas licitandi non tollitur. **3°**) Ex parte **praeconis,** si uni e licitantibus plus

quam ceteris faveat, vel aliquid faciat in detrimentum venditoris, v. g. citius rem adjudicando vel tempore inopportuno auctionem instituendo.

Q. 99. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit MONOPOLIUM et 3°) utrum sit *licitum?*

R. Ad 1um) MONOPOLIUM, quod idem sonat ac *singularis negotiatio*, est potestas vendendi certas res, penes unum vel paucos tantum venditores exsistens.

R. Ad 2um) *Duplex* distinguitur.

Explanatur. Est aliud **legale**, quod est a Principe concessum sive quia gubernium sibi mercis alicujus fabricationem et venditionem reservat, sive quia simile privilegium exclusive uni vel paucis civibus concedit; aliud **privatum**, quod privata auctoritate inducitur, hisce sequentibus modis : A) Quando unus vel plures emunt omnes merces, ut illas carius vendant. B) Quando conspirant de non emendo vel vendendo, nisi tali pretio. Huc reducitur, quando domini inter se conveniunt de non conducendo opifices, et vice versa opifices de non praestanda opera, nisi tali pretio *(coalitions de maîtres, d'ouvriers, grèves)*. C) Quando impediunt, ne aliae merces advehantur, ut ipsi vendant merces suas majori pretio.

R. Ad 3um) *Legale* est licitum, modo fiat cum justo pretio, et rationabili de causa concedatur, puta : A) quia sunt quaedam merces, ad quas conficiendas requiruntur magni sumptus, quos sine tali privilegio nemo facile suscipiet; B) in remunerationem *(brevet)* inventoribus aut perfectoribus alicujus artis; vel C) per modum tributi, ad comparandas pecunias, quibus gubernium indiget, prout est v. g. monopolium circa tabacum in Gallia. Ut vero sciatur, quandonam *privatum* sit licitum vel illicitum, *distinguendum est.*

Explanatur. A) Quando fit **Primo modo,** peccatur contra charitatem et justitiam, si vendant *ultra supremum* pretium, i. e. supra summum quod fuisset, si monopolium non fecissent : nam causa sunt, cur pretium injuste augeatur. Si tantum supremo pretio vendant, probabile est, non peccari tunc contra justitiam,

quia quisque venditor jus habet exigendi summum pretium; imo nec contra charitatem, modo alios non inducant ad carius vendendum, quia utuntur jure suo : nemo enim proprium commodum seu lucrum justum negligere tenetur, ut evitet damnum alienum, si hoc avertere non obligetur. **B**) Quando fit **Secundo modo,** semper peccatur contra charitatem : quia licet te non obliget ad vendendum infra pretium summum, te tamen obligat ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant; sicut, licet charitate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen dissuadere aliis qui eam elargiri volunt. Imo, si pretium esset *ultra summum*, peccaretur insuper contra justitiam. **C**) Quando fit **Tertio modo,** tunc, si impediant *malis artibus*, v. g. vi, dolo, mendaciis, peccatur non tantum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, quia incolae habent jus strictum, ne vi aut dolo impediatur eorum commodum licitum. Si vero impediant *bonis artibus*, v. g. precibus, est licitum, modo pretium non sit ultra summum.

Q. 100. *Quid* dicendum de *emptione-venditione* per PROXENETAS?

R. PROXENETA seu FACTOR (*courtier, commissionnaire, entremetteur*) is est, cui aliquid committitur vendendum aut emendum, nomine committentis. Porro, si rem vendat supra, aut emat infra pretium a committente designatum, non potest *regulariter* loquendo, excessum aut residuum sibi retinere. Vel enim mercede conductus est, qua stipulata debet esse contentus; vel est famulus sui principalis, et tenetur ad obsequia ratione annui stipendii; vel gratis in se suscepit commissionem, ut amicus pro amico, et sic mercedi renuntiavit.

Explanatur. Dixi : **regulariter**. Nam excipe : **1°**) Si dominus expresse consentiat, aut etiam tantum implicite, ut si noscat id fieri et tamen taceat. **2°**) Si PROXENETA extraordinariam ac indebitam adhibuerit diligentium; quo casu jus habet ad pretium illius indebiti laboris. **3°**) Si, adhibita communi diligentia, et pretio majori non invento, rem sibi emat et postea suo tempore vendat pluris : quia tunc venderet rem propriam. Caveantur tamen fraus et illusio. Praeterea in foro **externo** id prohibetur (a. 1596) :

A) *tutoribus* circa bona pupillorum suorum; **B**) *mandatariis* pro bonis quae ex mandato vendere debent; **C**) *administratoribus* bonorum communium vel instituti publici; **D**) *officialibus publicis* quorum ministerio venduntur bona nationalia. 4°) Si mercatores de justo pretio aliquid remittant in gratiam PROXENETAE eique donent; modo non ideo vendant pretio cariori quam solent aliis, aut merces viliores, nec emptor ideo det plus. Sic, professor musicae, ab alio rogatus, ut emat instrumentum valoris 1,000 fr., quod tamen ipse emit pretio remisso 900 fr. *(prix d'artiste)*, sibi retinere potest 100. Sic sartores licite retinere possunt pretii imminutionem gratis a vendente sibi datam. Sic quoque famuli, ancillae, accipere ac retinere possunt munuscula gratis eis data.

CAP. III. De contractu societatis, trino contractu et locatione.

Q. 101. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit contractus SOCIETATIS?

R. Ad 1^{um}) SOCIETAS est conventio duorum vel plurium aliquid in communi conferentium ad lucrum inde percipiendum (a. 1832).

R. Ad 2^{um}) Est *duplex* : UNIVERSALIS et PARTICULARIS.

Explanatur. Prior seu **universalis** est societas : vel *omnium bonorum praesentium*, scilicet, mobilium et immobilium ad socios actualiter pertinentium, necnon omnium lucrorum ex illis percipiendorum ; vel solum *omnium lucrorum* per industriam sociorum comparandorum. Posterior seu **particularis** ea est, quae *certas res determinatas*, vel earum *usum*, vel earum *fructus*, vel aliquam *negotiationem* aut *artem* complectitur. Haec iterum *duplex* est : alia COMMERCIALIS, quae initur ad exercendum commercium; alia CIVILIS, quae non spectat nisi aliquam specialem operationem vel negotiationem. De societatibus COMMERCIALIBUS agit codex *commercii*, ubi ex a. 2 legis 18 Maii 1873 distinguuntur *quinque* species hujusmodi societatum, scilicet : 1°) Societas *en nom collectif ;* 2°) societas *en commandite simple ;* 3°) societas *anonyme*; 4°) societas *en commandite par actions ;* 5°) societas *en participation*, seu *coopérative*. Vide etiam legem 22 Maii 1886.

Q. 102. An contractus SOCIETATIS sit *licitus?*

R. *Affirm.*, certis tamen conditionibus servatis.

Explanatur. Hujusmodi conditiones **Sex** numerantur : **1°**) Ut fundetur in negotiatione *licita;* alias *ante* factam negotiationem est nullus; *post* vero, lucrum est dividendum. **2°**) Ut quilibet ex sociis conferat aliquid fructiferum, sortem scilicet vel laborem. **3°**) Ut, si res pereat casu fortuito, pereat societati, quando ejus dominium fuit societati collatum. **4°**) Ut servetur aequalitas in lucro et damno juxta proportionem rei et industriae, ita ut qui plus ponit sortis vel industriae, plus habeat de lucro, et qui plus accipit lucri, plus sentiat damnum. Quare stipulationes, quibus unus-e sociis omnino excluderetur a lucro vel eximeretur a damno, a lege prohibentur (a. 1855) et vocantur *leoninae*, ab apologo leonis, qui pactum inierat cum ceteris feris, ut ipse participaret praedis omnibus, non tamen labori et industriae. **5°**) Ut fides et justa pacta inter socios serventur. **6°**) Ut, dissoluta societate, unicuique socio reddatur res a se collata, si fruitionem tantum concesserit, vel partem fundi socialis proportionatam valori, quem ad societatem attulit. Causae autem dissolutionis indicantur (a. 1865).

Q. 103. *Quid* 1°) sit TRINUS CONTRACTUS et 2°) an sit *licitus?*

R. Ad 1^{um}) TRINUS CONTRACTUS est ille, in quo habetur simul contractus *societatis*, contractus *assecurationis sortis* et contractus *assecurationis lucri*. Sic v. g. Titius init contractum societatis cum Cajo, et apud eum pro sorte deponit 100 aureos, unde, sperat lucrari triginta; sed ut evadat periculum sortis, alium init contractum, quo, remissis decem, assecurat sortem pro viginti; rursus lucrum assecurat, remittendo alios octo, ita ut tribus contractibus certo sibi assecuret aureos 112.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel initur cum **diversis** personis, vel cum **eadem.** Si **Primum** : certo est licitus. Si **Secundum** : *disputant* DD.; sed etiam tunc CONTRACTUM TRINUM esse *licitum*, tenet sententia *communior*, dummodo spes lucri non excedat aestimationem prudentem, alterique socio tam periculum sortis in se susceptum quam labores et molestiae impendendae aeque compen-

sentur; unde ille non potest tantum lucri exigere, quantum percipit alter. Ratio : quia, his conditionibus servatis, nil apparet injustitiae, nec hic intervenit mutuum, cum dominium pecuniae collatae remaneat penes conferentem.

Q. 104. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit LOCATIO-CONDUCTIO?

R. Ad 1um) LOCATIO *in genere* est contractus onerosus, quo usus rei vel opera personae, pro certo pretio, ad tempus, ab uno conceditur et ab altero accipitur. Qui concedit, i. e. qui rem tradit aut opus facit, dicitur LOCATOR (*le bailleur, le locateur*); qui accipit, i. e. qui pro re accepta aut opere faciendo pactum pretium spondet, appellatur CONDUCTOR (*le locataire, le preneur*).

R. Ad 2um) *Duplex*, ut patet, distinguitur (a. 1708) : LOCATIO RERUM (*louage des choses*), cujus definitio traditur (a. 1709); — LOCATIO OPERARUM (*louage d'ouvrage et d'industrie*), cujus definitio occurrit (a. 1710).

Explanatur. LOCATIONIS **rerum** *species* sunt : A) locatio aedium et bonorum mobilium (*bail à loyer*); B) locatio bonorum ruralium (*bail à ferme*); C) locatio animalium (*bail à cheptel*) (a. 1711). — LOCATIONIS **operarum** seu **industriae** *species* sunt : A) locatio operariorum et famulorum (*des gens de travail*); B) locatio vectorum (*des voituriers*), qui se obligant ad res vel personas transferendas (*tant par terre que par eau*); C) locatio eorum qui aliquod opus exsequendum suscipiunt (*entrepreneurs d'ouvrage par suite de devis ou marchés*) (a. 1779). — De LOCATIONE **rerum** agit *cod. civ.* (aa. 1713 ad 1778; et quidem speciatim pro locatione *animalium* aa. 1800 ad 1831); et de LOCATIONE **operarum** et **industriae** (aa. 1779 ad 1799). — Quod vero in LOCATIONE rerum **formam** attinet, sicut VENDITIO, ita et LOCATIO solo partium consensu perficitur nullamque *formam* specialem exigit. Fieri igitur potest non tantum per scripturam privatam, sed et meris verbis. Sed, si solis verbis fiat, probatio per testes non admittitur in jure *gallico*, nisi exsecutio jam incoepta fuerit; sed deferri potest juramentum ei, qui LOCATIONEM negat (a. 1715).

Q. 105. Dic : 1°) *Quaenam* sint in LOCATIONE **rerum** *obligationes* LOCATORIS; 2°) quaenam vero CONDUCTORIS?

R. Ad 1^{um}) LOCATOR tenetur : A) Aperire vitia rei locatae occulta et noxia ; alias tenetur ad interesse damni emergentis et lucri cessantis, nisi bona fide processerit ; v. g. elocas equum ad transportandas merces, quem scis solere insessorem vel onus impositum excutere aut se aquis immergere, teneris de damno. Dixi : *nisi bona fide* etc. ; tunc enim tenetur tantum reddere pretium elocationis, si alter re locata utiliter uti non potuerit (SASS.). — B) Rem elocare justo pretio, quod desumi debet ex praxi in tali loco servata a timoratis. — C) Servare conductorem in re locata usque ad statutum tempus. Hinc si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus. — D) Facere expensas ad rei locatae conservationem necessarias. Quas reparationes necessarias, etiam invito conductore, facere potest, absque compensatione damni inde emergentis (a. 1724). At formam rei locatae absque consensu locatarii mutare nequit (a. 1723). — De obligationibus **locatorum** agit *cod. cir.* (aa. 1719-1728).

R. Ad 2^{um}) CONDUCTOR tenetur : A) Re locata frui tanquam bonus paterfamilias, et quidem ad eum usum ad quem fuit destinata (a. 1728). Si aliter re uteretur contra voluntatem domini, talis usus locum daret rescissioni (a. 1729). — B) Pretium solvere statuto tempore (a. 1728) ; et si nullum statutum fuerit, juxta regionis consuetudinem. — C) Ea omnia praestare, quae pactis conventis comprehensa fuerint. — D) Si domus locata incendio perierit, locatarius de damno tenetur in foro *externo*, nisi probet illud accedisse citra suam culpam (a. 1733 seq.). In foro autem *conscientiae* locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla ejus culpa etiam juridica domus fuerit destructa ; imo probabiliter ad nihil tenetur, saltem *ante* sententiam judicis, etiamsi ex sola ejus culpa mere juridica domus perierit. — E) « De jure naturae jactura sterilitatis per se spectat ad conductorem ; ob aequitatem tamen juris introductum est, si ingens sit damnum, ut aliquid remittatur, nisi sterilitas compensetur cum ubertate aliorum annorum. » Ita S. LIG. (lib. III, 860). Excipe pariter tum si specialiter conventum sit, ut conductor omne periculum in se susceperit ex

sterilitate oriundum, tum si fructus jam fuissent collecti, et postea perierint, v. g. in horreo per incendium; tunc enim perirent conductori, utpote qui jam dominus illorum effectus est.—Quantum vero de pensione remittendum sit, definiendum est : vel ex jure patrio, et ita in jure *gallico* de praesenti casu tractatur (aa. 1769 et 1770), — vel consuetudine locorum. — De obligationibus CONDUCTORUM agit *cod. civ.* (aa. 1728 seqq.)

Q. 106. *Quaenam* sint in LOCATIONE **operarum** *obligationes* 1°) LOCATORUM ; — 2°) CONDUCTORUM ?

Praenotandum. Ante responsionem, juvat in hac quaestione, quam oeconomistae et politici hujus aetatis tractant sub titulo «**La question sociale** » — ex *Encyclica* LEONIS XIII « *Rerum novarum* » et ex *Documento Romano* quod integre attulimus (tom. I, pagg. 145-147) sequentia adnotare : tum de **pactione quoad operas**, tum de **justo pretio solvendo**.

1°) « *In omni obligatione, quae* DOMINIS *atque* ARTIFICIBUS *invicem contrahatur, haec semper aut* ADSCRIPTA *aut* TACITA *conditio inest, utrique generi* QUIESCENDI *ut cautum sit;* » videlicet : ad vacandum officiis « *quae vel* DEO, *vel* SIBIMETIPSI *hominem obstringunt.* » Secus enim contractus non esset *honestus.* (Encycl.).

2°) « *Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc jus reperiendarum rerum quibus vita sustentatur, necessario nascitur : quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat.* » (Encycl.).

3°) « *Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum consentiant, subest tamen semper aliquid ex justitia naturali idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet* ALENDO OPIFICI, FRUGI QUIDEM ET BENE MORATO, HAUD IMPAREM ESSE MERCEDEM OPORTERE. » Dicitur : *frugi quidem et* BENE MORATO ; « *Mores enim christiani.... contenti cultu victuque frugi, vectigal parcimonia supplent.* » (Encycl.).

4°) «*Quod si necessitate opifex coactus aut mali pejoris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui justitia reclamet.* » (Encycl.).

5°) « *Sicut pretium rerum venalium non est punctualiter determinatum a lege naturae, sed magis in quadam* COMMUNI AESTIMATIONE

consistit, ita et de mercede generatim est dicendum. Unde firma manente exigentia ex ratione finis, victus nempe ac vestitus convenientis, mercedi operarii ex COMMUNI AESTIMATIONE *fit aut saltem fieri potest, salva justitia,* MODICA ADDITIO VEL MINUTIO, *sicut in mercium pretio modica additio vel diminutio ex publica aestimatione non videtur tollere aequalitatem justitiae.* » (Doc. Rom.).

6°) « *In assignanda aequalitate justitiae inter mercedem et opus manuale, non solum attenditur a communi aestimatione tum* QUALITAS *tum* QUANTITAS *operis, sed etiam* TEMPUS DURATIONIS *ejus; item* PRETIA RERUM *quae emi ab operario debent, ad convenientem convictum et vestitum, quae pretia non sunt* UBIQUE *eadem.* » (Doc. Rom.).

7°) « *Non peccabit contra justitiam commutativam herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi* SUFFICIENTEM, *sed* IMPAREM IPSIUS FAMILIAE ALENDAE. *Ubi enim acqualitas operis et mercedis observatur, plene satisfacit exigentis justitiae commutativae.* » (Doc. Rom.). — Hisce praenotatis :

R. Ad 1^{um}) Obligationes **locatorum** i. e. eorum qui operam praestant, adeoque *opificum*, *famulorum*, etc., ut antea (tom. I, pag. 439) ex Enc. « *Rerum novarum* » jam diximus, sunt : 1°) « *Quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id* INTEGRE *et* FIDELITER reddere. » 2°) « *Non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum.* » 3°) « *Abstinere a vi, nec seditionem induere unquam.* » 4°) « *Nec commisceri cum hominibus flagitiosis* » seu socialistis.

Resolvitur. Opifices in genere injusti sunt : 1°) ante tempus locationis finitum absque justa causa a servitio discedendo ; 2°) negligentia culpabili tempus terendo aut opus vitiose conficiendo ; 3°) materiam viliorem adhibendo ea de qua conventum est ; 4°) opera sua locando injusto pretio ; 5°) alios operarios vi aut metu a labore avertendo ; 6°) res dominorum dilapidando.

R. Ad 2^{um}) Obligationes **conductorum**, i. e. eorum qui pro opere faciendo pactum pretium spondent, sunt sequentes, ut jam antea (tom. I, pag. 441 seq.) latius tradidimus : 1°) Non habere opifices «*mancipiorum loco*» ; 2°) In eis vereri «*dignitatem personae* », adeoque eis non abuti « *ad quaestum* » ;

3°) « *religionis et bonorum animi in eis habere rationem* » adeoque efficere : ut idoneo temporis spatio pietati vacare possint ; non exponantur lenociniis ; non abducantur a cura domestica parcimoniaque. 4°) Eis « *non plus imponere operis* » quam vires ferre queant, nec id genus quod cum aetate sexuque dissideat. 5°) In maximis autem officiis illud eminet « *justa unicuique* praebere. »

Resolvitur. 1. Peccant heri contra justitiam *commutativam*, cujus violatio importat restitutionem, si solvant mercedem opificis sustentationi **insufficientem**, seu, aliis verbis ex Leone XIII, salarium quod **impar** sit alendo opifici frugi quidem et bene morato. — Determinatio autem salarii **sufficientis**, fit ex *aestimatione communi* quae admittit *modicam additionem* aut *diminutionem* et attendit tum qualitatem et quantitatem operis, tum tempus durationis ejus et pretia rerum quae emi ab operario debent ad convenientem victum et vestitum, quae pretia non sunt ubique eadem (pag. 252). — De propositione autem damnata ab Innoc. XI sub n. 37 : « *Famuli ac famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam quam majorem judicant salario quod recipiunt* » jam supra diximus Q. III, pag. 95. — **Resol. 2.** Imo, *per se loquendo*, peccant contra justitiam *commutativam* heri, qui nulla vi aut fraude utentes minus dant salarium quam opera praestita meretur ac honestae sustentationi sufficit, ideo quod plures operarii sese offerunt, qui parvo illo stipendio contenti sunt seu in illud libere consentiunt. Dixi : *per se loquendo* ; per accidens enim possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valent operarios inadaequata mercede contentos. Puta, si herus aut nullum aut omnino insufficiens beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur, imo etiam damnum exinde caperet. Etsi quaestio in casu sit prima facie de justitia, revera tamen est quaestio magis de charitate, qua herus et sibi et aliis providet. (*Doc. Rom.*) — **Resol. 3.** Quamvis herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, *imparem vero ipsius familiae alendae*, non peccet contra justitiam commutativam, poterit tamen quandoque peccare vel contra charitatem, vel contra naturalem honestatem. *Contra charitatem :* ordinem enim charitatis observare tenetur. Qui quidem ordo proximiores facit hero operarios diuturnum opus exercentes in ejus utilitatem,

quam pauperes alios nihil pro ipsò agentes... *Contra honestatem* : scilicet quando herus ex opere operarii magnum beneficium et emolumentum reapse percipit, ex quadam naturali honestate recompensare per supererogationem quodammodo tenetur *(Doc. Rom.)*. — **Resol. 4.** Peccant heri contra justitiam commutativam qui *vi, dolo, aut fenebribus artibus*, scilicet contractibus usurariis *nocent compendiis*, i. e. parcimoniae operariorum *(Encycl)*.

CAP. IV. De Cambio, censu, emphyteusi, et feudo.

Q. 107. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CAMBIUM et 3°) sitne *licitum?*

R. Ad 1um) CAMBIUM *(change)* est contractus, in quo permutatur pecunia cum pecunia, cum lucro illius, qui in gratiam alterius permutat, diciturque *campsor* seu *bancarius*, alius *campsarius*.

R. Ad 2um) CAMBIUM est multiplex.

Explanatur. Est aliud A) **siccum** seu **fictum,** quod habet speciem CAMBII, sed in se est MUTUUM *palliatum ;* v. g Titius a campsore accipit hic 100 aureos ibidem postea solvendos cum pretio CAMBII solito dari pro locis distantibus. Aliud B) **reale** seu **verum,** dum reipsa una pecunia pro alia quoad rem vel locum commutatur estque *duplex* : a) **Manuale,** quando in eodem loco quasi de manu ad manum permutatur pecunia diversi generis, v. g. aurea cum argentea. b) **Locale,** seu per litteras, quando permutatur pecunia praesens cum absente, ut si des hic Titio pecuniam, et Titius tradat tibi litteras CAMBII, quarum ope eamdem summam accipias Lutetiae. Quod duplici praesertim modo fieri potest : vel enim pecunia solvenda est ab eo qui eam accepit, et tunc dicitur cambium personale scriptumque ordinarie vocatur *billet à ordre* seu *à domicile ;* vel solvenda est pecunia a tertio, et scriptum dicitur *lettre de change*.

R. Ad 3um) CAMBIUM *reale* est licitum per se : i. e. modo servetur aequalitas aut lucrum non excedat justum pretium determinatum a lege vel consuetudine locorum. *Siccum* vero cum sit mutuum, ipsi applicanda sunt quae de MUTUO et USURA fuerunt tradita, pag. 224 seqq.

Q. 108. *Quid* 1°) sit contractus CENSUS seu CENSUALIS et 2°) *quotuplici* modo institui possit?

R. Ad 1^{um}) CENSUS (*rente*) est contractus, *quo constituitur jus percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius frugifera.* Qui habet jus percipiendi pensionem, dicitur *censualista*, *censitor*, *creditor*; qui habet obligationem solvendi eam, dicitur *censuarius*, *debitor*. Ipsa autem pensio dicitur *canon*, *reditus* vel *redditus*, quia ipsa quotannis redit et redditur. Et potest esse tam pecuniaria, quam fructifera, prout vel in pecunia vel in fructibus sit solvenda.

R. Ad 2^{um}) *Duplici* modo institui potest : A) titulo *oneroso*, per EMPTIONEM-VENDITIONEM ; B) titulo *gratuito*, per DONATIONEM vel TESTAMENTUM.

Q. 109. *Quotuplex* sit CENSUS?

R. *Multiplex* distinguitur.

Explanatur. 1°) Alius est **reservativus** *(rente foncière)* quo quis, sive donando, sive vendendo, transfert in alterum suae rei dominium directum et utile, sibi ex ea reservando jus annuae pensionis; alius est **consignativus** *(rente constituée)*, quo quis, retento rei et personae suae dominio, consignat vel vendit alteri jus similis pensionis. Hic autem dividitur : A) in **realem,** qui constituitur super re frugifera, v. g. domo, praedio, ita ut rem comitetur ad quemcumque possessorem devenerit, et pereat seu exstinguatur, si res ipsa sine culpa censuarii pereat ; B) in **personalem,** qui constituitur super persona, quae seipsam obligat ad annuam pensionem ex arte sua vel labore praestandam ; C) in **mixtum,** qui constituitur super utroque, re et persona, ita ut, quamvis res pereat, non pereat census, sed persona debeat solvere ex aliis bonis vel ex industria sua.

2°) CENSUS, tam **reservativus** quam **consignativus,** alius est : **redimibilis**, alius **irredimibilis,** prout potest vel non potest redimi ad nutum alterutrius vel utriusque ; item alius est : **perpetuus**, vel **temporalis**, vel **vitalitius**, prout constituitur, vel in perpetuum, vel ad certum tempus determinatum, v. g. ad 20 annos, vel ad vitam hominis. Ex jure **gallico** omnis CENSUS *perpetuus* est essentia sua *redimibilis*, ita ut debitor, cum voluerit, se liberare queat, totam creditori sortem restituendo. Sed creditori

licet stipulari CENSUM non esse redimendum, nisi post 10 annos, si tradatur pecunia (a. 1911); vel nisi post 30 annos, si tradatur res immobilis (a. 530). Ipse tamen non poterit sortem exigere nisi in triplici casu, nempe : A) si per duos annos debitor pensionem non solvat; vel B) si assecurationem in contractu promissam non praestat; vel C) si foro cesserit *(s'il est tombé en déconfiture)* (a. 1912 seq.). CENSUS vero *vitalitius* est *irredimibilis;* tum ex parte creditoris, si debitor fuerit in mora solvendi; tum ex parte debitoris, si forte is plus aequo eo onerari coeperit (a. 1978 seq.); nisi forte convenerit, ut sors in priori casu repeti, in posteriori restitui possit. Ast creditor contractus rescissionem petere potest, si debitor non praestet assecurationem promissam (a. 1977), et agere, ut bona debitoris vendantur, si pensionis solutionem omiserit (a. 1978).

Q. 110. An omnis CENSUS sit *licitus?*

R. AFFIRMATIVE *per se*, i. e. modo servetur aequitas pretii.

Explanatur. CENSUS enim nihil aliud est quam venditionis aut commutationis contractus, quo unus cedit alicui fundum aut pecuniam, et alter ei concedit jus ad pensionem annuam, quod in aestimatione communi aequivalet rei traditae. Imo CENSUS *vitalitius*, qui in contractum *aleatorium* resolvitur, saepe valde utilis est, quatenus suppeditat semi-infirmo medium obtinendi reditum pinguiorem, quo ejus infirmitas indiget. Nec refert, quod tractu temporis pensiones percipiendae excedant pretium solutum : id etiam in venditione rei frugiferae contingit, quam tamen nemo illicitam dixerit.

Q. 111. *Quid* sit EMPHYTEUSIS?

R. Est contractus, *quo quis rei suae immobilis dominium utile ad longum tempus transfert in alium, retento sibi dominio directo cum jure pensionis realis annuae.* Qui accipit dominium utile, dicitur EMPHYTEUTA; qui dat, PROPRIETARIUS seu DOMINUS DIRECTUS. Reducitur EMPHYTEUSIS ad censum reservativum vel locationem. Dubium est, utrum eam abrogaverint leges gallicae. In Belgio, per legem latam die 10 Januarii 1824, approbata fuit quaedam species *emphyteuseos*, quae longior non sit 99, nec brevior annis 27.

Q. 112. *Quid* sit FEUDUM?

R. FEUDUM jure antiquo erat contractus, *quo res immobi-*

lis concedebatur alteri quoad dominium utile, sub onere fidelitatis et obsequii personalis domino directo seu proprietario praestandi.

Explanatur. Differt potissimum ab EMPHYTEUSI ex parte oneris, quod in uno est *reale*, in altero *personale*. Concedens FEUDUM dicebatur *infeodator*; accipiens, *feudatarius* seu *vasallus*; onus *personale* vocabatur *hommagium*, quale erat comitari ad bellum, convenire ad publica comitia, etc.; ritus denique, quo quis in possessionem FEUDI mittebatur, *investitura*. FEUDUM etiam sumebatur pro ipsa re ad usum concessa, et contradistinguebatur ab *allodio* sive bonis allodialibus, i. e. ab omni obsequio liberis.

CAP. V. De contractibus accessoriis seu subsidiariis : fidejussione, pignore et hypotheca.

Q. 113. *Quinam* dicantur contractus *accessorii* seu *subsidiarii?*

R. Sunt illi, qui supponunt contractum principalem, cui accedunt ad ejus exsecutionem, et a quo aliquatenus pendent, juxta axioma : « *Accessorium sequitur principale.* » Tres numerantur : FIDEJUSSIO, PIGNUS et HYPOTHECA.

Q. 114. *Quid* 1°) sit FIDEJUSSIO; 2°) quodnam ejus *subjectum*, et 3°) quinam ejus *effectus?*

R. Ad 1^{um}) FIDEJUSSIO *(cautionnement)* est contractus, *quo unus vel plures alienam obligationem in se suscipiunt, si non solvat debitor principalis.* Potest gratis suscipi; potest etiam pro illa aliquid accipi, et quidem tanto plus, quo majus est periculum, quod debitor non solvat; imo, etiamsi nullum sit periculum vel molestia, potest adhuc aliquid accipi: quia hanc obligationem in se suscipere, de se est pretio aestimabile.

R. Ad 2^{um}) Nemo FIDEJUSSOR *(caution)* esse potest, nisi liberam bonorum ad hoc sufficientium administrationem habeat, qualem non habent pupillus, minor, religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, superioris, mariti. Praeterea, ex jure *gallico*, requiritur, ut habitet in territorio curiae regiae, ubi fidejussio praebenda est (a. 2018).

R. Ad 3um) *Fidejussor* tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solum in ejus defectu seu impotentia, et quidem juridice probata (a. 2021); adeoque non nisi post sententiam judicis. Si pro debitore solvat, eo ipso ejus creditor evadit, ac proin in eum recursum habet in ordine ad repetendum ea, quae ejus loco solvere fuit coactus. Obligatio FIDEJUSSORIS, cum *sit realis*, transit ad ejus haeredes, excepta corporis apprehensione (*contrainte par corps*), si eo usque ex natura contractus alter se obstringere debuisset (a. 2017).

Q. 115. *Quid* 1°) sit PIGNUS, et 2°) quinam ejus *effectus?*

R. Ad 1um) PIGNUS (*nantissement*) est contractus, *quo debitor rem aliquam debitori tradit in assecurationem crediti.* Res oppignorata, si sit mobilis, proprie dicitur *pignus* (*gage*); si sit immobilis, *antichresis* appellatur.

R. Ad 2um) *Debitor* tenetur tradere creditori pignus idoneum, refundere creditori impensas necessarias, quae factae sunt ad rei conservationem; pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur. *Creditor* autem non potest re oppignorata uti nisi de consensu debitoris; diligenter pignus custodire debet, fructus ex pignore acceptos in debiti diminutionem computare tenetur; tandem non ei licet vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili et prius monitus fuerit.

Q. 116. *Quid* 1°) sit HYPOTHECA, 2°) *quotuplex* ejus *species* et 3°) quinam ejus *effectus?*

R. Ad 1um) HYPOTHECA est contractus, *quo res immobilis, remanens apud debitorem, obligatur creditori in securitatem debiti.* Differt a *pignore* in eo, quod pignus traditur; hypotheca vero nonnisi nuda conventione firmatur.

R. Ad 2um) *Triplex* distinguitur (a. 2116).

Explanatur. A) **Legalis** seu implicita et tacita, quae vi ipsius legis inducitur in favorem communitatum, uxoris, filii et minoris super bona administratorum, mariti, patris et tutoris; B) **Judicialis,** quae procedit ex judicis decreto in illius gratiam qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit; C) **Conventionalis,** quae pendet a mutua contrahentium voluntate. Et haec potest esse : vel *specialis,* cum scilicet obligas rem determinatam,

v. g. talem fundum; vel *generalis*, qua scilicet obligas omnia bona. HYPOTHECA *legalis* et *judicialis* potest complecti bona praesentia et futura; *conventionalis* vero sola praesentia. Ut tamen HYPOTHECAE suam integram habeant vim, publico conficiendae sunt instrumento, atque in officio ad hoc deputato debent inscribi et quidem tempore praefinito.

R. Ad 3^{um}) HYPOTHECA creditori confert jus solutionem ex bonis obtinendi ante creditores mere chirographarios seu communes et etiam ante creditores, qui nonnisi sequenti die HYPOTHECAM inscribi curaverunt. Attamen, excepta HYPOTHECA *legali*, quae semper durat quin renovetur, inscriptio HYPOTHECAE *renovanda* est ex *jure gallico* ante elapsum terminum 10 annorum, alioquin amittitur ordo et privilegium ex ea consequens. In Belgio, per legem 16 Dec. 1851, terminus est 15 annorum.

CAP. VI. De contractibus aleatoriis : assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

Q. 117. *Undenam* CONTRACTUS *aleatorii* sic dicantur?

R. CONTRACTUS *aleatorii* (pag. 180) ita dicuntur, ab *alea* (*coup de dé*) : quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii. Praeter CENSUM VITALITIUM, de quo diximus pag. 255, *quatuor* sunt praecipui : ASSECURATIO, SPONSIO, LOTERIA et LUDUS.

Q. 118. *Quid* 1°) sit ASSECURATIO; 2°) *quotuplex* et 3°) an *licita?*

R. Ad 1^{um}) ASSECURATIO est contractus, *quo quis alienae rei* vel *personae periculum in se suscipit, obligando se, sub certo pretio, ad eam compensandam, etiamsi casu perierit.*

R. Ad 2^{um}) *Duplex*, generatim loquendo, distinguitur ASSECURATIO : A) *rerum;* B) *personarum.*

Explanatur. Prima seu **rerum** fit, cum pro certo pretio inter nos convenit, ut si quod damnum in meis rebus contigerit, ut puta ob naufragia, inundationes, incendia, a te sarciatur. Sic dantur : *assurances maritimes ; contre l'incendie ; contre la grêle, etc.*

Secunda seu **personarum** fit *duobus* modis : **A**) cum alicui, forte iter agenti, praestatur transitus per loca periculis v. g. latronum, belluarum, exposita ; **B**) quoties cavetur de *damnis*, quae tibi vel alteri, ut puta conjugi, liberis, contingere possunt ob *mortem* vel alium quemcumque casum, velut infirmitatem, adversam fortunam, senectam, etc. Sic dantur : *assurances sur la vie ; pour le remplacement militaire, etc.*

R. Ad 3^{um}) Hujusmodi contractus per se sunt liciti, quum onus suscipiatur pretio aestimabile, modo serventur debitae conditiones : A) Ut subsit, vel saltem bona fide ab utraque parte credatur subesse periculum ; hinc si assecurator privatim sciat, v. g. navem, de cujus naufragio timetur, appulisse ad portum, nullus est contractus, licet secundum famam communem credatur esse in periculo. B) Ut sit aequalitas inter pretium et periculi susceptionem ; quo enim majus est periculum, eo plus potest petere assecurans, ideoque debet de periculis moneri, nisi jam nota sint. C) Ut assecurans habeat, unde solvat ; alias nullus est contractus. D) Ut assecuratus servet omnes contractus conditiones.

Q. 119. *Quid* 1°) sit SPONSIO, et 2°) an sit *licita?*

R. Ad 1^{um}) SPONSIO *(gageure, pari)* est contractus, *quo duo vel plures, de rei veritate vel eventu contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit illius, qui fuerit veritatem assecutus.*

R. Ad 2^{um}) Sponsio *per se* est *licita*, si adsint debitae conditiones.

Explanatur. Conditiones sunt : **1°**) Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur : alioquin consensus non esset in idem. **2°**) Ut eventus utrique sit incertus, vel reipsa, vel saltem opinione sua : alias non servatur aequalitas contractus onerosi. Unde, restituere tenetur, non tantum ille qui, cum certus esset, simulavit se nescire ; sed etiam ille, qui celavit tantum seu mere occultavit certitudinem quam habebat. Si autem certus de eventu, certitudinem suam ingerat, eaque non obstante, alter pertinaciter spondere velit, probabiliter non tenebitur restituere, quia alter censetur cedere juri suo. **3°**) Ut SPONSIO in crimen non inducat, nec illius occasionem praebeat. Hinc nullae sunt SPONSIONES sequentes : spondeo te

cum tali in duello non esse decertaturum, vel tot vini pocula bibere non posse. An *post* factum, pretium solvendum sit, DD. *disputant*, juxta dicta p. 199 seq. — Dixi in responsione : **per se** ; nam SPONSIONES quae fiunt super electione R. P., seu adhuc vivat, seu vita decesserit, vel super promotione Cardinalium S. R. E., vetantur et irritae declarantur a GREC. XIV, cap. *Cogit nos*. Cfr. MAZZ. ; GIRIBALDI. — Praeterea sponsores raro a peccato saltem veniali immunes sunt ob levitatem, imprudentiam, expensas superfluas variaque mala quae ex sponsionibus haud saepe subsequuntur.

Q. 120. *Quid* 1°) sit LOTERIA seu SORTITIO, et 2°) an sit *licita?*

R. Ad 1^{um}) Est contractus, *quo plures aliquid in commune deponunt, eo fine, ut jus habeant id, quod depositum est, per sortem obtinendi.*

R. Ad 2^{um}) Hic contractus per se est *licitus* : est enim emptio juris sortiendi et acquirendi id quod per sortem advenerit; vel, si placet, ludus aleae est, qui sua natura est licitus. Hinc, omni abusu, cupiditate, fraude aut legis prohibitione remotis, permittitur. Circa *loterias* attendenda sunt statuta legis 19 Dec. 1851 necnon articuli 301-304 *cod. poen.*

Q. 121. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit LUDUS, et 3°) an *licitus?*

R. Ad 1^{um}) LUDUS, in ordine ad justitiam, est contractus, *quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori solvendo.*

R. Ad 2^{um}) Est *triplicis* generis : A) alius regitur sola fortuna, et vocatur *mere aleatorius*, ut ludus aleae; B) alius a solo ingenio, industria vel dexteritate pendet, et vocatur *industrialis*, ut ludus pilae; C) alius partim a fortuna, partim ab humana industria notabiliter pendet, et dicitur *mixtus*, ut ludus chartarum.

R. Ad 3^{um}) Omnis ludus, etiamsi principaliter fiat propter lucrum, *per se* loquendo et sistendo in jure naturali, est *licitus*, si adsint conditiones requisitae; imo, potest esse actus virtutis, si debito modo fiat, quae virtus a S. THOM. (2. 2. q. 168, a. 2) vocatur **Eutrapelia** et definiri potest : virtus servans modum in dictis et factis ad animi recreationem institutis; seu, ut habet BILL. : « *virtus moderans ludum ne*

recedat a medio rationis per excessum vel defectum. » Hinc homo melancholicus, si moderate ludat ad expellendam melancholiam, alius ad moderatam animi delectationem, exercet actum virtutis.

Explanatur. Conditiones vero requisitae sunt : **1°**) Ut ludens possit libere disponere de re, quam exponit. **2°**) Ut ludens ad lusum non cogatur : alioquin rescindi poterit a metum injustum passo. **3°**) Ut non misceantur fraudes contra leges justas, quas vel ipsi ludentes sibi imposuerunt, vel recepta loci consuetudo posuit. **4°**) Ut inter ludentes sit moralis aequalitas in spe lucrandi et in periculo perdendi. Quare, qui notabiliter peritior est, a LUDO recedere debet, vel aliquid commodi adversario praestare. In praxi tamen restitutio non foret urgenda, si de re m̃noris momenti ageretur ; vel etiam si adversarius, sufficienter praemonitus, nihilominus pertinaciter ludere voluisset : quia tunc ex hujus parte praesumitur libera condonatio. — In *foro civili*, ut patet ex *Cod. civ.* (aa. 1965-1967) non datur actio contra *victum*, nisi pro quibusdam LUDIS specialibus. Cfr. etiam novus *Cod. poen.* (aa. 505, 557, 3°, 558). — Dixi in responsione : **per se loquendo** : nam LUDUS *per accidens* aliquando *illicitus* est : **A**) Si sit *occasio peccandi*, ut si fiat cum scandalo ; si per eum ludens exponatur perjuriis, blasphemiis, rixis ; si negligat suum officium ; reddat se impotentem ad solvenda debita ; imo, licet ipse tale periculum non subeat, si tamen colludentes simili periculo se exponant, peccat graviter, cooperando illorum peccatis. **B**) Si detur *specialis prohibitio ;* et ita LUDI *alearum* seu *purae sortis* de jure *canonico* prohibentur clericis in sacris aut beneficiatis, uti constat ex Conc. LAT. IV (can. 16) et Conc. TRID. (sess. 22, c. 1 de ref.), et eo magis religiosis. Qui tamen omnes ex S. LIG. (III, 899) excusantur a peccato gravi, si *raro*, *moderate* et *privatim* sine scandalo ludant ; imo, probabiliter etiam a veniali, si ita ludant *recreationis causa*, ubi talis prohibitio non rigide observatur.

Resolvitur. Ludus *alearum* ex S. LIG. (l. c.) cum omni ludo *chartarum* immerito confunditur : « nam revera *alea* ut Magistri idiomatis latini docent, est nomen comprehendens solos ludos sortis, qui non ex arte, sed omnino a casu pendent. » Quare per se non peccant clerici illis ludentes chartarum lusibus qui sunt tam industriae quam fortunae, nisi alicubi esset specialis prohi-

bitio, aut scandalum, aut alio modo peccetur. Hinc habent Statuta dioec. Mechl. n. 58. « *In ludis ceterisque animi relaxationibus licitis hic modus a clericis servandus est, ut nec quoad tempus, nec quoad alias circumstantias peccetur. Prohibemus potissimum eum lusum chartarum pictarum, qui de industria ad multam noctem protrahitur, quum praeter magnum pretiosi temporis damnum etiam scandalum fidelibus parere natus sit.* » Qui ita tempus dilapidant, praesertim sacerdotes, quos decet se occupare lectione SS. Scripturarum, studioque Theologiae, memores prophetici effati (Malach. II, 7) : « *Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus;* » discant hujusmodi ex S. Thom. (2. 2. q. 168, a. 4), ludum, ut sit honestus et licitus, debere esse **moderatum**, ita ut moraliter servet illam ad alias serias actiones nostras proportionem, qua *sal habet ad cibum*, cui apponitur. Atqui, ut ait Angelicus ex Arist. : « **Parum de sale sufficit in cibo.** » — Cfr. Gousset I, 891.

Q. 122. Utrum *licitum* sit ludere pro precibus?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Quidam **negant** cum Habert. Alii **affirmant** cum Navar., Bonac., Sanch., Dian.; et quidem « *verius,* » ait Bill.: « non enim minus devote potest fundere preces quas quis debet ex ludo, quam si gratis funderet. Idque probat piorum usus. » — Videtur major difficultas si preces, Missae, aut communiones exponantur ludo pro praemio temporali, ut si Titius ludat cum pacto, ut si vincatur, legat pro victore Missam, si autem vincat, habeat florenum: quia videtur quaedam irreverentia quod Sacra profanis commutantur. « Id tamen esse licitum affirmant Rodr., Portell., Lezan. Pont., » ait Bill., nec ipse contradicit. Ratio est : quia non aestimatur res spiritualis pro temporali, si exhibetur exsecutio rei spiritualis loco temporalis, ut si tibi debeam 100 aureos, licite offero 100 Missas pro te dicendas. Cfr. Mazz., ; Giribal.; Lacroix, n. 1096.

Q. 123. Quid dicendum de ludentibus in *foro argentario?*

R. Saepe peccant contra justitiam : 1°) Falsos spargendo rumores quibus pretium valorum seu mercium cres at aut minuatur; 2°) periculo se exponendo amittendi ea quae necessaria sunt ad debita sua solvenda; 3°) magnam copiam valorum coemendo, ut sic vendant supra summum quod fuisset, si monopolium non fecissent.

DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

PRAEAMBULUM. Hujus tractatus **duplex** erit pars. In **prima** : agetur de statibus in communi seu *in genere;* in **secunda** : de statibus *in particulari*, hujusque partis *triplex* erit **sectio.** In PRIMA : disseretur de statu *laicali;* in SECUNDA : de statu *clericali;* in tertia : de statu *religioso*.

PARS PRIMA.

DE STATIBUS IN GENERE.

CAP. UNIC. De quidditate, divisione status et vocatione.

Q. 1. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit STATUS?

R. Ad 1^{um}) STATUS, quoad *nomen*, significat quamdam positionem alicui enti naturalem, cum quadam immobilitate. Sic homo *stare* dicitur, quando est erectus et simul quiescit. Quoad *rem*, ex S. THOMA (2. 2. q. 183, a. 1) est quaedam conditio vitae moralis aliquatenus ex se permanens, in ordine ad aliquem finem. « *Unde*, ait, *circa homines ea quae de facili circa eos variantur et extrinseca sunt, non constituunt statum; puta quod aliquis sit dives vel pauper, in dignitate constitutus vel plebeius, vel si quid aliud est hujusmodi.* »

R. Ad 2^{um}) *Triplex* distinguitur STATUUM species : A) *Laicorum ;* B) *Clericorum ;* C) *Religiosorum*. Singuli enim constituunt specialem modum moraliter vivendi ex se immobilem, cum specialibus obligationibus inde defluentibus, ad finem ejusdem speciei obtinendum.

Explanatur. Finis status **laicalis** est, pro diversis suis officiis, perducere societatem civilem ad suam perfectionem naturalem seu temporalem. Finis status **clericalis** est, perducere societatem spiritualem seu congregationem Christifidelium ad suam perfectionem supernaturalem. Finis status **religiosi** est, conducere hominem qui eum suscipit, ad propriam suam, hancque spiritualem, perfectionem.

Q. 2. *Quid* 1°) sit VOCATIO ad statum, et 2°) *quaenam* sint divinae vocationis SIGNA ?

R. Ad 1^um^) VOCATIO est actus providentiae supernaturalis, quo Deus unumquemque hominem ad aliquem statum eligit, atque congruis dotibus et auxiliis praeparat ad illius status officia digne et laudabiliter obeunda, praesertim quoad statum *ecclesiasticum* et *religiosum*.

Explanatur. Dicitur **1** : *actus providentiae* **supernaturalis** ; quia, etsi multi sint status in se ordinis mere naturalis, v. g. status matrimonii, advocati, famuli, etc. ; tamen, cum de facto omnis homo sit ad finem supernaturalem destinatus, ordo naturalis, et ideo omnes hujus ordinis status ordini supernaturali subordinantur, ac consequenter supernaturalis providentiae est actus divinus de vocatione ad quemlibet statum honestum. Dicitur **2** : *quo Deus unumquemque...* **elegit**; in qua electione consistit vocatio divina ad talem vel talem statum. Dicitur **3** : *atque congruis* **dotibus** et **auxiliis** etc. ; quibus verbis significantur **media** vivendi secundum statum a Deo assignatum. Quae media sunt *duplicis* generis : scilicet facultates seu aptitudines sive naturales, sive supernaturales, quibus unusquisque fit idoneus ad statum sibi a Deo electum ; et etiam auxilia actualia ordinis sive naturalis, sive supernaturalis, ad illas facultates in statu cuique a Deo assignato convenienter et efficaciter exercendas.

R. Ad 2^um^) *Generatim* loquendo, seu in providentia ordinaria, SIGNA divinae vocationis *duo* sunt praecipua.

Explanatur. Primum signum est : *Singularis* quaedam ad aliquem statum peculiarem **inclinatio** *(attrait)*, aliquo modo *supernaturalis*, quae ideo sit *dulcis*, *constans* et *ex recta intentione*. Non obstat tamen aliqua praeterita tergiversatio ex daemonis tentationibus vel naturae repugnantia exorta ; nec necessarium est, ut inclinatio ex propensione naturali magis quam ex persuasione seu intima convictione procedat. — **Secundum** signum est : **Aptitudo,** tum *physica*, tum *moralis*, ad illius particularis status officia convenienter obeunda. — Ubi vero de vocatione *dubium* adest, illud excutiendum est oratione, examine majori et consilio superiorum,

praesertim confessarii. Ceterum, ex S. Thom. (2. 2. q. 189, a. 10). cogitanti religionem ingredi non licet dubitare de propriis viribus, si quidem in divino auxilio talis confidere debet. — Dixi in Resp.: **generatim** loquendo; quia aliquando adsunt signa vocationis evidentiora, nempe divina *revelatio*, et *inspiratio* singularis, consistens in interno motu, quo quis vehementer ad vitam perfectiorem subito impellitur. Hujusmodi extraordinariae vocationis, teste historia ecclesiastica, praebent exempla : SS. Ambr., Hier , Aug., Greg. Magn., Nicol., Petr. Chrysol., etc., quorum vocationi vel ideo Deus specialiter benedixit. Quin imo in veneranda Antiquitate vix habemus exempla Sanctorum aliter, sive ad SS. Ordines sive ad curam animarum promotorum. — De *signis* vocationis, imprimis **religiosae**, cfr. N. R. T. (VIII, 78 seqq.; item p. 202) ubi tractat de *mediis* hujusmodi signa cognoscendi.

Resolvitur. Qui **certus** est, se in electione status **errasse**, si adhuc liceat, alium competentem statum de consilio confessarii sibi eligat. Si hoc non liceat, quia v. g. Religio id prohibeat, illud S. Aug. dictum applicet : « *Si non es vocatus, fac ut voceris ;* » i. e. ita vivito ac si ad praesentem statum vocatus fuisses. Scilicet necessitas convertenda est in virtutem, et per orationem impetranda sunt a Deo auxilia specialia juxta axioma (tom. I, pag. 152): « *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* »

PARS SECUNDA.

DE STATIBUS IN PARTICULARI.

SECTIO PRIMA.

DE STATU LAICALI.

CAP. UNIC. De distinctione status laicalis ejusque diversis obligationibus.

Q. 3. *Quotuplex* sit status LAICALIS?

R. *Triplex* distinguitur : POLITICUS, DOMESTICUS et CIVILIS.

Explanatur. Primus seu **politicus** complectitur obligationes, quae oriuntur ex relationibus inter *principes* et *subditos*. Secundus seu **domesticus** complectitur obligationes, quibus erga se invicem tenentur *conjuges; parentes* et *filii; magistri* et *discipuli; domini* et *famuli*. De utriusque status obligationibus partim jam diximus, ubi de 4° *Decalogi praecepto* (tom. I, pag. 429 seqq.). Tertius seu **civilis** complectitur obligationes, quae oriuntur ex relationibus inter cives, spectantque : vel *judices, advocatos, procuratores, testes, reos, notarios*, etc., pro causis forensibus; vel *medicos, chirurgos, pharmacopolas*, pro curatione corporis; *artifices* et *opifices*, pro bonis mere externis.

Q. 4. *Quae* sint praecipuae *obligationes* Principum?

R. Sunt *quinque*, his versibus contentae :

« *Felicem, tutam, moratam tibi perfice gentem;*
Sponsae adsis Christi, dignos arcesse ministros. »

Resolvitur. Hinc **Princeps 1°**) publicae felicitati prospiciat, mediis justis et opportunis. Ex quo capite peccaret, si imperitos praeficeret; subditos plus aequo gravaret, etc. Hinc **2°**) subditos ab hostibus aut injustis vexationibus omnimode tueatur. Hinc **3°**) bonum exemplum quoad mores ac religionem subditis praebeat. Ex quo vulgare illud : « *Regis ad exemplar totus componitur orbis.* » Hinc **4°**) non tantum nihil moliatur adversus Ecclesiam Christi; verum etiam actu ipso, intra limites potestatis suae, eidem faveat. Qui enim Deo malus est, cui bonus? Et, ut ipse Tullius aiebat : « *Omnia religione moventur.* » Hinc **5°**) bonos ministros et consiliarios sibi eligat, juxta illud Job (XXI, 16) : « *Consilium impiorum longe sit a me.* » Teste enim experientia, mala consilia et reges et regna pervertunt. — De *obligationibus* **Principum** saecularium praeclara eloquia ediderunt : tum Leo XIII in Enc. « *Diuturnum illud* » (29 Jun. 1881); « *Immortale Dei* » (1 Nov. 1885); « *Rerum novarum* » (15 Maii 1891); tum S. Thom. in aureo opusc. *(de regim. princ.)*, de quo diximus (tom. I, pag. 440).

Q. 5. An obligatio bonos eligendi in gubernio *constitutionali* ac *republicano* urgeat etiam omnes *deputatorum* electores?

R. Affirmative, *per se*.

Resolvitur. Hinc peccant : non solum qui malis suffragium tribuunt (cooperatores *positivi)* ; sed etiam qui non concurrendo in causa sunt, ut mali ab aliis eligantur (cooperatores *negativi)* ; unusquisque enim tenetur a republica malum avertere, *si spes sit aliqua.* Quod addo : quia aliquando, omnibus pensatis, melius erit, ut non simus neque electores, neque electi, quod prudentum, praesertim superiorum, est judicare. Interea sacerdos, hanc eligendi obligationem edocendo si opus, prudenter agat, neminem offendat, nullum designet, videatque ne capiatur in sermone. — Dixi : **per se** ; nam tales possunt esse circumstantiae in regno *usurpato*, ut omnis concursus evadat illicitus ratione scandali et injustitiae, si nimirum ipsa electio sumi possit pro usurpati regiminis agnitione. Et ita, in Ditione Pontificia, pro Deputatorum electione politicas urnas adire illicitum est, ut constat ex variis declarationibus et nuperrime quidem ex S. R. U. Inq. (30 Jul. 1886) ap. N. R. T. (XVIII,600 seq.) ubi declaratur quod responsum « *non expedire* » datum a S. Poenit. relate ad suffragium ferendum in politicis electionibus, importet *prohibitionem.* Secus tamen dicendum, si non de *Deputatis*, sed de *Consiliariis* tantum *municipalibus* ac *provincialibus* eligendis agatur : hi enim nonnisi res Communitatis vel Provinciae bonum tuentur, nec condunt leges, sed subeunt illas, haud secus ac ceteri cives.

Q. 6. *Quaenam* sint obligationes Judicis?

R. Sunt praecipue *quinque*, juxta versum :

« *Jura sciens, fortis, prudens, vigil, efferat aequum.* »

Resolvitur. 1°) Judex debet habere **Scientiam** sufficientem, qua sciat leges, consuetudines, ordinem juris, casus *ordinarios* in officio suo occurrentes. Pro *extraordinariis* satis est recurrere ad libros, et peritiores consulere : quilibet enim tenetur scire quae ad suum officium pertinent. Hanc *scientiam* si non habeat, peccat mortaliter officium petendo, admittendo, retinendo et quoties cum tali ignorantia operatur : quia se exponit periculo graviter nocendi partibus, quibus tenetur de damno sive in substantia litis, sive in superfluis expensis defectu scientiae causatis. Quod si sine culpa erraverit in praejudicium litigantis tenetur, quantum sine gravi incommodo potest, errorem corrigere, suadendo parti laesae, ut

per appellationem vel causae revisionem sibi consulat. **Resol. 2°)** Debet habere **Fortitudinem** animi, ut nec odio, nec amori, nec promissionibus, nec precibus, nec minis cedat; sed solum dictamen conscientiae sequatur. Quare omni jure prohibetur munera accipere, nisi sint levia munuscula, maxime accedente consuetudine. Quod si munera alicujus momenti acceperit pro sententia *justa*, contra justitiam peccat, quamdiu ea non restituat (pag. 181); si vero acceperit ad ferendam sententiam *injustam*, ea prolata, munera probabiliter retinere potest (pag. 185 seq.). **Resol. 3°)** Debet habere **Prudentiam** sagacem in rebus difficillimis ac dubiis resolvendis. Quare, si omnibus pensatis aequalis appareat probabilitas tam pro una quam pro contraria parte, non eodem modo judex jus dicere debet; sed si causa sit *criminalis*, judicare debet pro reo juxta regulas : « *nemo praesumitur malus, nisi probetur;* » et « *in dubio semper reo favendum est.* » Si vero causa sit *civilis*, tunc si una pars bona fide rem possideat, huic favendum est; si neutra rem possideat, debet partes inducere ad compositionem, vel rem, si divisibilis sit, dividere aut ejus pretium (tom. I, p. 97 seq.). Excipe causas pias et privilegiatas, quales sunt causae pro matrimonio, dote, vidua, pupillo, etc., pro quibus est judicandum ceteris paribus, jure positivo, tum Romano, tum Canonico, sic disponente. (Sass.). **Resol. 4°)** Debet habere **Vigilantiam** in causis expediendis. Quare compensare debet damna, quorum per injustam sententiae dilationem est auctor. **Resol. 5°)** Debet habere **Aequitatem,** qua sententiam ferat, tum ex actis et probatis, tum ex jure. — Dico : **A)** *ex* **actis** *et* **probatis**; quare, si scientia privata sciat aliquem esse nocentem, qui juridice sit probatus innocens, non potest eum damnare. Utrum vero damnare possit accusatum juridice convictum, quem certo novit esse **innocentem,** DD. *disputant.* Multi *affirmant* cum S. Thoma (2. 2. q. 64, a. 6 ad 3). Et haec sententia, quam dilucide, pro more suo, probat insignis Bill., est *tuta* in praxi, eamque sequuntur Cajet. et Ferrarien., uterque ex Ord. Praed., duo illi « *clarissimi* D. Thomae *interpretes, per quos*, teste Leon. XIII, *tanquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit.* » (tom. I, pag. 189). Alii *negant* cum S. Bon., Less., Bonac., Gouss. Alii cum S. Lig. (IV, 208) *viam mediam* tuentes, *affirmant :* judicem id posse in causis *civilibus* et *crimi-*

natibus minoribus, ubi scilicet agitur de poena pecuniaria vel exilii, aut privationis officiorum; *negant* vero in *majoribus*, in quibus agitur de poena mortis aut mutilationis. Quaestio haec in judiciis poenalibus non pertinet ad collegia juratorum, quos vocant *le jury;* quippe qui non solum ex actis et probatis, sed ex animi quoque persuasione jus dicere debent. Sunt tamen qui *juratos* judicibus aequiparant ap. N. R. T. (IX, 491). Porro axioma est : « *Iudex debet judicare secundum allegata et probata non autem secundum propriam conscientiam.* »—Dixi : **B**) *ex* **jure**; i. e. non aliter quam legibus proditum est, licet dura lex videatur, non satis justa, dum ne evidenter sit injusta.

Q. 7. An liget *in conscientia* sententia JUDICIS : 1°) *dubie justa ;* 2°) *certo injusta?*

R. Ad 1^{um}) *Affirmative*, saltem si non sit speciale gravamen subditorum : quia possessio est pro superiore. Dixi : *saltem si* etc. ; haec enim exceptio admittenda est vi alterius principii certi, i. e. vi *epikeiae* (tom. I, p. 160).

R. Ad 2^{um}) *Negative.* Quare manet parti laesae, tametsi non appellet, jus suum; licebitque in foro conscientiae, nisi altera pars juste praescripserit, per occultam compensationem sua recuperare, quia recuperat jus suum.

Explanatur. Dixi : **in foro conscientiae**; « quia in foro *externo*, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica spectatur, sententia probata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda, neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. » S. Lig. (IV, 215).

Q. 8. Ad *quid* teneantur ADVOCATUS et PROCURATOR?

R. Uterque « *Sit sapiens, justus, vigilans, pretio moderatus.* »

Resolvitur. 1°) Tenentur ad habendam **scientiam** suo muneri competentem. Quocirca ipsis applicanda sunt, quae supra (pag. 268 seq.) de *judice* dicta fuerunt. **Resol. 2°**) Tenentur ad servandam **justitiam** erga omnes. Haec autem violatur : **A**) Si ADVOCATI in materia *civili* suscipiant aut protrahant causam *certo* injustam; ideoque tenentur restituere : adversario semper, quasi cooperatores

injusti; clienti vero, si eum non admonuerint, sive fecerint scienter, sive ex ignorantia graviter culpabili (p. 114seq.). A fortiori in materia *criminali* nec ADVOCATUS potest suscipere partes accusatoris *evidenter injusti;* nec PROCURATOR injuste accusatum persequi, si detegat ejus innocentiam. Si autem causa in materia *civili* sit *dubia*, imo *minus probabilis*, ADVOCATUS potest eam defendere, quia tunc spem habet, ut veritas elucescat; et in materia *criminali* PROCURATOR regius dubie reum prosequi potest, ut de allegata infractione constare possit. Imo, in causa *criminali*, reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ejus culpabilitate, seclusis tamen mendaciis et fraudibus; quia ADVOCATUS reum defendendo nemini infert injuriam, eique ex officio, quantum potest, patrocinari debet. Violatur : **B**) Si secreta causae parti adversae detegant; si utrique parti inserviant; si injustitiam advertentes partes ad compositionem inducant aut ei cooperentur, nisi forte circa expensas. **Resol. 3°**) Tenentur ad habendam **vigilantiam**, ut utiliter negotium susceptum gerant. Quare si differant causae expeditionem cum clientis sui praejudicio, vel plures acceptent quam possent expedire, peccant et tenentur ad restitutionem. **Resol. 4°**) Tenentur ad non petendum nisi **justum pretium**, i. e. sive lege taxatum, sive judicio prudentum determinandum, habita ratione negotii, peritiae ADVOCATI, laboris impensi et consuetudinis receptae. Imo, ex S. THOM. (2. 2. q. 71, a. 1), aliquando *gratuito* patrocinari tenentur pauperibus versantibus in extrema necessitate, etiam cum gravi suo incommodo; et in gravi vel communi necessitate, non tamen cum gravi suo incommodo. Quod si cliens, postquam de pretio conventum est, incoeptam causam deserat, potest ADVOCATUS totum pretium exigere, si per ipsum non stet, quominus litem prosequatur : nisi tamen justa interveniat causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur. S. LIG. (H. A. XIII, 70).

Q. 9. Ad *quid* teneatur TESTIS?

R. *Per se loquendo*, tenetur dicere veritatem : 1°) si interrogetur juridice, i. e. a competente judice, et servato ordine juris, ut si praecesserit publica infamia auctoris, vel semiplena probatio, aut adsint alia indicia sufficientia ad inquirendum : quia justo superioris mandato obediendum est, et alias

judex non posset fungi officio sùo. 2°) Etiamsi juridice non sit citatus, si necesse sit ad impediendum grave damnum reipublicae aut innocentis.

Explanatur. Dixi : **per se**; nam excipe : **A**) si crimen sciatur ex confessione sacramentali ; **B**) si sciatur sub secreto explicite aut implicite commisso (tom. I, pag. 495), nisi immineat damnum commune; **C**) si per injuriam notitiam acquisierit; **D**) si non possit testari absque suo aut suorum gravi incommodo; **E**) si sciat reum ob ignorantiam vel aliam causam non peccasse mortaliter. Ceterum, TESTIS, si mere dissimulet verum, non tenetur ad restitutionem ; secus, si malitiose dicat falsum cum damno tertii (pag. 130) ; quin et cum vitae periculo obligatur, si ex falso ejus testimonio accusatus fuisset ad mortem condemnatus (pag. 152). Cfr. N. R. T. (IX, 496 seqq.).

Q. 10. Ad *quid* teneatur REUS?

R. 1°) Generatim loquendo, REUS, si certus sit, quod legitime ac juridice interrogetur, tenetur ad mentem interrogantis fateri veritatem, etiam revelando socios sui criminis, saltem ubi non agitur de poena capitali vel alia huic quasi aequivalenti, v. g. perpetui carceris, amissionis notabilium bonorum vel famae et honoris.

Explanatur. Dixi : **A**) **generatim loquendo**; nam in praesenti rerum statu, apud nos, in Gallia et alibi vigente, non amplius adesse videtur obligatio crimen suum fatendi : reus enim non amplius adstringitur, ut olim, ad praestandum juramentum ; et, ex alia parte, interrogatur, non quidem ut ex confessionibus judicetur ; bene vero, ut in contradictionem injiciatur, et judices ac jurati convictionem obtineant. Ex quo sequitur, reum, qui mentitur, non peccare graviter : non enim peccat contra religionem, cum non juret ; nec contra obligationem veritatem fatendi, si quidem id ab ipso non exigatur. Dixi **B**) **si certus sit**; unde quamdiu dubitat, an juridice interrogetur, probabilius non tenetur fateri ; quia nemo tenetur obedire superiori cum suo gravi incommodo, nisi constet, quod legitime praecipiat sub peccato. Dixi : **C**) **etiam revelando socios sui criminis**; nempe, si bonum

commune, vel bonum grave innocentis revelationem expostulet : quia bonum commune privato praevalet, et in pari causa melior est conditio innocentis. Secus, non potest eos prodere, si hi occulti sint et convinci non possint, nec pergant nocere : tunc enim non adest justa causa diffamandi. Si tamen vi tormentorum proderet, ubi non deberet, ordinarie non peccat : quia non tenetur tunc celare, et manifestatio est involuntaria. Dixi : **D) saltem ubi non agitur** etc. Si enim ageretur de poena **gravissima,** sententia est, quam « *satis probabilem etiam intrinsece* » putat S. Lig. (IV, 274) et quam « *probabiliorem* » censet Lugo, reum non teneri ad criminis sui confessionem : quia nimis durum reputatur, debere reum se ipsum ad gravissimam poenam condemnare, nisi commune damnum immineat ex reticentia delicti, puta haeresis, laesae Majestatis, etc. « Tunc enim, ait S. Lig. (l. c.) reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios, quantum opus est ad commune damnum avertendum, etiamsi ipsi mors immineat ex revelatione sociorum, ex qua evadet in judicio convictus. Casu vero, quo tale damnum non timetur, cum lex obligans ad crimen fatendum *probabiliter non exstet*, probabiliter judex non habet jus veritatem in tali casu exigendi, nec reus obligationem eam manifestandi ; et ideo reus *amphibologiis* crimen celando contra justitiam non peccat, juxta dicta *lib.* III, n. 156. » Quam sententiam *simpliciter* commemoravimus, ubi egimus de *restrictione mentali* (tom. I. p. 393 et 476). Verum ex S. Thom. (2. 2. q. 69, a. 1 in cor. et ad 2) reus juridice interrogatus tenetur *sub mortali peccato* fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus. Hanc sententiam, quam *communiter* sequuntur DD., invicte probat Bill. Quod majus est, eidem sententiae omnino favent Bened. XIV Const. « *Paterna charitas* » (17 Dec. 1749) ejusque successores Pius VI Const. « *Paterna charitas* » et Leo XII Const. « *Studium paternae charitatis.* » Quare de probabilitate primae opinionis non immerito quis dubitabit. De hac controversia agit N. R. T. (IX, 501 seqq.).

R. 2°) Tenetur obedire judici secundum leges et juris ordinem ferenti sententiam; non tamen ferenti aperte injustam.

Resolvitur. 1. Hinc, si sententia est **omnino justa,** quia vere crimen reus patravit et satis fuit probatum, non licet ei positive

resistere. **Resol. 2.** E converso, reus **injuste** damnatus, per se loquendo et secluso scandalo, licite potest se defendere et positive resistere, v. g. satellites pellendo vel etiam armis terrendo, ut e manibus eorum se eripiat, sive sententia fuerit injusta, quia lata fuit contra dispositionem juris et contra allegata et probata, quod omnes admittunt; sive fuerit tantum injusta a parte rei, quia fundatur in falsa praesumptione, quod verius est. Nunquam tamen potest vim vi repellere, *occidendo*, ut constat ex propositione damnata ab ALEX. VII sub. n. 18 : « *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* » Cfr. tom. I, q. 135, pag. 457.

Q. 11. Quid possit REUS : 1°) circa sui *defensionem*; 2°) circa *fugam?*

R. Ad 1^um^) Quod ad *defensionem* attinet, licitum est injuste accusato accusatoris et testium occulta crimina revelare ad infirmandam eorum auctoritatem, dum hoc illi est absolute necessarium ad se defendendum; quin imo etsi accusatus sit occulte reus, id adhuc licet : quia accusans reum de crimine occulto calumniam committit, et nemo tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare (pag. 170. seq.). Nunquam tamen licet eis falsum crimen imponere, etsi injuste accusetur (*ibid.*).

R. Ad 2^um^) Quod ad *fugam* attinet, *distinguendum* est.

Explanatur. Dico : **A**) **ante sententiam** *(par détention préventive)* e carcere evadere licet semper, quippe eo non ipse manere, sed detineri jubetur, custodiae causa.

Dico : **B**) **post sententiam,** *subdistinguendum* est : vel **injuste** fuit damnatus et carcere detinetur, vel **juste.** Si **primum** : nullus dubitat, quin licite possit fugere; si **secundum** : ulterius *subdistinguendum* est : vel carcer ipsi assignatur ad **custodiam**, vel ad **poenam**; in **priori** casu, licet fugere, ut si capite sit plectendus vel alio deducendus ad luendam poenam; in **posteriori,** communius negant, nisi incommoda carceris forent intolerabilia, ut si non darentur necessaria ad sustentationem; vel saltem forent valde gravia; vel nisi ageretur de debitore incarcerato qui fugiendo sperat

se facturum solutionem, quam in carcere exsequi non posset. Equidem probabilis est sententia, REO ad poenam carceris damnato, *regulariter* licere fugere : tum quia non tam condemnatur ut ibi sponte maneat, quam ut detineatur; tum quia praeceptum carceris videtur esse pure poenale.

Dico : C) si fugere REO licitum sit, ipsi quoque licet custodes, praecisa tamen vi et corruptione, decipere ad fugam capessendam; item vincula et carceres effringere : quia cum finis sit licitus, etiam media, quae non sunt intrinsece mala, licita sunt. Neque probabiliter tenetur reficere damnum illatum in carcerem, vel quia alii captivi simul fugerunt, vel quia custos inde punitur : hoc enim evenisse censetur per accidens. — Praeterea, qui non sunt ministri justitiae, possunt REUM ad fugam juvare consiliis, suppeditatis instrumentis, nisi hoc alteri, et maxime reipublicae, perniciosum futurum sit. Confessarius tamen, qui apud captivos admittitur, non debet eis fugam consulere, multo minus praebere instrumenta : quia per hoc offenderentur Judices et causa esse posset, quod ad captivos non amplius admitteretur, sicque ipsi necessario animae subsidio privarentur. Non tamen licitum est juvare in infractione : si enim licitum esset cuilibet infringere carcerem, periret omnis securitas carceris; cum facile sit uni REO, non sic aliis omnibus invigilare. Excipiuntur tamen communiter proxime conjuncti, qui unam cum REO personam constituunt. Cfr. BILL.; SASS.; item dicta (tom. I, pag. 142 seq.).

Q. 12. Quomodo inter se differant ACCUSATIO JUDICIALIS, DENUNTIATIO JUDICIALIS et DENUNTIATIO FRATERNA?

R. 1°) ACCUSATIO JUDICIALIS fit superiori tanquam judici, ut reus puniatur, atque obligationem importat delictum probandi et poenam incurrendi, nisi probetur. Qui has partes suscipit vocatur *actor* vel *accusator*, prout res spectat ad causas civiles, vel ad causas criminales. Hodie in Gallia et alibi nemini privato accusationem instituere fas est, sed totum munus accusandi crimenque probandi magistratui ad id constituto seu generali gubernii procuratori unice demandatur. Quare *ministerium publicum* nuncupatur, quia partes communitatis et bonorum morum contra reos suscipit ac tuetur.

2°) DENUNTIATIO JUDICIALIS fit superiori tanquam judici, sine

tamen obligatione probandi delictum. 3°) DENUNTIATIO FRATERNA seu *evangelica* fit superiori ut patri, de qua egimus (tom. I, pag. 322 seqq.).

Q. 13. *Quinam* ad DENUNTIATIONEM JURIDICAM teneantur?

R. Hodie quicumque delictum vel crimen aliquod contra bonum societatis ordinem cognoscunt, illud denuntiare tenentur *procuratori regio*, vel saltem agentibus ei subjectis et auxiliantibus, quales sunt praesertim dicti : *les bourgmestres, les officiers de la gendarmerie, les commissaires de police.*

Explanatur. Quae legis civilis dispositio in foro *conscientiae* obligat saltem illos, qui legitime non excusantur, quales sunt filii respectu parentum, conjux respectu compartis, servi respectu dominorum, clerici ubi agitur de sanguine, et alii quicumque denuntiare non valentes absque gravi sui vel aliorum detrimento; nisi tamen malum impediendum foret majus, v. g. proditio patriae vel principis, in quo casu memorati non excusantur. Non tamen contra *justitiam* peccant *privati* DENUNTIATIONEM omittentes quam facere deberent. Dico : **privati,** nam injustitiae reus foret *procurator regius* REUM non requirens nec accusans, cum ad id teneatur; item *publici officiales* principis, ut custodes sylvarum, agrorum, vectigalibus praepositi : quia ad damna in bonis sibi commissis impedienda aut praecavenda pariter ex officio suo tenentur (pag. 129).

Q. 14. *Quaenam* sint obligationes NOTARII?

R. Obligationes NOTARII seu TABELLIONIS, qui scilicet legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta, quae sive in judicio sive extra fidem faciunt, huc reducuntur :

« *Expertus, fidus, diligens notarius esto.* »

Resolvitur Hinc peccat contra **justitiam** : 1°) Si ex officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, unde damna et lites oriuntur juxta proverbium : « *Ignorantia notariorum messis est advocatorum.* » 2°) Si secretum violet; si parti adversae copiam actorum sine consensu judicis, magis si ipsa originalia communicet : facile enim corrumpuntur; si sincere omnia, prout se habent, non scribat; si testamentum vel alium contractum ho-

minis usu rationis destituti conficiat. 3°) Si acta et protocolla negligenter custodiat, vel absque justo impedimento causae expeditionem differat. Quare in his et similibus tenetur de damnis inde alteri secutis, sicut et restituere tenetur quod, praeciso extraordinario labore, ultra justum pretium extorquet. De NOTARIO, quoad *solutionem* **tributorum**, diximus pag. 174.

Q 15. Ad *quid* teneantur MEDICI, CHIRURGI, PHARMACOPOLAE?

R. 1°) Ut sufficientem habeant artis suae peritiam. 2°) Ut adhibeant diligentiam proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur. 3°) Ut non utantur mediis illicitis ad procurandam sanitatem. 4°) Tenentur MEDICI *praecepto naturali* patientem admonere de confessione sacramentali, si morbus sit *actu* mortalis; si actu quidem mortalis non sit, sed prudens timor est, ne talis evadat, adhuc tenentur eum monere ex *praecepto ecclesiastico*, scilicet ex Decretali INNOC. III « *Cum infirmitas* », lata in Conc. LATER. IV (an. 1215). Quam decretalem renovavit S. PIUS V, Const. « *Supra gregem* » (18 Maii 1566), ubi prohibet, ne MEDICI talem infirmum *ultra tres dies invisant*, nisi *scripto confessarii resciant*, eum esse confessum. Sed haec ubique non aeque sunt in vigore. Praeterea statuit idem Pontifex, ut MEDICI, priusquam doctoratus gradum consequantur, jurent, se idem praeceptum esse observaturos. Interim huic praecepto satisfacit MEDICUS : A) si infirmum moneat per alios; B) si moraliter testimonio certo sciat, infirmum esse confessum; C) si moraliter certus sit, infirmum esse in bono statu. — Si tamen infirmus monitus de confessione, nolit obstinate eam peragere, et esset in periculo, si a MEDICO desereretur, adhuc potest ei curam exhibere : quia Pontificis decretum non adversatur charitati, quae favet etiam obstinatis quoad potest, ut docet BENED. XIV (*Inst. eccl.* XXII, n. 17). Cfr. GIRIB.; SCAV.; S. LIG. (IV, 291 et *Prax. Conf.* n. 57-58).

Resolvitur. 1. Peccant gravissime et ad damna reparanda tenentur, qui medicae artis ignari eam profitentur et exercent, fiuntque facile homicidii rei, temere dantes quae perniciem mor-

temque afferant. **Resol. 2.** Peccant qui alioquin periti necessariam attentionem non adhibent ad intelligendum aegroti conditionem et morbum; quod in pauperibus curandis facile evenit. Quaenam vero remedia applicare debeant, diximus (tom. I, pag. 97). **Resol. 3.** Peccant qui ad salvandam vitam matris Craniotomiam practicant, etiamsi alias et matri et proli pereundum sit (tom. I, pag. 459 seq.) Item qui quid suadent contra legem Dei, ut si Onanismum (tom. I, pag. 258 seq.) consulant, aut medicamenta praebeant ad inferendam sterilitatem, vel ad foetum expellendum, etiamsi talia medicamenta forent plane inefficacia : tum ob scandalum quod praebent petentibus; tum quia phantasia mulierum, a qua produci solet abortus, non parum inde commovetur; tum quia ipsi se committunt periculo subeundi poenas quas leges civiles contra hujusmodi praevaricationes constituerunt. Quandonam vero liceat mulieri gravidae tradere pharmaca ad propriam salutem ordinata, licet inde mors foetus praevideatur secutura, diximus (tom. I, pag. 458). Quod si curandae valetudinis causa Magnetismum *animalem* adhibeant, id non faciant *nisi praeclusis abusibus* (tom. I, pag. 364). Nec pariter, *sine cautela adhibita*, in operationibus chirurgicis aut morbis curandis, tanquam remedio utantur Hypnotismo, de quo egimus (tom. I, pag. 365 seq.). **Resol. 4.** Crudeles sunt medici qui moribundum, praesertim nondum bene praeparatum, eo fine inebriant aut aliis mediis, v. g. ope Morphii, usu rationis privant, ut dolores et mortem non sentiat : quia nullo unquam tempore magis necessarium est, ut homini servetur facultas merendi seque cum Deo reconciliandi (tom. I, p. 234). **Resol. 5.** Ubi decretum S. Pii V receptum est, peccant graviter medici et sunt perjuri, si illud non observent : quia faciunt contra juramentum. Ubi vero decretum illud non est receptum, solum tenentur circa infirmorum monitionem observare id, ad quod ex jure naturali et divino obligantur; nec erunt perjuri si hoc praeceptum naturale et divinum non observent, quia solum jurarunt observantiam decreti S. Pii V, non vero illam decreti naturalis quod est ab illa diversum.

Q. 16. Quomodo *artifices* et *opifices*, obligationes eorum statui proprias violando, fiant *injusti?*

R. In *genere* injusti sunt : 1°) opera sua vendendo aut

locando injusto pretio; 2°) occultos operum defectus non manifestando; 3°) negligentia culpabili tempus terendo; 4°) alios operarios a labore avertendo; 5°) opus male exsequendo, etc. Cfr. Enc. « *Rerum novarum* » LEON. XIII. Recole dicta : *de injuria circa bona fortunae* (pag. 71 seqq.); *de emptione-venditione* (pag. 235 seqq.); *de locatione operarum* (pag. 251 seqq.).

SECTIO SECUNDA.

DE STATU CLERICALI.

CAP. I. De obligationibus omnium clericorum propriis, quatenus sunt positivae. Ubi de habitu, tonsura, horis canonicis et coelibatu.

Q. 17. *Quaenam* sint OBLIGATIONES omnium clericorum *propriae* seu *communes?*

R. Aliae sunt *positivae*, et sunt ea omnia, quae clericis agenda praecipiuntur. Aliae sunt *negativae*, et sunt ea omnia, quae clericis speciatim prohibentur.

Q. 18. *Quaenam* sint praecipuae OBLIGATIONES *positivae*, omnibus clericis *communes?*

R. 1°) *Vitae sanctitas*, qua Clerici, praesertim in Sacris constitui, tenentur perfectius Deo servire quam laici; hoc enim exigit status ille perfectior, dicente S. THOM. (*Suppl.* q. 35, a. 1 ad 3) : « *Ad idoneam exsecutionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens : ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* » « Huic tamen obligationi satisfit, ait SASS., si servent ea, quae status ille ex se exigit et leges praescribunt. » 2°) *Habitus ecclesiasticus* et *tonsura*. 3°) *Horae canonicae* et generatim 4°) *Coelibatus* pro iis qui in majoribus sunt Ordinibus.

Resolvitur. Ex S. THOM. (2. 2. q. 184, a. 8) « *gravius peccat, ceteris paribus, clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus, qui non habet*

ordinem sacrum ; quamvis laicus religiosus teneatur ad observantias regulares, ad quas illi qui sunt in sacris ordinibus non tenentur. » Ratio est : « *Quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris ; ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status.* » **Resol 2.** Ex Trid. (sess. XXII *de ref.* c. 1) « *Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant ; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant ; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* » **Resol. 3.** Quoniam qui tenetur ad finem, tenetur quoque ad media, patet clericos iis uti debere mediis quibus Sanctitas acquiri, conservari augerique valeat. Hujusmodi media assignant Scriptores ecclesiastici, imprimis S. Lig. (*Regolam. di vita per un Sacerd. secol.*, ac desuper praeclara eloquia tradunt Statuta *dioec. Mechl.* (p. I, c. II).

Q. 19. *Quid* dicendum de gestatione habitus clericalis?

R. 1°) Per habitum clericalem intelliguntur tales vestes, quae de communi et probato usu Provinciae a clericis gestantur. Constat ex C. Trid. (sess. XIV, *de ref.* c. 4), quod episcoporum judicio statuendum reliquit, quaenam vestis congruat.

R. 2°) Porro, « *etsi habitus non faciat monachum,* » ut ait Trid. (*ibid.*), peccant mortaliter clerici *beneficiati* aut *in sacris* constituti, si per *notabile tempus* habitum clericalem extra domum propriam non deferant, nisi excuset materiae levitas, aut adsit rationabilis causa, ut si urgeat periculum persecutionis ; vel si per loca haereticorum, infidelium aut impiorum hominum esset transeundum ; vel si pergant in regiones in quibus clerici non soleant clericalibus vestibus induti in publicum prodire, etc.

Explanatur. Dixi : **A) beneficiati** *aut* **in sacris** : quia communius docent DD. *simplices* clericos per se ad id non teneri sub peccato gravi, nec probabiliter sub levi. Attendendum tamen est ad jura particularia et locorum consuetudinem. Dixi : **B) per notabile tempus** : si enim id rarissime fiat, ad breve intervallum, v. g. ad quinque sexve dies, nec sit ad malum finem, et sine scan-

dalo, non censetur tam gravis inordinatio nisi habeatur specialis prohibitio ex parte Ordinarii. Quocirca omnino servanda sunt quae *de habitu clericali* sapientissime tradunt STAT. *dioec. Mechl.* (p. I. c. V).

Q. 20. An 1°) exstet *praeceptum* deferendi TONSURAM, et 2°) *quomodo* obliget?

R. Ad 1um. Exstat praeceptum pro cunctis clericis tonsuram jugiter deferendi. Dicitur enim in *Decret.* (P. I, dist. 23, can. 20) : « *Clerici comam nutrire prohibentur, quorum caput desuper in modum sphaerae rasum esse debet.* » Quae *sphaera* seu *corona* amplior vel angustior esse debet pro ordine ac dignitate (cap. 15 *de Vit. et honest. cleric.*).

Explanatur. Quae capitis **rasio** significat depositionem rerum temporalium ac inutilem harum curam a clerico esse fugiendam. **Sphaera** vero seu **corona** est signum : vel coronae spineae Christo impositae; vel regiae dignitatis eorum qui in sortem Domini sunt vocati; vel regni quod in Christo expectatur; vel demum possessionis vitae perfectioris, cum circulus figura sit perfectior.

R. Ad 2um) Illud praeceptum non obligat sub gravi *simplices* clericos. Utrum vero graviter peccent clerici tonsuram non deferentes, si sint *beneficiati* vel in *sacris* constituti, difficile est definire. Cum TAMBURINO non auderem eos damnare de mortali, nisi eam ex contemptu aut post monitionem Ordinarii omittant. Cf. S. LIG. (VI, 826).

Q. 21. *Quid* intelligas 1°) per HORAS CANONICAS; 2°) *quot* sint; et 3°) quaenam harum sit *origo?*

R. Ad 1um) Per HORAS CANONICAS intelliguntur illae preces vocales, quae, singulis diebus, ex praescripto SS. Canonum, a certis personis et definitis horis, nomine Ecclesiae, Deo persolvuntur.

Explanatur. HORAE CANONICAE dicuntur : *preces*, lato sensu; quia major pars preces sunt. Dicuntur : *horae*; quia certis diei horis persolvuntur. Vocantur etiam : **A**) **officium**, sive *divinum*, quia illud munus totum pro cultu Dei est institutum; sive *ecclesiasticum*, quia fit nomine Ecclesiae; sive *canonicum*, quia per Ecclesiam approbatum et traditum est. **B**) **Breviarium**, sive

quia est mirabile compendium ac veluti summa eorum quae in Scripturis V. et N. Testamenti, SS. Patribus, gestis Sanctorum ac precibus Ecclesiae continentur, ita ut dixerit S. Salesius, se non cognoscere librum Breviario pulchriorem; sive quia est compendium formulae longioris, quae olim recitabatur.

R. Ad 2um) Juxta communiorem sententiam, sunt *septem*, juxta illud Ps. (CXVIII, 164) : « *Septies in die laudem dixi tibi.* » Et quidem Matutinum cum Laudibus constituit officium *nocturnum*, sic dictum, quod olim de nocte recitari consueverat. Reliquae *sex* horae, nempe : Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium faciunt officium *diurnum*.

Explanatur. Dixi : *juxta* **communiorem** *sententiam ;* sunt enim aliqui, qui cum Navar. separant Matutinum a Laudibus, ac consequenter *octo* esse horas canonicas contendunt : nempe *septem* diei, juxta citata verba Psalmistae; et *unam* noctis, juxta ejusdem Prophetae verba (Ps. CXVIII, 62) : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae.* » — Ut autem SS. PP. testantur, horae canonicae inserviunt ad repraesentanda *septem* praecipua Passionis Christi mysteria, juxta tritos versiculos :

Haec sunt septenis propter quae psallimus horis :
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat ;*
Prima *replet sputis, causam dat* Tertia *mortis ;*
Sexta *cruci nectit, latus ejus* Nona *bipartit ;*
Vespera *deponit, tumulo* Completa *repondit.*

R. Ad 3um) Quod ad *originem* horarum attinet, *distinguendum* est inter *substantiam* et earum *formam* seu *quantitatem*.

Explanatur. Harum origo, quoad **substantiam,** ab ipsis Apostolorum temporibus videtur repetenda, ut colligitur ex S. Scriptura, dum clare insinuat (Act. Apost. II, 42, 47) : primos christianos fuisse « *perseverantes... in orationibus... quotidie... collaudantes Deum ;* » et quidem, ut dicitur (Eph. V, 19) : « *in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus.* » Hinc Plinius junior in epist. 97 ad imperatorem Trajanum, inter alia de christianis commemorat, quod

essent « *soliti stato die ante lucem convenire, et carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem.* » Accedunt CONSTITUTIONES vulgo APOSTOLICAE, in quibus (lib. VIII, c. 34), sic legitur : « *Precationes facite mane, tertia hora et sexta, nona et vespere, et ad galli cantum.* » Huc quoque pertinet quod legitur (ACT. III, 1) : « *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis* NONAM. » Et (*ibid.* X, 9) : « *Ascendit Petrus in superiora domus, ut oraret circa horam* SEXTAM. » Qui mos, certis scilicet horis preces ad Deum fundendi, velut notissimus commemoratur : tum a S. AUG. (epist. 130) : tum a S. HIER. (epist. 26), ubi loquens de iis quae in monasterio *Paulae* peragebantur, sic scribit : « *Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant.* » Et in hoc Christiani usum secuti sunt Judaeorum, qui statutis horis ad templum aut alium orationis locum conveniebant, Deum rogaturi, uti patet ex 2 ESD. IX, 3, ubi dicitur de Judaeis : « *Quater in die et quater confitebantur et adorabant Dominum Deum suum.* » Quod vero **formam** et **quantitatem** attinet, non fuit semper idem officium divinum usque ad saec. XVI, ubi S. PIUS V (7 Jul. 1568) per Bullam « *Quod a nobis* », BREVIARIUM ROMANUM fixit, eoque omnes uti jussit, exceptis his ecclesiis, quae alio vel a prima institutione a R. P. probata vel a 200 jam annis utebantur ; decrevitque insuper in altera Const. « *Ex proximo* » (12 Oct. 1571), neminem nisi *ea forma servata*, quae in eo continetur, satisfacere posse. Quod Breviarium Romanum denuo correctum est a CLEM. VIII, URB. VIII, LEON. XIII ; officiis Sanctorum continuo a RR. Pontificibus augeri consuevit, necnon certis officiis, quae pro singulis locis, dioecesibus, familiis religiosis indulta sunt, auctum est.

Q. 22. *Quinam* teneantur ad HORAS?

R. *Triplicis* generis personae obligantur ad HORAS : aliae ex titulo *Ordinis sacri;* aliae ex titulo *Beneficii :* aliae ex titulo *Religionis choro addictae.*

Resolvitur. 1. Obligantur : **Clerici in SS. Ordinibus** *constituti*, etiam excommunicati, suspensi, interdicti, apostatae, in carcere detenti, nisi legitimam dispensationem a R. P. obtinuerint. Excipiuntur tamen damnati ad triremes, et captivi apud infideles, quod eorum miseratione et ne recitatio cedat in dedecus status

ecclesiastici, introductum est. **Resol. 2.** Obligantur : **Beneficiati,** etiam tantum *tonsurati*. Ut tamen quis titulo *beneficii* ad horas teneatur, requiritur ex Spor. et aliis : **A**) actualis possessio beneficii, nisi propria sua culpa possessionem non sit adeptus; **B**) possessio illius pacifica; **C**) perceptio fructuum beneficii; **D**) ut beneficium non sit nimis tenue, quod nimirum, detractis oneribus, v. g. missarum stipendiis, ne quidem tertiam aut quartam partem congruae sustentationis praestet, cum sic quasi pro nullo habeatur; nisi forte plura hujusmodi beneficia possideat, et omnium simul reditus hanc partem excedant. Sed hanc quartam conditionem, fatente Spor., non admittunt omnes, eamque rejiciendam esse contendunt per declarationes S. Concilii (6 April. 1647 et 5 Aug. 1782), in quibus dicitur beneficiatos teneri ad horas, etiamsi beneficium sit tenue; idque non obstante contraria consuetudine. Excipiuntur tamen quaedam beneficia, quibus fundator expresse, approbante Ecclesia, quasdam alias breviores dumtaxat preces voluit annectere. **Resol 3.** Obligantur : **Religiosi omnes utriusque sexus in ordine ab Ecclesia approbato solemniter professi et ad chorum destinati**, ita ut sub gravi teneantur horas recitare, vel publice in choro, vel privatim, si culpabiliter vel inculpabiliter absint; quae obligatio oritur : vel ex propria regula, ut apud Fratres minores, ex Const. Bened. XII « *Redemptor noster* » et Servitas ex decreto Clem. VIII « *Nullus omnino* » ap. N. R. T. (XXIX, 61), vel ex generali consuetudine vim legis habente. Nihilominus ex quacumque rationabili causa satisfacere possunt recitando laicorum vel laicarum preces, (ut si religiosi sint laxati ex itinere vel concione, aut si monialis sit scrupulosa, extraordinarie defatigata vel occupata in utilibus ministeriis); vel per ipsorum antistites, etiam inferiores, penitus dispensari possunt, ut puta studiorum causa. Nec *singuli* tenentur in choro eas recitare, sed *communitas*; nihilominus si non adsint saltem quatuor expediti, i. e. validi et liberi, vel etiam tantum novitii, quippe qui in favorabilibus aequiparentur professis, chorus cessat.—Ceterum, qui occupatus ministerio ad chorum pertinente, v. g. deferendo libros, luminaria, pulsando campanas vel organa, lectiones aut psalmos perquirendo, revidendo, ne erret, etc., aliqua hinc inde omittit vel non percipit, non tenetur repetere : quia chorus, cujus est membrum, supplet pro ipso, saltem si aliis recitantibus, quantum moraliter potest,

attendat. Idem est de illo, qui tussit vel aliquid necessarium alteri dicit, vel quaedam ab aliis recitata non satis percipit sive ob strepitum, sive ob nimiam celeritatem apud quosdam. Imo, quamvis surdus, si possit solus orare, non satisfaciat orando cum socio, satisfacit tamen, si in choro recitet : quia cum, ut suppono, teneatur adesse choro, non censetur velle Ecclesia, pia mater, ut bis recit. Ita Scar. cum aliis. Opposita tamen sententia « *magis placet* » S. Lig. (IV, 163 . — Dixi : **solemniter professi.** Hinc **A**) quum professioni solemni nunc praemitti debeat votorum simplicium triennium, eo durante, professi votorum simplicium, ut constat ex resp. S. Congr. *super statu Regularium* (6 Aug. 1858) ap. N. R. T. (XIV, 241) non tenentur ad privatam recitationem divini officii : debent tamen choro interesse ut solemniter professi. Quod valet etiam pro professis votorum simplicium in ordine Fratrum minorum, ut constet ex decisione ejusdem Congregat. (24 Mart. 1882) ap. N. R. T. *ibid.* pag. 244. Hinc **B**) moniales in Gallia, cum nec vota solemnia emittere, neque esse moniales stricte tales, sed piarum tantum feminarum societates, pluries responsum fuerit, ideo illae non alia obligatione tenentur, quam ea quae ex respectivis constitutionibus resultat. Hinc **C**) novis institutis votorum simplicium, quae in dies formantur, S. Congregatio recitationem Officii parvi B. M. V. plerumque praescribit, at sine ulla gravi obligatione, cum passim declaratum sit, regulas hujusmodi Institutorum obligare sub gravi in his dumtaxat, quae vota respiciunt, vel lege divina seu ecclesiastica praecepta sunt. Cfr. dicta (pag. 38).

Q. 23. A quo *Tempore* incipiat *obligatio* recitandi HORAS?
R. *Distinguendum est.*

Explanatur. Obligatio recitandi HORAS oritur : vel ex titulo **beneficii** ; vel ex titulo **Ordinis Sacri** ; vel ex titulo **Professionis religiosae.** Si **Primum** : incipit a *die* initae possessionis beneficii. Si **Secundum** et **Tertium** : incipit ab *hora* suscepti S. Ordinis vel editae solemnis professionis ; adeoque in primo casu EX MATUTINO, in secundo et tertio EX EA OFFICII PARTE, quae horae ejus diei, non quae chori, respondet. Hora autem seu tempus non *civiliter*, sed *canonice* definiri debet : sic PRIMA respondet horae diei sextae ; TERTIA nonae ; SEXTA duodecimae ; NONA tertiae pome-

ridianae. Quare ordinatus v. g. meridie, incipere debet a SEXTA. Quod si ordinetur tempore medio inter horam nostram sextam et nonam, sufficit, ut officium a TERTIA inchoet. Nihilominus si quis qua hora subdiaconatum init vel professionem edit, totum ejus diei officium per anticipationem jam absolverit, *probabile est*, fatente S. LIG. (IV, 140), eum satisfecisse, quippe officium *pensum diei est*. Aliunde debitum certe contrahendum potest per se anticipate rite solvi. Nec dicatur subdiaconum, priusquam ordinatus sit, officium dicere non posse nomine Ecclesiae. Id enim nimis probaret. Sequeretur enim sacerdotem excommunicatum non posse satisfacere, qui etiam non amplius agit aut orat nomine Ecclesiae.

Q. 24. Dic : 1°) *Qualis* sit *obligatio* recitandi HORAS — et 2°) sub qua *poena?*

R. Ad 1^{um}) Est obligatio de se gravis, ita ut omnes, qui HORAS recitare tenentur, graviter peccent contra virtutem religionis, si totum officium, vel partem ejus notabilem, absque legitima causa omittant.

Explanatur. Dixi : **vel partem ejus notabilem** : qualis est parva hora, v. g. *nona*, vel quaelibet pars officii ipsi aequivalens, v. g. *unum nocturnum*. Hinc peccat mortaliter qui in diversis horis culpabiliter tantum omittit quantum est integra hora ; quia sicut partes ad idem officium pertinentes moraliter coalescunt, ita et earum omissiones. E contra omittens verperas in *sabbato sancto*, cum sint brevissimae, nec parvae horae aequivaleant, non nisi venialiter peccat. Item a mortali excusatur, qui omitteret tertiam vel etiam dimidiam partem alicujus horae. Praeterea adnotandum heic est : in **Commemoratione omnium fidelium defunctorum,** horum quoque officium *sub gravi* recitandum esse. Utrum et *Litaniae* cum suis precibus et orationibus, diebus **Marci** et **Rogationum,** non satis convenit inter DD. *Negativam* sententiam S. ALPH. (IV, 191) non ausit improbabilem dicere. Utcumque sit, hae pridie recitari non possunt, quippe solemnis ejus diei supplicationis quasi partem constituunt. — Ceterum, etsi officium constet pluribus horis, hae omnes uno praecepto continentur ; ideo licet omnes omittat quis, unum dumtaxat peccatum admittit, etsi eo teneatur tum ex S. Ordine vel professione religiosa, tum ex beneficio, quia utrobi-

que religio est. Si plures tamen horae omitterentur ex intentionibus malis pluries interruptis et resumptis, plura peccata committeret : quia tunc omnes omissiones ex se graves fiunt unae ab aliis independentes.

R. Ad 2^um^) Ex Conc. LATERAN. V sub LEON. X, beneficiatus qui culpabiliter officium non recitaverit in materia gravi, elapsis sex mensibus a beneficii possessione, tenetur in posterum pro rata omissionis fructus restituere ; ita ut, explicante S. PIO V (Const, « *Ex proximo* »), pro toto officio diei teneatur restituere omnes fructus illius diei ; pro matutino aut reliquis horis mediam partem; pro una ex minoribus sextam partem.

Explanatur. Juxta sententiam quae a BILL. vocatur « *probabilior* », et a SPOR. « *probabilissima* », hae Pontificiae Constitutiones ex benigna interpretatione ita usu receptae sunt, ut beneficiatus omittens breviarium, si praeter horas aliud onus seu officium annexum habeat, quod rite peragat, velut si curatus sacramenta administret, capellanus sacra celebret, etc., non teneatur restituere omnes fructus illius diei, sed tantum partem proportionaliter respondentem officio neglecto, i. e. tantum, quantum, habito respectu ad alia munia seu onera, prudentis judicio respondet officio horarum neglecto ; secus si omnes omnino reditus illius diei absolute deberet restituere, ejus conditio esset nimis dura. Hinc videtur sufficere, si Episcopus vel Parochus restituat *quintam* partem redituum illius diei ; Canonicus *quartam*, Capellanus *tertiam*. Cfr. S. LIG. (III,673). Haec quidem restitutio, non ex justitia debetur, cum a Conc. LATERAN. fuerit introducta ; sed est quasi poena *conventionalis*, obligans adeoque in conscientia ante omnem sententiam judicis. Quo spectat propositio damnata ab ALEX. VII sub n. 20 : « *Restitutio a* PIO V *imposita beneficiatis, non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam judicis, eo quod sit poena.* » Fieri autem debet aut ecclesiae in qua quis habet beneficium, aut alteri ecclesiae pauperi, aut pauperibus, etiam propinquis, imo sibi ipsi fieri potest, si ipse beneficiarius sit vere pauper et non in fraudem omiserit, eo quod sciat se titulo paupertatis posse fructus retinere. Quin imo etiam in partem satisfactionis computare potest eleemosynas a tem-

pore neglecti Breviarii, etsi sine reflexione ad illam omissionem Breviarii elargitas, ob virtualem intentionem, qua dans eleemosynam satisfacere intendit obligationibus quas suis peccatis contraxit. Non tamen supplere poterit per eleemosynas, quas *antea*, i. e. ante tempus neglecti Breviarii de fructibus sui beneficii fecerit, uti constat ex propositione damnata ab ALEX. VIII sub n. 33 ; *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas* ANTEA *beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* » Et quoniam nomine *pauperum* etiam veniunt animae in purgatorio detentae, recte notat CONCINA apud S. LIG. (III, 672) « *posse beneficiarium fructus restituere, ut celebrentur Missae vel alia suffragia applicentur pro defunctis.* »

Q 25 An qui *dubitat* utrum partem notabilem omiserit. *obligetur* eam recitare?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **scrupulosis,** vel **non.** Si **primum** : non sunt obligandi ad recitandum, cum istorum dubia, maxime in his rebus, spernenda sint, veluti inanes apprehensiones. Si **secundum** : *subdistinguendum* est. **A)** Vel dubium est mere **negativum,** ut si nullam habeas rationem vel conjecturam quod jam dixeris, et tunc tenet obligatio, quia in dubio possessio stat pro praecepto. **B)** Vel dubium est **positivum,** ut quando probabiliter judicas te jam recitasse : v. g. si memineris te incoepisse psalmum vel aliam partem, et soleas de more perficere quod incoepisti ; aut si deveneris ad aliquam horam, puta *Nonam,* et dubites utrum praecedentem recitaveris ; tunc DD. *disputant* (tom. I, p. 92). Te teneri, alii *affirmant ;* alii communissime *negant,* quorum sententia est *practice tuta :* quia praesumptio, quod soleas perficere quod incoepisti, nec recitare horam posteriorem, nisi priorem praemiseris, tibi favet ; jam vero « *in dubiis pro eo standum est pro quo stat praesumptio ;* » item « *in dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus.* » Accedit ita praesumendum esse de Deo, ne exponamur infinitis anxietatibus et molestiis, cum nimis facile obliviscamur eorum quae fecimus. Sic quoque docuit S. ALPH. (IV, 150), qui tamen postea ab hac sententia discessit (*Elen.* II. qq. ref. n. I).

Q. 26. *Quodnam* OFFICIUM sit recitandum?

R. Recitandum est officium proprium currentis diei, i. e. ex

eo Breviaro quo quisque legitime utitur, et juxta calendarium festorum ; quamvis in casibus dubiis certum alicui videatur errare calendarium, v. g. quoad translationem alicujus festi, uti constat ex S. R. C. (23 Maji 1835) ; nisi error sit *evidens* contra Rubricas vel decreta, uti declaravit eadem S. R. C. (27 Aug. 1836 et 23 Febr. 1839).

Resolvitur. 1. Regulares degentes extra monasterium tenentur ad Breviarium sui Ordinis ex vi professionis, cujus vinculo obligantur quocumque ierint (S. Lig. IV, 161). Quod si choro sint addicti et in alieno conventu sui Ordinis moram faciant, sequi debent officium illius conventus, «*quia debent choro ibi interesse*», ut declaravit S. R. C. (ap. Gard. n. 4874 et 5175). Unde quoque ad **dubium** : «*Quodnam calendarium sequi debeant illi qui praedicationis vel alia ex rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt?* » S. R. C. **respondit** 27 Jun. 1896 : « *Si in choro, standum calendario coenobii apud quod religiosi hospitantur; si privatim, servandum calendarium coenobii e quo discesserunt,* » Ap. N. R. T. (XXVIII, 677, et XXIX, pag. 112 seq.). **Resol. 2.** « Beneficiati tenentur semper ad officium propriae ecclesiae ; simplices vero sacerdotes conformari *possunt* officio loci, ubi *morantur; vagis* consultius est, ut dioecesis propriae calendario utantur, quia secus magna confusio officiorum oriretur. Ita S. R. C. (12 Nov. 1831).

Q. 27. An *satisfaciat*, qui *unum* OFFICIUM recitet pro *alio?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel id fecit **consulto**, vel **inconsulto**.

Si **primum**, *subdistinguendum est :* **A**) Qui scienter et absque rationabili causa aliud officium **fere aequale** pro officio diei recitat, satisfacit, quamvis *levi* non careat ; et nedum, si hoc fecerit ter solum vel quater in anno ; sed, etsi saepius, quae multorum et juxta S. Lig. (IV, 161), «*satis probabilis*» sententia est. Imo, caret et *levi*, si fecerit ex justa aliqua causa, ut puta studii, concionis, itineris, specialis devotionis, vel ut recitet cum socio. Et ita ex S. Lig. (IV, 161 et *Exam. Ord.* n. 71) capellani et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in Officio ; item qui obeunt

exercitia spiritualia apud Religiosos. Quod vero addit S. Lig. : « *Idem dicitur de capellano Monialium, qui, cum possit legere Missam de Sancto Ordinis, etiam potest de eo dicere officium ;* » id, inquam, admitti nequit ex S. R. C. (21 Mart. 1795 et 17 Aug. 1853). **B**) Qui scienter et absque rationabili causa aliud officium **notabiliter brevius** recitat, veluti in die Palmarum officium Paschatis aut Pentecostis, non satisfacit, ut constat ex prop. damnata ab Alex. VII sub n. 34 : « *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit praecepto.* » Dixi : *absque rationabili causa.* Quare excusatur ab omni culpa, qui id fecerit causa v. g. infirmae valetudinis, aut magnae defatigationis.

Si **secundum**, satisfacit, et obtinet axioma : *officium stat pro officio*, ne recitans cogatur bis in eodem die tantum onus subire ; dummodo, si recitaverit *notabiliter brevius*, v. g. officium Sancti alicujus loco officii dominicae, suppleat quod plus erat in proprio, recitando v. g. in casu novem psalmos ex Primo Nocturno. Quod si recitata modica officii parte, animadvertat se errasse, in potestate sua erit coeptum vel proprium officium prosequi. « Sed puto, ait S. Lig. (IV, 161 q. V) melius esse recitare de proprio, ne errorem prosequaris, » juxta illud : *Error corrigitur, ubi deprehenditur.* Ceterum, sive *consulto* quis egerit, sive *inconsulto*, qua die subinde recitatum officium cadit, hoc iterum, non vero omissum, probabilius recitandum erit, ne bis erret, ut eruitur ex decreto S. C. R. (17 Jun. 1673).

Q. 28. *Quonam tempore* officium sit recitandum ?

R. 1°) Ad vitandum *mortale* peccatum, sufficit, ut recitetur integrum officium intra diem naturalem, i. e. a media nocte usque ad aliam mediam noctem. Cuique autem *liberum* est, tam in jejunio naturali servando, quam in Officio divino recitando, sequi vel tempus *verum*, i. e. quod indicat horologium solare, vel tempus *medium*, i. e. quod signant horologia publica, uti constat ex S. Poenit. (18 Jun. 1873 et 29 Nov. 1882). Ap. N. R. T. (XV, 128 seq. et XXIV, 662 seq.). Imo, ex privilegio consuetudine introducto, Matutinum cum Laudibus permittitur recitari a *vesperis* diei praecedentis.

Explanatur. Dixi 1°) : **ad vitandum mortale**. Utrum enim

peccetur *venialiter*, si quis, officio integro recitato ante mediam noctem diei, absque ulla rationabili causa, non servet tempus pro unaquaque hora determinatum, DD. *disputant*. Alii *negant* : quia nullum datur jus scriptum; atque consuetudini contrariae, si quando fuit, videtur derogatum, quum fere omnes sine ullo scrupulo pro sua commoditate horas dicant. Alii communius *affirmant*. Juxta illos peccares venialiter, si *absque causa* dicas PRIMAM et TERTIAM, et a fortiori MATUTINUM et LAUDES post meridiem; aut VESPERAS et COMPLETORIUM ante meridiem. In quadragesima tamen a prima dominica, VESPERAE ante meridiem recitari *possunt*, et in choro *debent*, in memoriam antiquae disciplinae, juxta quam non frangebatur jejunium ante VESPERARUM recitationem. Excipiuntur dies *Dominici* : quia iis diebus jejunium non servatur. NONA vero et SEXTA ante vel post meridiem recitari possunt. *Causa* autem *rationabilis* foret ex S. LIG. (IV, 173), LACROIX (IV, 1515), SALM. (XVI, c. III, n. 8) ap. N. R. T. (IX, 227) : v. g. iter necessarium vel utile; concio paranda vel audienda; periculum supervenientis occupationis; major devotio, vel tranquillitas, vel loci quies, vel tempus aptius ad studendum, et generatim juxta S. ANTONINUM : « *Melius est praevenire quam tardare; quia praevenire est providentiae; tardare vero est negligentiae.* » Dixi 2° : **a vesperis diei praecedentis**, i. e. juxta *communiorem* sententiam, ab ea hora, quae est media inter meridiem et solis occasum. Quae hora pro diversis anni temporibus indicatur in tabellis quae Directorio praefigi solent.—Quin, et recitari posse, saltem ex rationabili causa, omni quidem anni tempore, *secunda hora post meridiem*, sententia est, cui ipsemet S. ALPH. fatetur se olim adhaesisse, quam multi, quos inter SANCH., SALM., QUINTAN., LEAND., BALL., PALM., etc., tuentur et, etiam Romae, practicant; multi non reprobant; multi probabilem putant. « *Nec immerito*, ait cl. D'ANNIBALE : *quia nullo certo jure, sive scripto, sive non scripto, explodi potest.* » Additque : « *Quamobrem existimo regulariter non esse inquietandos qui bona fide ab ea hora recitaverint* MATUTINUM. » Subjungit cl. BUCCERONI S. J., hodiernus Prof. theol. mor. in Collegio Romano, Examinator apostolicus cleri Romani, etc., etc. (tom. 2, pag. 42) : « *Et hanc sententiam post cl.* BALLERINIUM *plures* IN PRAESENTI *tenent et* PROBATI *Doctores... Et si ecclesiastica dies ex ipso* S. ALPH. *et ex*

S. THOM. *post dictas vesperas incipit, quae ex praesenti vitae usu hora circiter secunda a meridie dici solent, cur tunc Matutinum et Laudes recitari non possunt? Et haec sententia non* LAXITATI *et* NEGLIGENTIAE, *sed* DILIGENTIAE *certe favet in horis canonicis recitandis.* » Quod vero *Indulta* attinet recitandi privatim Matutinum cum Laudibus statim elapsa hora secunda pomeridiana « *dummodo rationabilis causa concurrat,* » quam clausulam explicat N. R. T. (IX, 227), notum est ex BENED. XIV (*Quaest. can.* 183, n. 26-27) cujusvis dispensationis aut facultatis concessionem vel negationem per SS. Congregationes neque controversiarum statum, neque jurium conditionem ullo modo immutare.—Praeterea in praesentem disputationem, placet haec breviter adnotare. Ut dirimerent quaestionem inter DD. agitatam : num liceat omni tempore recitationem MATUTINI incipere hora secunda post meridiem, nonnulli attulerant praetensam responsionem S. C. EPISC. et REG. (2 Mart. 1853) : « *Non licere absque speciali apostolico indulto.* » Ap. N. R. T. (XIII, 685). At, factis ubique Romae perquisitionibus, non modo in Secretaria memoratae Congregationis, sed etiam in archiviis S. C. CONC. et S. C. RIT., praetensa responsio reperiri non valuit, nec gaudet proinde debita auctoritate. Ap. N. R. T. (XIV, 323). Postea ad **Dubium** : « *Quanam hora liceat incipere privatam recitationem* MATUTINI *cum* LAUDIBUS *Vespere diei praecedentis?* » **Respondit** S. C. RIT. (16 Mart. 1876) : « *Privatam recitationem* MATUTINI *cum* LAUDIBUS *diei subsequentis incipi posse, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum.* » Ap. N. R. T. (XIV, 324). Denique ad **Dubium** : « *An praedicta responsio ita intelligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui* MATUTINUM *cum* LAUDIBUS *Vespere diei praecedentis recitaret, priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum?* » **Respondit** S. C. RIT. (13 Jul. 1883) : « *Consulantur probati auctores.* » Ap. N. R. T. (XVIII, 560). Super hanc questionem, praeter doctos articulos in N. R. T. (XIX et XX), consuli potest praeclara Dissertatio quam conscripsit P. E. GEBRUERS, Mech. 1889.

Resolvitur. 1. *Per se* seu *absolute* loquendo, recitatio Matutini cum Laudibus diei subsequentis licite incipi nequit, antequam sol medium cursum teneat inter meridiem et occasum. Id enim satis eruitur ex responso S. C. RIT. (16 Mart. 1876). Unde ad

liceitatem requiritur, ut *rationabilis causa concurrat*, qualis adesse censetur in casibus supra (pag. 291) indicatis. **Resol. 2.** Utrum vero qui ante tempus praedictum recitaret Matutinum, suae obligationi satisfaceret necne, est controversia quam hucusque S. Sedes dirimere noluit. Talem **satisfacere** ac proinde recitationem non debere iterari, *affirmat* sententia, quae publice, etiam Romae, uti *vere probabilis* a **probatis** Magistris edocetur

R. 2°) Utrum vero sacerdos teneatur, saltem *sub levi*, recitare Matutinum et Laudes ante Missae celebrationem, *controvertitur*. Alii *affirmant*, ita ut peccetur venialiter, nisi adsit quaedam mediocris causa rationabilis. Alii *negant*, eo quod nulla exstet lex sub culpa hoc praecipiens, et Rubrica sit tantum de consilio in hoc casu, maxime si missa sit *de requiem* : tunc enim nulla omnino vel levis adest connexio inter Missam et officium.

Explanatur. Nonnulli docuerunt cum S. Antonino esse mortale Missam celebrare ante recitationem Matutini et Laudum. Cui sententiae favet Innoc. IV, in quadam Const. an. 1254 edita ita pronuncians : « *Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo : sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non praesumant.* » At, juxta S. Lig. (VI, 347) « *communior* et *probabilior* » sententia est, quae tradit cum Bened. XIV (*de sacrif. miss.*, sect. 2. n. 102) et Bill., *extra chorum* id quidem non esse mortale : tum quia non est necessaria dispositio ad celebrandum ; tum quia hujusmodi gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ; si vero absit causa, perdifficile id a culpa veniali excusari posse, quia hujusmodi omissio in Rubrica jam inter defectus computatur et ideo recitatio non potest dici de mero consilio. Excusat autem ex Bill. « *aliqua honesta causa* », seu, ut habet S. Lig. (l. c.) : « *quaelibet mediocris causa rationabilis* », ut studium, iter, voluntas superioris, exspectatio populi, etc. Dixi : *extra chorum;* nam dicunt communiter DD., in choro Missam conventualem ante officium nocturnum in choro dictum celebrare, nisi adsit gravis et publica causa, quae scandalum removeat, grave esse peccatum : « *Id enim*, ait Bened. XIV (l. c.), *est contra generalem Ecclesiae consuetudinem.* »

Q. 29. Dic : 1°) Quo *situ* corporis vel *loco* recitari possit OFFICIUM *privatum?* et 2° An *satisfaciat* recitans in statu *peccati mortalis?*

R. Ad 1^{um}) Per se potest recitari in quocumque situ vel loco, nisi per accidens illa obstent debitae devotioni et attentioni.

Explanatur. Cum enim Deus sit ubique locorum, licet eum ubique orare, juxta PAULUM (I Tim. II, 8) : « *Volo ergo viros orare in omni loco.* » Unde per se recitari potest in via, in curru, in stabulo, etc., etiamsi alii adsint itinerantes et confabulantes, et Rubrica, quae *stare*, *genuflectere* etc., jubet, ad *chorum* pertinet. Imo, juxta SUAR., SANCH., probabilius nec illicitum foret in loco indecenti : quia potest ibi mente orari, ergo et voce. « Consilii tamen est, ait MAZZ. et LACROIX, in talibus locis non recitare; imo si talem locum vel tempus temere deligeres, peccares *venialiter* secundum TAMB., et alios; ideoque D. THOM. (in citata verba PAULI) apud SUAR., quamvis pro oratione mentali nullum omnino locum excipiat, tamen addit, ad exhibenda externa orationis signa non omnia loca esse accommodata, sed oportere vel scandali vel publicae aedificationis rationem habere. » Censet quoque CONCINA apud S. LIG. (IV, 179) non excusari a veniali, qui *sine causa* officium recitaret decumbendo in lecto. Concinit SASS.

R. Ad 2^{um}) Affirmative. Nec peccaret *mortaliter*, etiamsi peccator haberet *actuale* propositum peccandi. Ita « *verior et communior sententia,* » juxta S. LIG. (IV, 178).

Explanatur. Quod 1°) **satisfaciat**, ratio est : quia lex adimpleri potest sine charitate, nisi hanc includat in substantia, ut v. g. praeceptum diligendi Deum. Unde a S. PIO V damnata fuit haec BAII propositio : « *Non est vera legis obedientia quae fit sine charitate.* » (tom. I. pag. 149). Quod 2°) **non peccet mortaliter,** ratio est ex S. LIG (l. c.) : « Quia ex una parte recitatio officii non est actus Ordinis Sacri... ; ex alia, quamvis in tali dispositione nihil sibi impetret, cum tamen oret nomine Ecclesiae, bene potest obtinere pro aliis. Quod autem oret nomine Ecclesiae, cum proposito peccandi, non videtur tanta irreverentia, ut damnetur de mortali, licet non videatur posse excusari saltem a veniali. »

Q. 30. Quo *ordine* recitandum sit OFFICIUM ?

R. Eo ordine, quo exponitur in Breviario, ita ut nec HORAE intervertantur, neve HORAE partes. Sed utrumque, extra chorum et secluso contemptu, est leve, etiamsi fiat frequenter : quia remanet salva substantia praecepti ; imo omni culpa vacat, si adsit justa intervertendi ratio, puta : 1°) Si inviteris ab amico ad recitandum cum ipso. 2°) Si non habeas prompte Breviarium, nec possis commode exspectare. 3°) Si quis tarde ad chorum accedat, officio jam incoepto. Ita S. LIG. (IV, 170).

Explanatur. Dixi : **extra chorum** ; nam *in choro*, utrum sit peccatum grave, inter DD. *controvertitur*. Alii *affirmant* cum CONC. ; alii *negant* cum CAJ. Utraque sententia est probabilis ; sed negans « videtur *probabilior*, ait S. LIG. (IV, 171), eo quod non constet de gravi praecepto super hac re imposita. »

Q. 31. An OFFICIUM recitandum sit *continuo* sine *interruptione ?*

R. *Affirmative*. Nunquam tamen est *mortale* HORAS, etiam *notabiliter*, interrumpere : quia continuatio non est de substantia praecepti, cum singuli psalmi, imo et singuli psalmi versiculi habeant completam significationem, et integrent totum per hoc, quod intra tempus, quo durat obligatio, dicantur.

Resolvitur. Quare non peccat *graviter*, qui MATUTINUM absolvat coeptum pridie, etsi differat sine causa. Imo interruptio caret omni culpa, si vel non longior fuerit, vel ex causa honesta fiat, quamvis non gravi : ut si voceris a superiore ; si aliquid occurrat ex officio, charitate, vel urbanitate faciendum, v. g. confessio audienda, alloquium alicui dandum, etc. ; vel si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem vel sollicitudinem ne obliviscaris. Ceterum LAUDES a MATUTINO, vel sine causa, separare licet ex antiqua consuetudine. Sed tunc ex S. LIG. (IV, 167) « debet adjici *Pater noster*, ut bene ait *Croix* ex Rubrica, quae praecipit, ut dicatur *Pater* post quamcumque horam, quando terminatur officium. » Utrum vero sit etiam addenda *oratio*, diu *disputatum* fuit. At hodie constat ex S. RIT. C. (18 Maii 1883) « MATUTINUM *in casu concludendum cum oratione de officio diei ;* LAUDES *inchoandas ut in Psalterio* » ; adeoque omisso *Pater* et *Ave*. Itaque, quando Laudes separantur a Matutino, tunc pro conclusione Matutini fiant sequentia : primo post

Te Deum, aut ultimum responsorium, dicatur *Dominus vobiscum* : dein *oratio* propria officii diei tantum, qua dicta, additur *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animae*, etc. ; tandem, ut satisfiat generali regulae Psalterii, quae ponitur in fine Completorii, additur *oratio Dominica*. De quibus omnibus constat ex decreto sequenti : « *A Sacra Rituum Congregatione, quum exquisitum fuerit, an quoties in privata recitatione separantur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit, post respectivam orationem per* Dominus vobiscum, etc. ; *et* Fidelium animae etc., *necnon* Pater noster *juxta sententiam quam tradit S. Alph. de Lig. in suo opere Theol. Mor. lib. IV, a. 4, n. 107 ?* » Sacra eadem Congregatio **respondit** : *Affirmative*. Atque ita respondit ac rescripsit die 7 Febr. 1886. » Laudes cum postea dicuntur, inchoantur omissis *Pater noster* et *Ave Maria* per *Deus in adjutorium*, ut indicatur in Psalterio.

Imo, ex S. Lig. (IV, 167) tres ipsi Nocturni possunt probabiliter, etiam sine causa, licite a se invicem separari per spatium trium horarum : cum, teste S. Thoma (in 1 Cor. cap. 14, lect. 6), cui concinunt S. Hier., S. Isid., Hug. a S. Vict., Th. Wal., Dur., Nav., hujusmodi distantia in antiquo ritu servaretur. Quod intervallum ulterius protrahi poterit, si adsit justa causa. Imo « tuto extenditur, quamdiu durat causa ob quam mora fuit imposita, et in hac re scrupulose nequaquam procedendum est, » ait De Herdt, qui et addit : « In casu autem separationis opus non est, ut Nocturnum collecta et oratione dominicali concludatur et in principio alterius *Pater* et *Ave* recitentur ; quia tamen, ut scribit Gav., tunc ut horae distinctae recitantur, haec apposite adjunguntur. »

Q. 32. *Quomodo* recitandum sit officium ?

R. Ex Conc. Lateran. IV, cap. 9 « *Dolentes* » (*de celebr. Miss.* l. 3, t. 11), recitandum est : « studiose.... *pariter et* devote. »

Explanatur. 1°) Vox **studiose** pertinet ad munus *oris*, et importat, ut officium persolvatur **vocaliter**, i. e. voce et quidem distincta, absque syncope et mutilatione verborum. Non tamen requiritur, ut recitans semetipsum revera audiat : « *cum*, ut ait Sylvius, *praeceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum* horas. »

Aliunde si hoc requireretur, surdus satisfacere non posset. Utrum saltem requiratur, verba ita proferre, ut quis seipsum audire *possit*, nisi aliquod impedimentum adsit ; an vero sufficiat, si per compressionem aeris ad dentes et labia ita formentur in ore, ut recitans verba omnia in ore sensibiliter pronuntiet et percipiat per auditum quasi interiorem, quamvis vox exterior non audiatur, inter DD. *disputatur*. Primum requiri, *affirmant* nonnulli : « quia verba, quae auditu percipi non possunt, non videntur verba, sed quidam motus in gutture seu inter dentes facti, qui potius sunt inchoatio verborum quam verba ». Ita Palaus, cui concinunt Suar., alii, quos refert S. Lig. (IV, 163 et VI, 414). Secundum sufficere, asserunt probabiliter alii cum Sylv. : « quia oratio potest ore et voce fieri, etiamsi non audiatur ab ipso recitante, et ex se sit sonus quidam formatus ex allisione aeris ad dentes et labia. » Quod confirmatur ex verbis (I Reg. I, 10 seq.) : « *Anna*... oravit *ad Dominum*... *dicens : Domine exercituum*, etc. » Deinde additur : « *Porro Anna loquebatur in corde suo tantumque labia illius movebantur et vox penitus non audiebatur*. » Et haec sententia, quam Tournely asserit esse *communem*, est tuta in praxi, ubi agitur de officio recitando. Secus vero dicendum, ubi agitur de *confectione sacramentorum* in quibus, excepto matrimonio, requiruntur verba formalia, ut suo loco videbitur. Quare peccaret mortaliter qui sic proferret verba consecrationis, absolutionis, etc., ut sepositis impedimentis ne seipsum quidem audire possit. Ratio ex S. Lig. (VI, 414) est : « Quia cum opposita sententia Palai et aliorum, ut supra, sit etiam probabilis, exponeretur sacramentum periculo nullitatis, quod certe illicitum est ex propositione prima damnata ab Innoc. XI. » — Qui vero mutilat syncopando, truncando, balbutiendo, verba aut syllabas absorbendo, peccat pro quantitate materiae, nisi haec obrepant invito, i. e. vitio linguae, vel ex inadvertentia, vel ex habitu quem perperam corrigere studuit. Advertunt tamen DD., quod, nisi excessus sit enormis, raro habeatur peccatum grave in his casibus. 2°) Vocabulum vero **devote** pertinet ad officium *cordis*, atque duo importat : nempe, ut recitatio illa fiat tum cum debita **intentione**, tum cum **attentione.**

Q. 33. Qualis requiratur *intentio* et *attentio ?*

R. Ad 1um) Requiritur *intentio* seu volitio saltem generalis orandi seu colendi Deum.

Explanatur. Recitatio enim horarum, ut ab Ecclesia praecipitur, est actus religionis et cultus Dei ; sed recitatio horarum secundum se est indifferens : possum enim hoc facere temporis fallendi, scientiae vel curiositatis gratia ; ergo per intentionem recitantis debet determinari ad actum religionis. Et quidem in praxi est optima intentio quam in Breviario praefigit Ecclesia per orationem : *Aperi Domine*, etc. Non tamen requiritur : **A**) ut haec intentio sit **actualis explicita**, ut si dicas : *intendo orare, volo colere Deum ;* sed sufficit **virtualis implicita**, qualem habet is, qui vult horas recitare, quia in Sacris est ; item, qui deliberate ad chorum accedit, aut Breviarium suum assumit, ut horas suas recitet : in his enim et similibus actionibus includitur intentio colendi Deum, quae manet cum distractione etiam voluntaria ; quod notent scrupulosi, qui, dum horas recitarunt, non possunt prudenter dubitare de habita intentione orandi. Neque etiam requiritur : **B**) intentio de **implendo praecepto** : nam ad implendum praeceptum non requiritur animus ponendi rem praeceptam ut praeceptam, sed sufficit, ut illam actu ponat ; imo recitans implet, etiamsi positive intendat nolle implere : quia implens non potest non implere, cum satisfactio non pendeat a sua, sed a voluntate Ecclesiae (tom. I, pag. 147 seq.). Quare aliquis rogatus a socio, ut recitet cum eo officium, licet non velit nunc satisfacere, sed postea, satisfacit.

R. Ad 2um) Quod *attentionem* attinet, *distinguendum* est.

Explanatur. Attentio *duplex* est (tom. I, pag. 419 seq.) : **A**) **externa** una, excludens omnem externam actionem physice incompossibilem cum recitatione, relicta interim menti facultate quaquaversum vagandi ; **B**) **interna** alia, consistens in actu intellectus, quo quis advertit ad id quod agitur, et haec *triplex* ex S. Thom. (2. 2. q. 83, a. 13) distinguitur : **a**) *spiritualis*, quae est ad Deum ipsum, ut orationis terminum ; **b**) *litteralis* seu ad sensum verborum et rerum significationem ; **c**) *materialis* seu *superficialis*, quae fit ad verba tantum seu ad ea proferenda, ne error fiat. **Quo posito :**

Dico **primo** : *Certum* est, ad **validitatem** officii requiri attentionem **externam,** cum sine ea non possit haberi ipsa recitatio : unde v. g. fabulari, pingere, scribere, actiones sunt incompatibiles cum debita attentione ; aliter esset, si quis dum recitat, ambulat, se lavat, flores colligit, ignem excitat, montes aspicit, vel recitat ubi alii fabulantur vel canunt, modo his animum **serio** non applicet.

Dico **secundo** : Utrum praeter attentionem **externam,** insuper requiratur **interna,** saltem *materialis* seu *superficialis*, DD. *disputant*. Existimamus, sufficere **externam,** cum *non constet adesse praeceptum de attentione interna*. Aliunde, si requiretur interna, nec satisfaceret suae obligationi, qui involuntarie distractus horas recitaret, quippe, destructa quamvis inculpabiliter rei essentia, res ipsa destructa est. Hanc sententiam tuentur DD. gravissimi, quos inter S. Antonin. In eamdem quoque conspirasse S. Thom., variis argumentis ostendere conatur S. Lig. (IV, 177) cui haec sententia « *satis probabilis apparet.* » Hinc qui officium recitaverit distractus animi sciens volens, nec repetere debet, nec, si sit beneficiatus, fructus restituere. Quia tamen quaelibet voluntaria distractio est peccatum veniale contra praeceptum divinum naturale, ideo valde consulenda est attentio etiam *interior*.

Scholion. Haec dicta sunto de nuda praecepti observatione. Sat enim commendari nequit, ut **summo cum pietatis fervore** opus persolvamus cujus praestantiam his verbis extollit S. Lig. (*Selva*, p. III, c. 1) : « *Centum orationes privatae non possunt tantum pretium habere, quantum unica oratio officii divini includit ; quia haec Domino nomine totius Ecclesiae, ipsius Dei verbis offertur.,.. Firmiter nobis persuasum habeamus, post SS. Missae Sacrificium, nullum pretiosiorem in Ecclesia thesaurum reperiri officio divino, ex quo quotidie flumina gratiarum haurire possumus.* » Unde quoque TT., ad hanc pietatem fovendam, varia assignant **media,** quae juxta Voit duplicis generis distinguuntur : « Alia sunt *negativa*, v. g. non circumvagari oculis, non properare ad alia negotia ; alia *positiva*, v. g. frequenter renovare intentionem laudandi Deum, quod fieri facile poterit in fine Psalmorum, devote pronuntiando : *Gloria Patri* etc. ; saepius meminisse praesentis Dei, sensum verborum bene intelligere, ideoque interpretes Psalmorum saepe consulere ; attendere in homiliis ad vitas et virtutes

Sanctorum; denique pie attendere ad mysteria Passionis, quae per septem horas denotantur. » Concinit S. Lig. (IV, 177). — Denique in solatium notandum est, quod orationem **Sacrosanctae** cum *Pater* et *Ave* devote post Officium recitantibus Leo X, vivae vocis oraculo, « *defectus et culpas* (nempe veniales) *in eo persolvendo ex humana fragilitate contractus indulserit,* » i. e. poenas post culpam venialem remissam Deo debitas per modum indulgentiae benigne remiserit. Ad quam lucrandam indulgentiam « *necessario* FLEXIS GENIBUS *haec oratio est dicenda* » ex S. C. I. (12 Mart. 1853) excepto solo casu « *infirmitatis* », ut constat ex S. C. I. (26 Jul. 1855).

Q. 34. Quaenam sint CAUSAE *excusantes* a recitatione HORARUM ?

R. Sunt *quatuor* sequentes.

Explanatur. 1°) Impotentia physica seu omnimoda impossibilitas. Hinc excusantur : **A**) qui caecus est, nec memoriter scit Officium recitare; **B**) qui lingua est paralyticus, ita ut pronuntiare non possit; **C**) qui gravi morbo laborat, v. g. febri, dolore intestinorum, capitis, etsi per gravem culpam, v. g. ebrietatem, fuerit contractus : **D**) qui Breviario caret *omnino*. Utrum et is qui caret *proprio*, DD. *disputant*. Quidam *affirmant* : quia, nisi ea forma servata, satisfieri non potest. Alii *negant* cum S. Lig. (IV, 158) : quia duplex praeceptum est, alterum recitandi, alterum recitandi ex proprio Breviario.

2°) Impotentia moralis, i. e. magna difficultas recitandi; et locum habet, quando Officium recitari nequit absque gravi damno *proprio* vel *alieno*. Hinc excusantur : **A**) Qui morbo, etiam levi, laborant, si horas canonicas recitare nequeant sine incommodo gravi vel probabili ejus periculo; quod, in dubio, Medici vel Confessoris, aut viri prudentis judicium erit; immo et ipsius aegroti, si judicium de hac re ferre possit. Quod si dubium maneat, an recitatio sit nocitura necne, adhuc excusaris, cum possideas jus naturale de propria conservatione. **B**) Qui convalescit, donec vires reficiantur. Nec oberit, si forte eo die sacrum faciat, cum aliis sermones conserat, legat; quippe his levatur morbus, recitatione ingravescit. **C**) Qui tempore persecutionis timent, ne ex recitatione Breviarii prodantur. **D**) Quibus alia graviora officia obire necesse

est, quae non possunt omitti sine gravi suo vel alterius damno, vel sine scandalo; ut si oporteat confessiones audire, praesto esse infirmis, sedare jurgia, incumbere studio, non quidem *ordinarie* : nam damnata fuit ab Alex. VII sequens propositio sub n. 21 : « *Habens cappellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet ;* » sed ex causa *extraordinaria* eaque gravi, utputa periculi faciendi, concionis praeparandae vel publice legendi causa. At vero qui non potest totum officium recitare, debet eas horas recitare quas potest (tom. I, pag. 154 seq.). Constat ex prop. damnata ab Inxoc. XI sub n. 54 : « *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* » Excipiuntur infirmi, si dubitent, an possint, ne auxietates morbum aggravent (*loc. cit.*). Et si nec horam integram recitare possis, *probabilius* est, horae quoque partem recitandam esse, si ea sit tantumdem ac hora parva, v. g. psalmos Matutini quos prae manibus habes vel memoria tenes, si lectiones, carens Breviario vel caecus forte, recitare non possis: quia adhuc vestigium inest *formae* Officii divini. Secus, si quod memoria tenes non sit ejusdem horae pars, v. g. psalmum ex Matutino, ex Laudibus psalmum, ex Vesperis vel Completorio psalmum. Plures tamen dicunt, te ad nihil teneri in tali casu, quorum sententia « *satis probabilis videtur* » ait Gury. Nec obstat prop. damnata, quae agit de eo qui horas integras absolvere potest. Denique infirmus, vel quilibet alius, non valens recitare *solus*, tenetur adhibere *socium*, si facile eum invenire et commode eum adhibere possit. Quare non tenetur, eum cum anxietate quaerere, multoque minus soluto stipendio conducere, etiamsi Beneficium sit pingue et sufficientes adferat reditus.

3°) **Dispensatio legitima**. Et quidem R. Pontifex absolute et etiam sine causa potest valide dispensare. Episcopi etiam et superiores locales Regularium possunt cum suis subditis in hac lege dispensare, sed tantum cum sufficienti causa, in casu aliquo particulari et ad breve tempus; v. g. si dubitetur de impotentia morali, aut de gravitate detrimenti metuendi; vel difficilis sit recursus ad Papam; vel dispensatio petatur ob causam quae frequenter recurrit, ut ob infirmitatem; vel si petatur ab breve tempus.

Insuper, in Belgio, vi quinquennalium, possunt episcopi, ob justam causam, *commutare* Officium in rosarium vel alias preces. Ceterum, ubi quis legitima de causa a recitatione excusetur aut simpliciter dispensetur, Breviarii omissionem compensare per alias preces non tenetur.

Denique 4°) obligatio recitandi Officium evanescit, **cessante titulo**, ex quo orta est, scilicet : **A**) *abdicato beneficio* vel *amisso* ; **B**) *exstincto statu* cui adnexa ea fuerat, i. e. si hypodiaconus ex dispensatione R. P. coierit nuptias, aut Regularis ad saeculum ex indulto S. Sedis, aut etiam ejectus, redierit. Cfr. S. Lig. (IV,142).

Q. 35. *Quinam* clerici ad COELIBATUM teneantur ?

R. In Ecclesia *latina*, clerici omnes, SS. Ordines suscipientes, ipso facto obligationem COELIBATUS contrahunt ; i. e. ab episcopatu ad subdiaconatum usque inclusive tenentur servare perpetuam castitatem, ita ut nec licite possint uti matrimonio forte contracto ante suam ordinationem, nec licite nec valide illud in posterum contrahere,

Explanatur. Dixi : **In Ecclesia latina.** Nam apud **Graecos** disciplina diversa est. Vel enim 1°) agitur de *episcopis* ; vel 2°) de *presbyteris* et *diaconis* ; vel 3°) de *subdiaconis*. Si **Primum** : episcopis omnino prohibitum est, non solum contrahere matrimonium, sed et propria uxore uti post ordinationem, ita ut apud Graecos nullus ordinetur episcopus, nisi aut virgo sit, aut viduus, aut si uxoratus, continentiam polliceatur, Si **Secundum** : licitum est graecis presbyteris et diaconis retinere uxores legitime ante ordinationem ductas et uti conjugio ; sed ipsis prohibitum est, uxorem ducere post ordinationem. Si tandem **Tertium** : cum apud Graecos subdiaconatus inter SS. Ordines non adnumeretur, hinc praeceptum castitatis clericis non conjugatis in ordinatione diaconatus imponitur.

Q. 36. *Undenam* oriatur obligatio COELIBATUS ?

R. 1°) CERTUM est, eam non oriri *ex jure divino*.

Resolvitur. Hinc potest Ecclesia in ea dispensare, quae nunquam tamen dispensat cum constitutis in sacris, ut matrimonium inire possint, nisi ea lege, ut ab officiis clericalibus omnino arce-

antur. Sic Julius III dispensavit cum clericis saecularibus, puta, presbyteris, diaconis et subdiaconis in Anglia sub Maria regina, qui tempore schismatis anglicani matrimonium de facto attentaverant. Sic quoque Pius VII per Breve (15 Aug. 1801) convalidavit sacrilega matrimonia plurium sacerdotum, qui tempore perturbationis gallicanae nuptias inierant.

R. 2°) Utrum porro oriatur *ex voto*, an vero *ex praecepto Ecclesiae*, incertum est.

Explanatur. Est tamen sententia *probabilior* et *communior*, quae docet cum S. Thom. (2. 2. q. 88, a. 11) et Bened. XIV Const. « *Inter praeteritos* » §. 41 (3 Dec. 1749) obligationem eam non oriri immediate ex praecepto Ecclesiae, sed ex voto implicito, quod in ipso facto ordinationis emittitur : quia, etsi ordinandus verbis id non faciat, illud tamen facit facto, suscipiendo scilicet Ordinem, sicut praecipit Ecclesia; atqui Ecclesia praecipit, ut ordinandus promittat se caste victurum.

Resolvitur. 1. Utut sit, subdiaconi et alii in sacris constituti, si matrimonium contrahere attentaverint, peccant mortaliter peccato duplici : tum contra *castitatem*, tum contra *religionem*, sive quia violant votum, sive quia Ecclesia observantiam castitatis praecipit sub gravi ex motivo religionis, ob reverentiam Ordinis Sacri. **Resol. 2.** Quod si quis, recipiendo ordinationem, invincibiliter ignoraret tale votum ordinationi esse annexum, vel expresse nollet hoc emittere, ille, juxta communiorem sententiam, teneretur nihilominus ad castitatem, non quidem ex voto, sed ex praecepto Ecclesiae, quae ex motivo religionis eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret. S. Lig. (VI, 809). **Resol. 3.** Si quis ordinatur per metum extrinsecum injuste incussum et non habet animum suscipiendi Ordinem, non est valide ordinatus, nec tenetur ad coelibatum nec ad alia onera ; et etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur : quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Expedit tamen ut taliter ordinatus petat dispensationem, si nolit ordinem exercere, sed matrimonium inire. Teneretur vero, si metus fuerit juste incussus, vel si ordinatus scienter suam ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret (S. Lig. *Exam. Ord.* n. 59).

Q. 37. Quandonam *conjugatus*, constante matrimonio, possit SS. Ordinibus *initiari?*

R. Si id fiat de uxoris licentia expressa et omnino spontanea, et ipsa castitatem voveat. Non requiritur autem, ut ultra votum ipsa religionem profiteatur, nisi 1°) vir fiat episcopus, (quo casu uxor omnino debet religionem ingredi, vel nisi 2°) fiat religiosus, et uxor sit juvenis. Cfr. S. Lig. (VI, 812).

Scholion. Lex coelibatus ecclesiastici *triplicis* generis **inimicos** habet : **1°) Haereticos,** antiquos ac recentiores, qui contendunt coelibatum adversari Scripturae et antiquitati ecclesiasticae ; **2°) Incredulos**, qui volunt hanc legem improbari a jure ipso naturali ; **3°) Pseudopoliticos**, contendentes eam bono reipublicae ac societati nocere.—Placeat nonnullas eorum cavillationes in medium proferre. **Obj. 1.** Apostolus (1 Cor. VII, 2) generatim pronuntiat : « *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat et unaquaeque suum virum habeat.* » **Resp. 1.** Loquitur ad fideles ex paganismo conversos et conjugatos, suadetque ut unusquisque uxorem suam retineat utque conjugale debitum invicem reddant. Non dicit : ut unusquisque uxorem *ducat*, sed «*habeat*». **Resp. 2.** Si vis ibi commendationem matrimonii reperiri, necessario cum exceptione sumenda sunt illa verba : alioquin Paulus sibimet pugnaret, cum eodem capite *virginitatis* excellentiam tantopere commendet. **Inst.** Apostolus commendat continentiam non *absolute*, sed, ut ait, « *propter instantem necessitatem ;* » i. e. propter ingruentes persecutiones, quibus factum est, ut per tria priora saecula vix esset vel ex ipsis laicis, qui uxorem ducere vellet. **Resp.** Per « *instantem necessitatem* » intelligit molestias in conjugio exsistentes, vel temporis augustias et vitae brevitatem, ut ipse exponit, dicens : « *Tempus breve est ; reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint.* » **Obj. 2.** Apostolus (1 Tim. III, 2 et Tit. I, 6) inter dotes quas in episcopos desiderat, hanc etiam ponit : « *Sit unius uxoris vir... filios habens subditos cum omni castitate.* » **Resp.** In primordiis Ecclesiae, cum non aderant qui ad S. Ministerium possent assumi, nisi viri jam matrimonii vinculis implicati, voluit Paulus continentiae legem commendare, quantum tunc fieri poterat, prohibens ne ad episcopatum assume-

rentur qui aut plures haberent uxores, aut ad secundas nuptias convolassent. Porro, qui ita ad episcopatum assumebantur, debebant deinceps a jure conjugali abstinere, ut constanti Ecclesiae consuetudine comprobatum est. Hinc animadvertimus cum S. Ambr., apostolum dixisse : « *filios habens* » non filios *faciens, procreans*. **Obj. 3**. Matrimonium est juris naturalis et divini. Ergo injuste Ecclesia illud clericis prohibet. **Resp.** Est juris naturalis et divini permissivi, *conc.*, praeceptivi, *subd.*, respectu collectionis hominum, ut propagetur et conservetur species humana, *conc.*, respectu singulorum, iterum *subd.*, pro primis mundi temporibus, quibus replenda erat terra, *conc.*, pro hac mundi aetate, qua repleta est tellus nec timendus est speciei humanae interitus, *nego*. **Obj. 4**. Sacerdotes mosaici erant conjugati; coelibatus nocet corporis sanitati, atque innumeris civibus societatem privat. **Resp.** Ad 1^{um}) Continentes esse debebant et ab uxorum consortio separari sacerdotes veteris legis, quamdiu ministerio fungebantur; porro sacerdotes novae legis, ut quotidie suo ministerio praesto sint, oportet, et ideo semper coelibes esse debent. Aliunde sacerdotium novae legis non est haereditarium, sicut in lege veteri, atque cum longe praecellat, perfectionem longe excellentiorem in ministris requirit. Ad 2^{um}) Nedum coelibatus corporis sanitati noceat, e contra medici communiter sentiunt coelibatarios, ceteris paribus, et melius valere, et diutius vivere quam conjugatos; etsi haud raro contrarium eveniat, ob effrenatam libidinem cui libentius saepe indulgent **laici** coelibes. Ad 3^{um}) Ecclesiastici, eo quod coelibes, mirifice promovent morum integritatem ac proinde perennitatem familiarum et generis propagationem, ita ut longe numerosior propagatio ex legitimis conjugiis habeatur, ac si connubia frequentiora celebrarentur. Cfr. Bill. *(de virginit.)*; Scavini; Perrone.

CAP. 2. De obligationibus omnium clericorum propriis, quatenus sunt negativae; ubi praesertim de negotiatione.

Q. 38. *Quaenam* sint, quae clericis omnibus *vetantur?*
R. *Generatim* loquendo, ea *duplicis* sunt generis.

Explanatur. Ipsis vetantur : alia de **jure naturae**, quae scilicet aut statum clericalem dedecent, aut eos a ministerio avocant, aut admirationem aliis vel scandalum praestant ; alia de **jure canonico**, cujusmodi sunt : 1°) **Comam laxare**, nisi sit moderata, aut aliud ferat mos regionis. Nec possunt uti coma adscititia injussu Episcopi, nisi aliud obtineat. Imo, ex Innoc. XII, usus caesariei adscititiae tempore celebrationis missae non permittitur sine peculiari indulto Sedis Apostolicae, uti latius ostendit Bened. XIV (*de Syn.* l. XI, c. 9, n. 5). 2°) **Venatio**, de qua diximus (pag. 43 seqq.). 3°) **Aleae**, de quibus (pag. 261 seq.). 4°) **Officia saecularia**, imprimis publica, quibus quis publico servitio velut mancipatur, ut *magistratus, tabellionis ;* aut quae ad publica accedunt, ut *advocatos* in foro laicali vel *procuratores* agere, « nisi sit, ait S. Lig. (IV, 219), causa propria, vel propriae Ecclesiae, vel pauperum, vel consanguineorum infra quartum gradum, modo isti alium advocatum ita idoneum non inveniant. » Item *medicinam* eoque magis *chirurgiam* facere, excepta necessitatis causa, uti pluribus ostendit Bened. XIV (*de Syn* l. XIII, c. X, n. 5 seqq.). Item *temporalia laicorum negotia procurare*, si exinde proprium ministerium negligunt : nam jura loquuntur de iis « *qui officio clericali neglecto, fluctibus saeculi se immergunt.* » Et « hinc, inquit S. Lig. (III, 838) non auderem damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret ; maxime si id non faceret avaritiae causa, sed ad decentius statum suum et familiae conservandum. » Imo, ex S. Thom. (2. 2. q. 187, a. 2) absque omni culpa licet clerico negotia saecularia gerere causa charitatis, utputa « *propter curam aut pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum.* » 5°) **Mulieres domi retinere** servitii causa, nisi et ipsi illis indigeant, et illae sint omnis suspicionis expertes, cujusmodi esse praesumuntur sanguine *propinquae*, i. e. consanguineae in primo et secundo gradu et affines in primo, non vero in secundo, nisi alter alteri reverentiam debeat, ut ecce patrui, aut nepotis viduae ; non item *extraneae*, nisi et probatae virtutis sint, et, regulariter, provectae aetatis, quae omnia in aestimatione Ordinarii esse debent. Dixi : *regulariter :* nam et cum junioribus cohabitare uxoribus famulorum suorum, aut pedissequis eorum qui de familia sunt, licet. De cetero servanda sunt quae desuper Statuta particularia

in variis dioecesibus praescripserunt. 6°) **Arma deferre**, nisi tuendi sui causa. Constat ex cap. 2, *de vita et hon. Cler.*, ubi dicitur : « *Clerici arma portantes excommunicentur.* » Ratio : quia arma sunt instrumenta saevitiae, atque ideo a Christi mansuetudine prorsus aliena. Aliunde ex S. Thom. (2. 2. q. 40, a. 2) non competit clericis sanguinem effundere, « *sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere quod gerunt ministerio.* » Quapropter graviter peccant clerici in sacris constituti, qui militiam amplectuntur. Non tamen reprehendendi sunt qui bello justo cooperantur consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, modo arma non gerant, nec ducis officio fungantur, ut habet Gury. 7°) **Cauponas subire**, bibendi edendique gratia, nisi dum peregre agunt. Ita statuit Innoc. III in Conc. Later. IV, cap. 15 *de vita et hon. Cler.* Atque haec est lex universalis, cui alia in aliis dioecesibus decreta addita sunt, quae proinde consuli debent. 8°) **Choreas ducere et comoediis lubricis interesse.** Constat ex Trid. (sess. XXII, c. 1. *de ref.*). « Hoc tamen non prohibet, ait Scav., quominus honestae recreationis et exercitationis causa clerici agant vel intersint, uti fert usus, iis repraesentationibus, quae in communitatibus habentur, servatis tamen modestiae ac temperantiae regulis et ceteris servandis. Cum enim res sit ex se indifferens, nil prohibet quominus illa in bonum finem dirigatur. » 9°) **Negotiationem** exercere proprie dictam, per se vel per alios, quod graviter prohibetur clericis constitutis in sacris, beneficiatis, et religiosis. Constat tum ex Conc. Trid. (sess. XXII, c. 1 *de ref.*) tum praesertim ex Bened. XIV, Bull. « *Apostolicae* » (25 Feb. 1741) et Clem. XIII. Const. « *Cum primum* » (17 Sept. 1759). Rationes hujus prohibitionis ex S. Thom. tradit Bull. : 1° quia clerici non solum debent abstinere ab his quae secundum se sunt mala, sed etiam ab his quae habent speciem mali : quod in negotiatione contingit, tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum cujus clerici debent esse contemptores, tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia. 2°) Quia negotiatio nimis implicat animum saecularibus curis, et per consequens a spiritualibus retrahit; unde Apost. (2 Tim II,4) : « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* »—Hinc dicendum cum S. Lig. (III, 852) : « Quod negotia a laicis incoepta, si ad clericum quovis titulo deferantur, statim sint dimittenda

[etiam in casu quo negotiatio per cohaeredes vel socios exerceri posset]. Quod si non possint dimitti sine detrimento, permittitur continuatio, sed tantum ad tempus et per interpositam laici personam, ac de licentia S. C. Concilii in Italia, aut Ordinarii si sit extra Italiam. » Nihilominus excusat a *mortali* materiae PARVITAS, i. e. si bis aut ter negotietur, sive modicum aliquid negotietur, quod fere omnes; sive multum, quod plures admittunt : quia NEGOTIATIO, sub poena graviter prohibita, dicit **habitudinem** seu frequentiam aliquam, quippe jura loquantur de clerico *exercente* NEGOTIATIONEM eique insistente, quod non verificatur, si una aut altera vice fiat. Immo carebit et *levi*, qui ideo negotiatur, ut quaerat necessaria sibi suisque; et siquidem ut *necessaria vitae*, nulla ei licentia opus est; sin ut *necessaria status*, juxta alios, opus est licentia S. Sedis vel Ordinarii; idque omnino affirmandum videtur ex Const. cit. Clem. XIII; juxta alios vero, prohibitio cessat : cum enim, aiunt, facta sit ob decentiam status, non censetur se extendere ad id, quod necessarium est ad decenter vivendum.

Q. 39. *Quandonam* adsit NEGOTIATIO *proprie dicta?*

R. NEGOTIATIO stricte talis, quae sola in odiosis venit nomine NEGOTIATIONIS, tunc habetur tum ex S. THOM. (2.2.q.77, a. 4 ad 1 et 2) tum ex S. LIG. (H. A. X, 192), quando *aliquid emitur eo animo, ut idem immutatum carius vendatur.*

Explanatur. Igitur, et quidem ad mentem D. THOM. (*loc. cit.*), necesse est, ut quod aliquis vendit : 1°) **emerit**; 2°) **venditurus**; 3°) **carius**; 4°) **immutatum**. Hinc cessat NEGOTIATIO et proinde lex : **A**) defectu **primi** requisiti, si vendas quod percipis ex re tua, quamvis empta vel permutata, maturis jam fructibus. Quare clerici possunt vendere fructus suorum agrorum, nutrire greges, ut ex lacte, lana et foetibus lucrum reportent, cerevisiam ex proprio hordeo coctam, secluso scandalo, vendere. Non enim est NEGOTIATIO propria, sed fructuum ex bonis suis collectorum venditio lucrosa. Et in hoc sensu, ut observat BENED. XIV (de Syn. l. X, c. VI, n. II) dicitur in can. *Ejiciens* XI, dist. 88 : « *Omnes homines esse negotiatores,* » quia omnes coguntur res quibus abundant, cum aliis, quibus carent, permutare. **B**) Defectu **secundi**. si vendas, quod emeras quidem, sed non venditurus; v. g. quod tuis usibus neces-

sarium, immo et superfluum, tibi prospiciens comparaveras. Hinc clerico vetitum non est, res emere animo illis utendi, et postea, si pretium crescat, eas vendere, ut res similes vilius emat. Pariter potest emere plura pro sua securitate et si postea quid supersit carius vendere : quia, ut supponitur, emit animo obviandi periculo defectus, ne cogatur in posterum carius emere. Est enim actus prudentiae oeconomicae. C) Defectu **tertii,** si vendas quod emeras quidem venditurus, sed non carius, ut puta amicis, pauperibus, exemplo Josephi proregis Aegypti. D) Defectu **quarti,** si vendas rem mutatam, etsi eam emeris ut carius venderes ; sive natura immutetur, et sic licet mustum emere, ut vinum factum, oves, sues, etc., ut postea saginatos, vendas ; sive facto hominis immutetur, et sic possunt clerici emere materiam, v. g. lanam, lignum, ferrum, ex qua honesta arte et manuum suarum labore conficiant artefacta, v. g. vestes, vasa, etc., et vendant, modo non fiat publice, quo modo Apostolus et antiqui monachi vivebant labore manuum suarum, ut latius ostenditur ap. Bened. XIV (l. c.). Et ita quoque de S. Patritio episcopo legitur in Breviario : « *Humilitatis eximius cultor apostolico more a manuum suarum labore non abstinuit.* »

Resolvitur. Ut patet ex dictis, negotiatio quae clericis et monachis lege ecclesiastica prohibetur, est negotiatio stricte dicta seu propria **mercatorum,** quae et **quaestuosa** nuncupatur, quaeque ex Can. « *Ejiciens* » cum Bill. ita definitur : « *Actio qua quis rem comparat eo animo, ut eam integram et immutatam cum lucro vendat vel permutet ;* » ita ut 1°) lucrum sit finis primarius et principalis negotiationis, et 2°) objectum commutationis sit res integra seu immutata. — Quare non prohibetur : A) negotiatio quae vocatur **quasi naturalis et necessaria** seu **oeconomica,** « *per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum et denariorum propter necessitatem* [et usum] *vitae.* » Haec enim ait S. Thom. (l. c.) « *non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomicos vel politicos, qui habent providere vel domui vel civitati de rebus necessariis ad vitam.* » Unde quoque dicit : « *Non quicumque carius vendit aliquid quod emerit, negotiatur, sed solum qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem emit rem, non ut vendat, sed ut teneat, et postmodum propter aliquam causam eam vendere velit,*

non est negotiatio, quamvis carius vendat. « Neque *per se loquendo* prohibetur **B**) negotiatio quae vocatur **artificialis,** qua res eo fine comparatur ut ea in melius mutata carius vendatur. Ratio ex S. Thom. (l. c.) est : quia sic agere non est proprie negotiari, sed « *videtur praemium sui laboris accipere, quamvis et ipsum lucrum possit licite intendi, non sicut ultimus finis, sed propter alium finem necessarium vel honestum.* » Unde quoque dicitur in Can. « *Ejiciens* » : « *Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi* [ut faciunt artifices], *ille non est negotiator.* » Dixi : *per se loquendo ;* i. e. dummodo clerici seu monachi illam negotiationem **artificialem** *honeste* et *per seipsos* exerceant, seu, ut habet Bened. XIV (l. c.) : « *manuum suarum labore et honesto artificio.* » Dico : *honeste ;* i. e. sine scandalo, sine dedecore, sine detrimento proprii ministerii. Dico : *per seipsos ;* quia si res per operarios conductos exerceatur, alienus labor jam censetur emi et cum lucro vendi, quod negotiationi proprie dictae aequiparatur vel saltem parum ab ea distat. Cfr. Bizzarri (Ed. 1885 p. 538). Item N. R. T. (XXI, 261 seq.). Hinc v. g. emere uvas ut vinum ex eis expressum cum lucro vendatur, clerico esse illicitum tradunt Mol., Pal., Lug., alii, ap. Mazz., si fiat per homines conductos. Similiter si emat lanas, ut vendat pannos ab artificibus conductis faciendos ; secus vero, si ipsemet vel sui familiares vinum exprimant, pannos faciant.

Q. 40. Quid dicendum de clericis ementibus titulos vulgo dictos : *actions, obligations ?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel adest **animus speculandi** ; vel **non adest.** Si **Primum,** ut si emant in foro argentario cum intentione eos titulos ibidem carius divendendi *(jouer à la bourse)*, per se peccant graviter, cum adsit negotiatio stricte talis. Huc spectat responsio S. Poenit. (25 Jan. 1888) ap. N. R. T. (XXI, 259). Dixi : *per se ;* quia quandoque possunt excusari sive ob parvitatem materiae, ut si una vel altera vice fiat, sive ob necessitatem, juxta dicta in resp. ad q. 38 (p. 308). Unde quoque in Syn. Archid. Mechl. an. 1892 statutum est : « *Quod attinet ad titulos census annui in aerario publico vel societatibus fundatos, non licet sacris ministris in eis*

negotiari, i. e. **habitualiter** *eos emere animo carius vendendi cum eorum pretium increverit.* » — Si **Secundum,** *subdistinguendum* est : vel agitur de **obligationibus,** vel de **actionibus.** — Si **Primum** : clerici, ut hisce diebus fert praxis generalis vel saltem valde communis, etiam apud timoratos, possunt emere obligationes, etiam Societatum commercialium et industrialium, cum intentione eas retinendi earumque reditus percipiendi, *sine animo speculandi,* et postea si earum pretium crescat, eas vendere, ut res similes vilius emant. Tunc enim, ex mente D. Thom., non adest negotiatio stricte talis, defectu *secundi* requisiti (p.308seq.); sed habetur negotiatio *oeconomica,* ut explicatum fuit (p. 309 seq.). — Si **Secundum** : utrum liceat clericis *actiones* emere et conservare, inter DD. *disputatur.* Alii *affirmant,* cum Bouix, Prael. S. Sulp., aliis, dummodo illas emant de propria pecunia. Dicunt : *de propria pecunia ;* nam alienam pecuniam omnibus modis coacervare, hac conditione, ut fixum praestent reditum mutuantibus, et cum ea emere actiones, aut eamdem collocare apud mercatorem vel campsorem, ut majores reditus ipsi percipere valeant, id quidem verum campsorum est officium, clericalem honestatem dedecens, et omnigenis periculis plenum. — Alii *negant,* iique, nec immerito quidem, innituntur variis responsis a Sancta Sede emanatis, imprimis : decis. S. Cong. Episc. et Regul. (30 Jan. 1846, ap. N. R. T. (XXV, 606) ; — S. Off. (1 April. 1857), *ibid.* (pag. 607) ; — indulto S. Cong. Conc. (6 Jul. 1885), *ibid.* (XVII, 589 seq.), quo duobus sacerdotibus conceditur, ut actiones haereditate acquisitas ad quinquennium tantum conservent.

Verum tamen, quod **praxim** attinet, negari non potest, Sanctam Sedem jam permittere, **propter peculiares temporum circumstantias,** ut sententia benignior, **servatis tamen quibusdam conditionibus,** in praxim deducatur. Id enim clare eruitur ex responsis S. Cong. S. Officii, tum 17 Nov. 1875, tum 15 April. 1885, ap. N. R. T. (XXV, 609 seq.). — **Conditiones** sunt, ut personae ecclesiasticae quae actiones seu titulos mensae nummulariae de sua pecunia acquirunt, 1°) *paratae sint stare mandatis Sedis Apostolicae ;* 2°) *certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet suspectum ;* 3°) *nullam in iis societatibus administrationis partem suscipiant ;*

4°) se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat ut vulgo dicitur DEI GIUOCHI DI BORSA.

CAP. III. De obligationibus clericorum in particulari. Ubi de episcopis, canonicis et parochis.

Q. 41. *Quaenam* sint *obligationes* EPISCOPORUM ?

R. EPISCOPO, i. e. *superintentori*, praeter obligationes quibus in die consecrationis juramento se adstringit, *personaliter* et *principaliter* incumbit totius dioecesis regimen, juxta illud (ACT. XX, 28) : « *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* »

Resolvitur. Hinc tenetur : **1°**) et quidem *praecipue*, ut docet LEO XIII (Litt. 15 Febr. 1882 ad episcopos Italiae), invigilare, « *ut* **ministros Dei idoneos** *rite instituat... Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam, et variam, quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples.* » **2°**) **Dignos parochos eligere** ipsisque continuo invigilare, ut juxta illud (I TIM. IV, 12) : « *exemplum* sint *fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* » Neve inter ipsos inveniantur, de quibus conqueritur Dominus (EZECH. XXXIV, 2 seqq.) ita lamentans : « *Vae pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos ; nonne greges a pastoribus pascuntur ? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis ; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis : quod confractum est non alligastis et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis ; sed* CUM AUSTERITATE *imperabatis eis et cum* POTENTIA. *Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt.* » **3°**) **Praedicare** per se, vel saltem per alios, si fuerit ipse legitime impeditus, juxta illud (ACT. VI, 4) : « *Praedica verbum.* » **4°**) **Visitare** quotannis totam dioecesim aut saltem magnam ejus partem, si nimia sit ejus

latitudo ; quo casu saltem intra biennium totam visitationem absolvere debet, ut docet Trid. (sess. 24, c. 3 *de refor.*). 5°) Pro omnibus dioecesanis instanter **orare,** juxta illud (Act. VI, 4) : « *Nos autem orationi instantes erimus* » ; ideoque et pro ipsis missam applicare omnibus dominicis aliisque festis diebus, tum de praecepto, tum suppressis, ut constat ex S. Cong. Con. (9 Jul. 1881) et ex Const. « *In suprema* » Leon. XIII (28 Jun. 1882). 6°) In dioecesi **residere.** Attamen ex Trid. (sess, 23, c. 1). Episcopi possunt tribus mensibus sive continue, sive diversis vicibus abesse, ex honesta causa et sine ullo gregis detrimento. Imo, possunt et diutius, pro ratione causae, v. g. ob charitatem christianam, necessitatem urgentem, obedientiam Papae eos Romam vocanti, ob bonum evidens Ecclesiae. 7°) Continuo se praestare omnium **patrem** atque **magistrum,** omnibus omnia factum, non coacte, sed spontanee secundum Deum in omni honore et patientia, juxta haec S. Hier. *ad Nepotian.* verba : *Episcopi* Sacerdotes *se esse meminerint, non* dominos ; *honorent* clericos quasi clericos, *ut et ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur.* » Quare quoad potest : « *Accessum ad se patentem assidue tenere debet subditis* (sunt verba S. Alph.), *et praecipue Parochis et Vicariis Foraneis, quos statim ad sui praesentiam admittere tenetur.* » De obligationibus episcoporum praeclara eloquia tradidit S. Isid. in *hom.*, quae legitur in Brev. ad diem festum ejus.

Scholion. In sua **visitatione ad sacra Apostolorum limina,** de qua prodiit *Instructio* S. C. de Prop. Fide (1 Jun. 1877) ap. N. R. T. (IX, 464 seqq.), episcopi tenentur « *rationem reddere de pastoralis muneris implemento, deque omnibus quae ad ecclesiarum suarum statum et cleri populique mores ac disciplinam animarumque ipsis creditarum salutem pertinent.* »

Q. 42. *Quaenam* sint *obligationes* canonicorum ?

R. Canonici, quo nomine heic intelligimus eos qui in Ecclesiis, sive cathedralibus, sive collegiatis, choro sunt obstricti, ad haec praecipue *sex* tenentur.

Explanatur. Imprimis tenentur : **1°) residere,** ita ut in ea civitate vel oppido, ubi exstat Ecclesia, commorentur ; vel saltem, si, curam animarum non habentes, extra habitant, statutis horis chorum adeant. Possunt tamen a servitio chori vacare quolibet

anno *tribus mensibus*, vel discontinuis, nisi statuta capitularia *minus* indulgeant. Nec ulla opus est justa causa, nec licentia Ordinarii ad discedendum *intra dioecesim*, nec tenentur aliquem sui loco substituere, ad differentiam parochorum qui abesse nequeunt, quin alium sacerdotem idoneum substituant. Immo, longiorem absentiam justa de causa, permittere potest Episcopus, cui tamen consulendum est, ne vacent tempore Adventus, Quadragesimae, vel amplioribus anni festivitatibus, neve demum uno eodemve tempore ultra tertiam partem vacent : quia vacationes conceduntur canonicis, non vero capitulo. 2°) **Missam conventualem quotidie canere et applicare pro fundatoribus et benefactoribus in genere.** Quae tamen obligatio ad dies festos reduci posset a S. Congreg., si canonici retributionibus Missarum indigerent ad honeste vivendum. Constat ex Bened. XIV. Const. « *Cum semper* » (19 Aug. 1744). Sufficit quoque, ut is, cui onus inest Missae conventualis, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam dicat lectam, ut constat ex S. R. C. (12 Nov. 1851). 3°) **Interesse choro ad canendum vel psallendum.** Quae obligatio urget, etiamsi duo vel tres tantum in choro canere aut psallere possint, ut declaravit S. C. C. (31 Mart. 1696); nec illi satisfaciunt etiam praesentes cum privata recitatione ; sed tenentur ad cantum vel recitationem pro posse concurrere *voce elata* et pio cordis affectu, ut constat ex Bened. XIV, Const. cit. « *Cum semper.* » Nec possunt episcopi propria sua auctoritate permittere, quod non omnes horae cantentur : ad hoc enim opus est Indulto apostolico, ut patet ex Responso S. C. C. ad capitulum Ecclesiae Molinensis (an. 1822). Quare absentes a choro ultra menses vacationis, *graviter* peccant, nisi forte : **A**) non ultra tres quatuorve anni dies absint ; vel **B**)absint ex justa aliqua causa ; interim non ea opus est, quae excusat ab officii recitatione : nam omnis lex strictius obligat quoad substantiam, quam quoad modum ; vel **C**) non absint ultra horam parvam aut tantumdem. Nec possunt, generatim loquendo, Canonici choro inservire per substitutos vel alternatim unus pro alio : quia est contra praescriptum Conc. Trid. (sess. XXIV, c. 12 *de ref.*), ubi dicitur : « *Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia ;* » et contra declarationem S. C. C. (25 Jul. 1570), etiam, si adesset consuetudo vel statutum id permittens. Dixi :

generatim loquendo ; nam S. C. C. declaravit « quod Episcopus, ubi adest consuetudo, possit concedere facultatem capitularibus invicem se substituendi, in servitio tum Ecclesiae, tum chori ; modo non substituantur iis temporibus, quibus servitio Ecclesiae adstricti sunt, et modo curet Episcopus, ne hac facultate substituendi illi abutantur, puta si hujusmodi substitutiones sint nimium frequentes... Alias vero declaravit S. C. C., decretum hoc locum habere tantum inter praesentes. » Ita S. Lig. (III, 675, dub. 3). 4°) **Assistere et inservire episcopo celebranti et alia pontificalia exercenti.** Et quoniam canonici ecclesiae cathedralis sint consiliarii nati episcoporum ; hinc, sicut episcopus, nisi adsit contraria consuetudo, antequam mandata ferat, postulare debet eorum consilium in casibus jure determinatis, sic pariter culpa non vacant canonici, si consulti reticent aut sententiam suam non palam promunt, tametsi praevideant ab episcopo respuendam. 5°) **Sede vacante eligere vicarium capitularem.** Quocirca notentur sequentia : **A**) Vacua sede, tota jurisdictio episcopi, sive ordinaria, sive delegata *a jure*, transit in capitulum, exceptis his, quae innovationem sapiunt vel alienationem, et a capitulo transit in vacarium capitularem, quem intra octiduum a vacatione constituere tenetur. Quod si non fecerit, jus eum constituendi ad Metropolitanum devolvitur et ipsius defectu ad antiquiorem suffraganeum. Et quidem jure Tridentino unicus eligi debet, et ex sola consuetudine immemorabili fieri potest, ut plures legitime constituantur. **B**) Nihilominus vicarius capitularis non potest visitationem obire, anno ab ultima visitatione nondum elapso ; nec litteras ad tonsuram, vel ordines demissorias concedere infra annum, praeterquam *arctatis* ratione beneficii *obtenti*, vel *obtinendi*, (quales sunt, qui jam habent beneficium ecclesiasticum, vel praesentantur ad illud, ratione cujus aliquem ordinem suscipere tenentur intra tempus definitum vel a jure vel a fundationum tabulis) ; nec beneficia concedere, sive quae vacant vacua Sede, sive quae antea vacaverint, exceptis beneficiis patronatus laicalis. Et quamvis forte de jure facultatem habeat concedendi indulgentias, quas ceteroquin concedere posset episcopus vivens, in praxi tamen ab iis concedendis *abstineat*. **C**) Tandem cessat officium vicarii capitularis, statim ac novus episcopus possessionem fuerit adeptus ; sed gratiae ab eo factae manent, quamdiu

ab hoc non fuerint revocatae, quae si quasi contractum continent, ne revocari quidem possunt. 6°) Ad haec tenentur canonici **munia seu officia, quisque sibi decreta, subire**; ne vicario quidem capitulari excepto.

Q. 43. *Quaenam* sint praecipuae *obligationes* PAROCHORUM?

R. PAROCHIS, (quo nomine heic accipimus omnes sacerdotes quibus credita est actualis animarum cura, quamvis ad nutum amovibiles, vel ad tempus), *personaliter* incumbit cura totius parochiae sub auctoritate episcopi, sicut episcopo cura totius dioecesis sub auctoritate S. Pontificis.

Resolvitur. Hinc tenentur : 1°) **residere,** ut constat ex *Conc. Trid.* (sess. VI cap. I *de ref.* et sess. XXIII cap. I *de ref.*) et expressa declaratione BENED. XIV, in sua Bull. « *Ubi primum* » (3 Dec. 1740); utrum vero residentiae obligatio oriatur ex jure *divino*, an mere *ecclesiastico*, Theologi *disputant*, et, teste ipso BENED. XIV (*de Synod.* l. VII, c. I,) « *adhuc sub judice lis est.* » Porro residere tenentur : tum **materialiter,** i. e. in ecclesiae domo parochiali, si adsit; secus, in domo propinquiori intra limites parochiae; vel si domus intra parochiam omnino haberi nequeat, in domo viciniori parochiae. Quod si duas habeat parochias, in digniori; vel, si non constet quae sit dignior, in frequentiori commoretur; et si una sit extra et altera intra civitatem, in posteriori sit residentia. Tum **formaliter,** ita ut per se ipsos animarum curae prospiciant. Non prohibentur tamen uti coadjutoribus in his quae majus incommodum habent, ut v. g. ad infirmos ire noctu, praedicare, docere pueros, excipere confessiones; sed quasi *sociis* uti debent; atque ideo ipsi quoque, cessante impedimento, haec praestare debent, praesertim si requisiti fuerint, alias *lethali* non carent. Quod si parochus senio aut infirmitatibus confectus principaliora munera per se ipsum amplius exercere nequeat, etsi (Lib. 3 Decret. tit. VI) ad cessionem compelli non possit, nec afflicto afflictio sit addenda, imo potius ipsius miseriae sit miserendum, tamen bonum saepe totius parochiae postulat, ut officio pastorali, cujus obligatio est personalis, ipse renuntiet, et animae suae tranquillitati prospiciat, maxime si alii sacerdotes juniores et validi in promptu sint, ipse vero habeat unde vivat, aut congrua pensione gaudere possit. Nequeunt tamen sacerdotes, quibus

cura amovibilis ecclesiarum succursalium commissa fuit, muneri suo renuntiare, sine licentia Episcopi, sub praetextu quod beneficia proprie dicta non possideant, ut constat ex S. C. C. (9 Maii 1884) ap. N. R. T. (XVI, 569). — Porro ad determinandum, quanto temporis spatio **abesse** liceat, quisquis videat statuta dioecesis propria. Sic in statutis DIOECESIS MECHL. n. 78 legitur : « *A sua parochia abesse non praesumat ultra 5 dies, nisi de licentia Decani sui. Quod si ad octiduum vel ultra debeat abesse, opus habet licentia Ordinarii.* » Cfr. N. R. T. (XXVIII, 585). EX TRID. (sess. XXIII, c. 1 *de ref.*) permittitur parochis abesse quolibet anno duobus mensibus, sive continuis, sive interruptis, ex honesta causa etiam recreationis tantum, sub his tamen duabus conditionibus : **A**) ut semper relinquatur vicarius idoneus ; **B**) ut causa discessus ab Ordinario cognoscatur et approbetur ; nisi ex S. LIG. (IV, 123) periculum esset in mora petendi et exspectandi licentiam, quo casu quam primum certiorem faciet Episcopum, nisi brevi temporis intervallo sit reversurus, aut non ea sit consuetudo dioecesis. **2°) Pascere oves** : et quidem tum **exemplo,** tum **verbo,** tum **administratione sacramentorum.** Dico **A) exemplo** : quia alias pastor est gravi scandalo, cum plebs putet se satis bonam, si non sit pejor suo pastore. Unde quoque ait S. THOM. (suppl. q. 36, a. 4) : « *Cujus vita despicitur, restat ut ejus praedicatio contemnatur et eadem ratione omnia spiritualia ab eis exhibita.* » Et, ut habet S. BERN. (serm. 71 in Cant.) : « *Bonus si fuerit qui tibi praeest, nutritor tuus est ; si malus fuerit, tentator.* » Nec minus veridica sunt, quae scribit S. LIG. (H. A. VII, n. 46) : « A BONIS PAROCHIS *pendent boni mores, et salus populorum. Si in regione* BONUS *parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis et bonum exemplum ; sin autem parochus erit* PRAVUS, *tota regio vitiis et scandalis redundabit.* » Hinc vulgare dictum : « *Qualis pastor, talis parochia,* » juxta illud ECCLI. (X, 2) : « *qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* » Dico **B) verbo** : ex quo capite parochis necesse est : **a**) Conciones habere dominicis et festis diebus juxta Conc. TRID. praescriptiones. « *Attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus,* » ut legitur in decreto. S. C. C. (1 April. 1876) ap. N. R. T. (VIII, 586) ; et si cessaverint per tres menses, etiam discontinuos,

certo non carent lethali. Infra hoc tempus, variae sunt DD. sententiae. b) Parochianos docere quae scitu necessaria sunt, senes quoque si haec ignorent, vel obliti fuerint. c) Errantes corrigere, etiam cum periculo vitae, quamdiu spes emendationis apparet; removere scandala, nec semel aut iterum, sed quoad spes erit scandalum tolli posse. Dico C) **administratione sacramentorum,** de qua in *Tract.* DE SACRAM. IN GENERE. 3°) **Pro ovibus sacrificium offerre.** Ex quo capite debent missam applicare pro populo: **A) Omnibus dominicis et diebus festis,** etiam omnino abrogatis vel translatis, nisi forte cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicam diem, uti constat ex Pio IX, Const. « *Amantissimi* » (3 Maii 1858); neque excusat consuetudo contraria, etiam immemorabilis, nec tenues parochiae reditus, ut declaravit Bened. XIV, Const. « *Cum semper* » (19 Aug. 1744); nec infirmitas parochi, aut secessus spiritualis, uti constat ex S. C. C. (14 Dec. 1859 et 14 Dec. 1872). **B)** Tenentur missam applicare **ipsissimis diebus praescriptis**; vel, si ex gravi causa eo die missa non celebratur, infra hebdomadam. Constat ex Bened. XIV, Const. cit. « *Cum semper* », ubi Episcopis facultatem concedit dispensandi cum parochis gravi inopia laborantibus, ut, diebus festis, pro dantibus sibi stipendium applicare possint, cum onere tamen, *alio die* celebrandi pro populo. **C) Loco statuto,** nempe in Ecclesia parochiali ut constat ex S. C. C. (12 Mart. 1774). Eadem tamen S. C. C. declaravit (14 Dec. 1872) : « Parochum die festo a sua parochia legitime absentem satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo, *in loco ubi degit;* dummodo ad necessariam populi commoditatem *alius sacerdos* in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. » Nec vero requiritur, ut Missa solemnis applicetur; sufficit Missa *privata*, ut constat ex S. R. C. (27 Febr. 1847). **D) Per se ipsos,** nisi justa de causa impediantur; quia obligatio non est tantum *personalis*, sed etiam *realis*. Quocirca S. C. C. (14 Dec. 1872) declaravit : « Parochum vero *utcumque legitime impeditum* ne Missam celebret, teneri eam, die festo, *per alium* celebrari et applicari facere pro populo, *in ecclesia parochiali;* quod si ita factum non fuerit, quam primum poterit, Missam pro populo applicare debere. » Et si quis duas parochias habeat, in unaquaque applicare debebit, sive per se, si binandi facultatem

habeat; sive per alium vel alio die, si non habet, nisi forte illae unione *exstinctiva* unitae fuerint, ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus una prorsus, ob exstinctionem tituli alterius, evaserit. Constat ex S. C. C. (12 Mart. 1774). De quibus omnibus latius dicetur (in *Tract.* DE EUCH. q. 102-104). 4°) **Aegrotis inservire, morientibus adesse, mortuos efferre** eisque justa persolvere, et quidem *gratis* omnino, si fuerint pauperes, ut constat ex CLEM. IX (Const. 58 «*In excelsis*»). 5°) De obligatione **emittendi professionem fidei egimus** (tom. I, 287 seq.).

Scholion. Quod **vice-pastores** attinet, de his sapienter edicitur in *Statutis dioec.* GAND. (tit. XVI, c. 15, ap. N. R. T. (VIII,555): « VICE-PASTORES *pastorem suum ament ut patrem, nunquam superbe contemnant aut altare altari opponant; sed ei tanquam superiori ac parenti debitam obedientiam, honorem et obsequium praestent. Ubi tamen contigerit,* VICE-PASTOREM *aliquem opinari se plus aequo a pastore suo gravari, volumus et districte mandamus, ut in ejusmodi casu propter bonum pacis et ordinem hierarchicum equidem provisionaliter ex corde praeceptum pastoris veneretur eique obediat, donec res ad decanum vel ad Nos relata fuerit.*» — Cfr. *Stat. dioec.* MECHL. n. 92 seqq.

CAP. 4. De clericorum privilegiis et beneficiis.

Q. 44. *Quaenam* sint PRIVILEGIA *clericorum?*
R. Sunt *tria* potiora.

Explanatur. 1°) Privilegium **canonis**, quo intelligitur immunitas ab omni violentia externa seu injuriosa injectione manuum sub poena excommunicationis R. P. reservatae, ex canone « *Si quis, suadente diabolo,...* » exarato in Conc. LATERAN. II sub INNOC. II. — De quo privilegio latius dicetur in « ANNOTATIONIBUS » in Bull. « *Apostolicae Sedis* » (tom. IV). 2°) Privilegium **competentiae** (ex *C. Odoardus*), quo clericus impar solvendis debitis, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis. 3°) Privilegium **fori**, quo intelligitur exemptio, qua personae ecclesiasticae per se, adeoque praeter canonicas dispositiones, exemptae sunt ab omni potestate seu jurisdictione saecu-

lari, tam in civilibus quam in criminalibus, ex quo etiam sequitur immunitas a tributis. — Hodie viget ubique privilegium **canonis**. Reliqua **duo** pene ubivis antiquata sunt. Privilegii tamen **fori** vestigium alicubi occurrit, quatenus clerici, vi statutorum dioeceseos, coram judice laicali se sistere vetantur absque licentia episcopi. Praeterea « *in iis locis in quibus* FORI *privilegio per summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii* FORI, *si id expedire in Domino judicaverint.* » Ita S. R. U. **Inquis.** (23 Jan. 1886).

Q. 45. *Quinam* ex clericis PRIVILEGIIS istis non *gaudeant?*

R. PRIVILEGIO *canonis* non gaudet : 1°) clericus *conjugatus*, qui non defert habitum et tonsuram ; 2°) *bigamus*, etsi deferat ; 3°) qui *enormitati* vel *tyrannidi* se immiscuerit, vel lubricam exercet artem ; sed is post annum, nisi prius ter monitus ab episcopo non resipuerit. — PRIVILEGIO *fori* non gaudet clericus nondum constitutus in sacris, nisi habeat beneficium ecclesiasticum ; aut, deferens habitum et tonsuram, inserviat alicui ecclesiae de mandato episcopi ; aut de ejus licentia in seminario vel in aliqua schola vel universitate versetur, quasi in via ad majores ordines suscipiendos. Qui autem perdit privilegium *fori*, ipso facto excidit privilegio *canonis*, quin ulla praevia monitione aut declaratione opus sit. Ita S. C. IMMUNITATIS (20 Sept. 1860). Sunt tamen qui existimant, hanc declarationem, cum novum jus introducat, non respicere nisi episcopos Italiae quibus fuit intimata. Cfr. N. R. T. (XVI, 452).

Q. 46. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit BENEFICIUM ECCLESIASTICUM ?

R. Ad 1^{um}) Est *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, auctoritate Ecclesiae fundatum.*

Explanatur. Dicitur : 1°) **Jus perpetuum,** et quidem duplici sensu : tum *objective*, quatenus beneficium semel constitutum semper permanet, nec morte vel amotione beneficiati tollitur, sed vacat tantum, ut alteri conferri possit; tum *subjective*, quatenus beneficium communiter non ad certum tempus, sed ad totam beneficiati vitam confertur. In favorabilibus tamen, non in odiosis, sub nomine beneficiorum veniunt etiam illa, quibus deest perpetuitas subjectiva, ut sunt v. g. beneficia *manualia*, quae conferuntur quidem in titulum, sed revocabiliter, ad libitum conferentis vel patroni. Dicitur : 2°) **percipiendi fructus**; unde beneficiati sunt tantum usufructuarii, remanente semper ipso beneficiorum dominio penes Ecclesiam. Dicitur : 3°) **ex bonis Ecclesiae,** i. e. Deo dicatis et Ecclesiae irrevocabiliter donatis. Dicitur : 4°) **propter officium aliquod spirituale,** saltem recitandi horas canonicas ; unde si exhibentur reditus ecclesiastici propter ministerium mere temporale, quale est officium aeditui, tale ministerium nequit dici beneficium, cum desit causa spiritualis. Dicitur : 5°) **auctoritate Ecclesiae fundatum,** per formale nempe erectionis decretum. Unde fit, ut nunquam, nisi ex Pontificia dispensatione, laico, sed clerico, et nunquam a laico, sed a persona ecclesiastica, v. g. a Papa, vel ab Episcopo vel Praelato, conferri debeat.

Resolvitur. Ut recte notat Dens, « in beneficio ecclesiastico duo concurrunt : officium spirituale, v. g. recitandi horas canonicas, administrandi sacramenta, etc., et jus temporale percipiendi fructus illi spirituali consequenter annexum. » — Cum autem *Pensio*, quae a gubernio in Gallia, Belgio, etc., solvitur episcopis, canonicis et parochis, fuerit in beneficiorum locum suffecta, ideo ut bonum ecclesiasticum spectanda est, ut constat ex variis responsis S. Poenit., signanter (19 Jan. 1819).

R. Ad 2^{um}) *Multiplex* distinguitur, praecipue : A) *Saeculare* et *Regulare*, prout solis clericis saecularibus vel regularibus competit. B) *Simplex* et *Duplex*, prout nullam obli-

gationem habet annexam, nisi obeundi officia quaedam divina, ut canonicatus, cappellaniae; vel annexam habet jurisdictionem, administrationem et curam animarum, ut episcopatus, munus parochiale. Ideo dicitur *duplex*, quia duplici oneri subjacet, cum praeter recitationem precum omnibus communem, aliquam administrationem habeat et eminentiam.

Q. 47. *Quot* modis fiat *provisio* BENEFICIORUM ?

R. *Tribus* praecipue modis.

Explanatur. 1°) Electione, qua clericus a toto capitulo vel congregatione eligitur et a superiore confirmatur; **2°) Praesentatione,** a Patrono facta, quam subsequitur institutio superioris, si praesentatus idoneus reperiatur; **3°) Collatione** libera superioris. Et quidem Papa est supremus et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum; in sua dioecesi autem ordinarius collator est episcopus.

Q. 48. *Quid* 1°) sit JUS PATRONATUS; 2°) quomodo *acquiratur* et 3°) quotuplex *distinguatur?*

R. Ad 1^{um}) JUS PATRONATUS est *facultas praesentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans.* Juris hujusmodi capaces sunt non tantum clerici, sed etiam laici, imo et foeminae.

R. Ad 2^{um}) *Tribus* modis acquiritur : concessione seu privilegio Ecclesiae; aedificatione templi; donatione fundi. Hinc versus : *Patronum faciunt : dos, aedificatio, fundus.*

R. Ad 3^{um}) *Triplex* praecipue distinguitur : *ecclesiasticum*, quod competit clericis qua clericis, i. e. ratione dignitatis vel officii; *laicale*, quod privatis competit, sive laicis sive clericis; *mixtum*, quod ex ecclesiastico et laicali coalescit.

Q. 49. Quae *qualitates* exigantur in *promovendis* ad BENEFICIA ECCLESIASTICA ?

R. Hae tres : *aetatis maturitas; morum gravitas* et *litterarum scientia.*

Explanatur. A) Ratione **aetatis,** requiruntur : **1°)** Ad beneficia *simplicia* anni 14 inchoati; nisi fundatio aliter habeat et plus requirat. Illi tamen qui *arctati* dicuntur, i. e. qui ex fundatione

vocantur ad beneficium *simplex*, possunt, modo sint septennio majores, tonsura insigniri, et beneficium acquirere : quia TRID. non expresse antiquis hisce fundationibus derogavit. Ita SCAV. (*de benef. eccl.*). **2°**) Ad beneficium *parochiale* anni 25 saltem inchoati. **3°**) Ad *dignitates sine cura* animarum anni 22 completi. **4°**) Ad *dignitates cum cura* animarum anni 25 inchoati. **5°**) Ad episcopatum anni 30 completi, si Galliam excipias, pro qua indultum est, ut sufficiant 27 incoepti. **B) Morum gravitas** exigit : **1°**) ut promovendus non sit illegitimus ; **2°**) ut sit clericus ; **3°**) ut habeat ordinem beneficio competentem ; **4°**) ut careat censura et irregularitate ; **5°**) ut sit immaculatus in fide ; **6°**) non infamis ; **7°**) non extraneus ; **8°**) habens intentionem status ecclesiastici ; **9°**) non provisus alio beneficio incompatibili ; **10°**) coelebs. **C) Scientia** generaliter tanta requiritur, quanta est necessaria et sufficit ad rite exsequendum officium ad quod quis assumitur.

Q. 50. Dic. 1°) *An* et 2°) *qualis* detur OBLIGATIO *digniores* promovendi ?

R. Ad 1^{um}) Datur obligatio *digniores* promovendi, quoties id sive Patronis, sive Collatoribus integrum est. *Dignior* autem is intelligitur, qui implendis muneribus beneficio annexis est *aptior* et *utilior*, quod ex S. THOM. (2.2.q.63,a.2 ; et q. 185, a. 3) nedum ex moribus et doctrina, sed ex aetate quoque, patria, genere, facultatibus, animi constantia et id genus ceteris, aestimari debet. Sed si nulla certa spes appareat digniorem electum iri, suffragari minus digno *expedit*, si is alias certe ; immo *oportet*, si alias indignus certe vicerit urna.

R. Ad 2^{um}) Qui, *digniore* praetermisso, *dignum* praesentat, instituit, si beneficio annexa est *cura animarum*, lethali ; sin minus, saltem levi non caret. Attamen electio *minus digni*, posthabito *digniore*, in omni casu est valida, nec onus restitutionis *per se* inducit. Dico : *per se* ; propter dicta superius (p. 7). Cfr. S. LIG. (IV, 91-110).

Q. 51. An *liceat* habere *plura* BENEFICIA ?

R. *Negative* per se : cum ex TRID. (sess. XXIV, c. 17 *de ref.*) singula singulis sint conferenda, non plura uni. *In duobus* tamen casibus licet plura simul retinere, scilicet : 1°) Si

de se non sint incompatibilia, unumque ad honestam clerici sustentationem non sufficiat. 2°) Si papa rationabilibus de causis dispenset. Justae causae sunt : A) *necessitas* et *utilitas* Ecclesiae, nempe si desint alii ministri idonei, aut si unus solus, licet absens, censeatur magis esse profuturus. B) *Praerogativa meritorum*, si quis doctrina, consilio, scriptione, inter alios praestaret, etc., modo caveatur, ne beneficiorum pluralitas ad privatum tantum, non ad commune bonum referatur.

Q. 52. *Quibus* modis BENEFICIA *amittantur ?*

R. *Quotuor* modis.

Explanatur. 1°) Morte beneficiati, seu *naturali*, cum personae tantum concedantur, seu *civili*, i. e. per professionem religiosam. **2°) Dispositione juris,** sive **A**) ob desertionem status clericalis, ut si beneficiatus coierit nuptias; si dimiserit habitum clericalem, eoque magis si militiae nomen dederit; si suo tempore non susceperit ordinem beneficio adnexum; sive **B**) ob adsecutionem alterius beneficii incompatibilis, i. e. si utrumque sit residentiale vel uniforme sub eodem tecto, quatenus scilicet utrumque postulat idem officium, eodem tempore et in eadem ecclesia obeundum. **3°) Sententia judicis,** ob crimen in jure expressum. **4°) Resignatione**, i. e. per liberam beneficii dimissionem, factam coram legitimo superiore eam acceptante.

Q. 53. *Quotuplex* sit *resignatio ?*

R. 1°) Alia est *tacita*, quae praesumitur ex facto aliquo, ut si praedia beneficii, quod tibi deberi contendis, ab adversario conduxeris; alia est *expressa*, quae fit verbis vel scriptis. Et haec resignatio 2°) alia est *pura*, alia *conditionata*. Est *pura*, quae fit absque omni pacto vel conditione; *conditionata* vero, quae fit sub certis conditionibus; et haec iterum 3°) est duplex : una fit *causa permutationis*, altera fit *in favorem tertii;* et haec demum 4°) alia est *simplex*, quae fit absque ulla reservatione, alia *qualificata*, quae fit reservato sibi jure regressus vel pensione annua vel aliquibus fructibus.

SECTIO 3ª DE STATU RELIGIOSO.

CAP. 1. De statu religioso in communi.

Q. 54. *Quid* sit STATUS RELIGIOSUS seu REGULARIS *stricte* dictus ?

R. Ex S. THOM. (2. 2. q. 186, a. 6) *est stabile vitae institutum, ab Ecclesia approbatum, quo tenditur ad perfectionem per tria vota : paupertatis, castitatis, et obedientiae, sub certa regula vitae communis.*

Explanatur. Dicitur : **1°) stabile vitae institutum** ; alioquin non esset status proprie dictus. « Unde, ait BILL., qui observaret paupertatem, castitatem et obedientiam absque voto, non esset religiosus, nec in statu religioso, quia haberet libertatem resiliendi. » Dicitur : **2°) ab Ecclesia approbatum** ; i. e. a Sancta Sede, cui hodie res, utpote majoris momenti, reservatur : nam in Conc. LATER. IV, sub INNOC. III, quod Conc. LUGD. celebratum sub GREG. X confirmavit, statutum fuit : ne novus Ordo induci aut in eo habitus sumi possit, nisi fuerit expresse a R. Pontifice approbatus. Dicitur : **3°) quo tenditur ad perfectionem** ; finis enim status religiosi est charitas, non illa quidem communis; quae christianis etiam imperfectis, qui sunt in statu gratiae, convenit ; sed illa eximia, qua quis proxime disponitur ad agendum facile et ordinarie, juxta Dei praecepta et consilia. Interim, ut docet S. THOM. (2. 2. q. 184, a. 5 ad 2 et q. 186, a. 2 ad 1) qui hunc statum assumunt, non profitentur se esse perfectos, sed *tendere* ad perfectionem, sicut discipuli frequentando scholas non profitentur se doctos, sed tendere ad doctrinam. Unde non transgreditur suam professionem religiosus, qui non est perfectus, sed solum si contemnat tendere ad perfectionem, seu ab intentione perfectionis animum revocat, ut si apud se statuat manere in statu mediocritatis in quo est, aut dicat : nolo ad perfectionem tendere ; vel etiam, in sola observatione praeceptorum obligantium sub mortali contentus, proponat transgredi ea quae obligant ad veniale tantum, aut ad solam poenam. (BILL.) Dicitur : **4°) per tria vota**, etc. ; in his enim comprehenditur *substantiale* elementum status religiosi, seu prima-

rium medium quo ille status instituitur. Est enim status religiosus stabile vitae institutum, quo quis studet Deo totaliter inhaerere per praxim consiliorum evangelicorum : porro, ex una parte tria sunt consilia evangelica; et ex altera parte, stabilitas illa consilia servandi voto perpetuo assecuratur. Unde religiosi proprie dicti non sunt qui tria consilia evangelica ad praxim reducunt, quin de illis votum emiserint; nec qui aliquod tantum ex tribus votis voverunt; nec qui tria illa vota emiserunt ad tempus tantum. Dicitur : 5°) **sub certa regula vitae communis**; in quo consistit *accidentale* elementum seu secundarium medium, quo instituitur status religiosus. Etsi enim tria vota de consiliis evangelicis, Dei nomine ab aliquo ad hoc potestatem habente acceptata, per se sufficiant ad essentiam status religiosi, spectato tamen hodierno jure ecclesiastico, ille status coram Ecclesia non exsistit, nisi in vita communi sub uno praelato et sub una regula ad vitae christianae perfectionem obtinendam per se idonea. Quare religiosi non sunt, qui, edito voto perpetuae castitatis et paupertatis, obedientiam vovent confessario, aut episcopo; nec tales reputantur Eremitae, nisi cum aliis ejusdem instituti sodalibus communem praelatum et regulam habeant.

Resolvitur. Hinc **tria** ad statum religiosum *stricte* dictum **requiruntur** : 1°) praedicta tria vota, quae substantialia vocantur; 2°) ut institutum sit ab Ecclesia approbatum, et quidem ut *ordo religiosus*, uti patet ex declaratione S. C. *Episc. et Regul.* 16 Sept. 1864 ap. Bizzari (*Collectan.* pag. 796 seq.); 3°) ut homo sub certa regula vitae communis se per vota superiori ordinis tradat irrevocabiliter, *saltem ex parte sua*, et superior traditionem acceptet. Dixi : *saltem ex parte sua*; quia emittentes vota simplicia in *Soc. Jesu* sunt veri religiosi, et tamen ex parte Societatis acceptatio est revocabilis ex gravi causa.

Scholion. 1°) Status religiosus **quoad substantiam,** fuit a **Christo** institutus; unde dici debet eum esse « *de jure divino non quidem praecipiente, sed consulente* », ut loquitur Suar. cum ceteris DD. Et re quidem vera Christus, dando tria consilia evangelica, eo ipso incitavit ad amplectendam illam vitae rationem, qua certius ac perfectiori modo, nimirum votis emissis et a superiore nomine Dei acceptatis, illa consilia observentur : qui enim vult perfecte finem, eodem modo vult efficacissima media. Quare Pius VI in

Brevi « *Quod aliquantum* » (10 Mart. 1791) loquens de decreto quo Conventus nationalis aboleverat Ordines regulares, declarat : « *Laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatum tanquam* Apostolicae *doctrinae consentaneam.* » Dixi : *quoad substantiam;* nam **quoad accidentalia,** i. e. quoad peculiarem ac determinatum modum vivendi tali vel tali Ordini proprium, status religiosus originem trahit ab **Ecclesia.** Christus enim nullum peculiarem Ordinem instituit. 2°) Praeterea status religiosus, **quoad substantiam,** ita Ecclesiae **connaturalis** est ac **necessarius**, ut ad ejus integritatem pertinere dicendus sit. Christus enim Ecclesiae suae notam sanctitatis indidit, non tantum *internae*, per gratiam sanctificantem et dona Spiritus Sancti; sed etiam *externae* et *publicae*, qua possit facile a falsis sectis discerni. Atqui haec sanctitas externa complectitur non solum exercitium virtutum quae ad salutem consequendam sufficiunt, sed etiam observantiam consiliorum evangelicorum, adeoque statum religiosum. Deinde haec necessitas eruitur *ex necessitate operariorum evangelicorum*, ita ut S. Lig. scribere non dubitet (*Selva*, p. 1, c. 9, n. 7) : « *Episcopos et parochos esse impares, qui omnibus spiritualibus populorum necessitatibus subveniant. Hinc, si Deus ipsis non alios, a quibus adjuventur, sacerdotes mitteret, Ecclesiae suae non sufficienter providisset.* »

Q. 55. *Quotupliciter* Ordines religiosi *distinguantur?*
R. Possunt reduci ad *quinque* supremas has species.

Explanatur. Sunt : 1°) **Monachales,** qui vi proprii instituti per se et principaliter ordinantur ad vitam contemplativam et solitariam. 2°) **Clericales,** qui ad ministeria spiritualia ; 3°) **Mendicantes,** qui excludunt possessionem bonorum immobilium etiam in communi; quamvis illa habeant ex Pontificis dispensatione, sicut hodie ex Trid. (sess. XXV, c. 3 *de regul.*) dispensatur cum omnibus Mendicantibus, praeter *Minores de Observantia* et *Capuccinos*. Quare ad Ordines Mendicantium pertinent quatuor antiquiores Ordines : *S. Dominici, Minorum, Eremitarum S. Augustini* et *Carmelitarum*, de quibus fit mentio in cap. unic. § *Sane, de Relig. domibus* in 6° ; ac praeterea Ordines *Servorum Mariae, Minimorum S. Franc. a Paula, S. Hieronymi*, ut declaravit S. Pius V in Const.

35 « *Romanus Pontifex* », et 48 « *Apostolicae Sedis* »; necnon *Societas Jesu*, ex Bulla « *Dum indefessae* ». 4°) **Militares**, qui ad militandum pro defendenda religione catholica, ut *Milites S. Joannis* et *Teutonici*; 5°) **Hospitalarii**, v. g. *S. Joannis de Deo*, qui ad peregrinorum receptionem et curam infirmorum. Omnes autem hujusmodi Ordines sub una ex his quatuor principalibus regulis militant, nimirum : *SS. Basilii*, *Augustini*, *Benedicti et Francisci*, adjectis statutis peculiaribus, quibus Fundatores suum quisque Institutum ad proprium finem perducerent; exceptis *PP. Societatis Jesu*, *Minimis* et *Carthusianis*.—Quantopere vero religiosae familiae de catholica Ecclesia deque civili societate **meruerint**, alibi (in opere cui titulus : Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum, p. 44) ostendi ex Encycl. Pii IX « *Ubi Primum* » (17 Jun. 1848).

Nota. Variis Ordinibus, speciatim *S. Francisci*, *S. Dominici* et *B. M. V. de Monte Carmelo*, accedunt *Tertiarii*, qui vel in communi sub regula, vel privatim in saeculo vivunt. De *tertio Ordine S. Franc. Assis.* praeclara exstat Const. Leon. XIII « *Misericors Dei Filius* » (30 Maii 1883). Ap. N. R. T. (XV, 195 seqq.).

Q. 56. An 1°) vota *simplicia* sufficiant ad essentiam status religiosi, et 2°) in quo vota *solemnia* differant a *simplicibus?*

R. Ad 1^{um}) *Affirmative*, ut constat tum ex Greg. XIII, Bulla : « *Ascendente Domino*, » qua declaravit, vere religiosos esse, qui in Societate Jesu tria vota substantialia, tametsi simplicia tantum, emittunt; tum ex Bened. XIV (*de Syn.* l. XIII, c. 11, n. 29) ubi scribit : « *Ex R. Pontificis auctoritate fieri potest, ut vera Religio ea quoque sit, in qua simplicia tantummodo vota emittuntur.* »

R. Ad 2^{um}) Vota *solemnia* differunt a *simplicibus*, non quidem essentialiter (pag. 37), sed ex dispositione Ecclesiae vota *solemnia* ita acceptantis, ut, seclusa dispensatione Sedis Apostolicae, tum A) sint perpetua, adeo ut vinculum ex utraque parte sit per se indissolubile; tum B) religiosus reddatur inhabilis ad actus validos voto repugnantes, adeo ut votum solemne castitatis et paupertatis voventem *prorsus* incapacem reddat matrimonii et dominii; votum vero obedientiae inhabilem ad contrahendam obligationem *independenter a superiore suo*.

Q. 57. An *parochi* possint impedire, quominus REGULARES conventum intra suae paroeciae fines *constituant?*

R. *Negative* prorsus, modo jura parochialia salventur, scilicet : 1°) ut parochiani recipiant sacramenta a parocho; quod hodie reducitur ad eucharistiam in paschate et in morte, ad extremam unctionem, ad baptismum et matrimonium; 2°) ut fideles sepeliantur in sua parochia, nisi habeant alibi jus sepulturae; 3°) ut ecclesiae parochiali solvantur decimae et oblationes juxta consuetudinem. — Itaque non omnia praejudicia sunt attendenda : secus nullus conventus aperiri possit, cum inde et oblationes et concursus et missae parocho certo minuantur.

Q. 58. Quid dicendum de iis, qui alios ad Religionem *inducunt?*

R. Ex S THOMA (2. 2. q. 189, a. 9 in cor.) dicendum est : « *Inducentes alios ad Religionem* NON SOLUM NON PECCANT, SED MAGNUM PRAEMIUM MERENTUR. *Dicitur enim* (JAC. ult. 20): Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum; *et* (DAN. XII,3) *dicitur quod* qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Posset tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio.* » Cfr. N. R. T. (VIII, 425-435).

Explanatur. Ex S. THOM. *(ibid.)* id fieret : « PRIMO *quidem, si* **violenter** *aliquis alium ad Religionem cogeret...* SECUNDO, *si aliquis* **simoniace** *alium ad religionem trahat, muneribus datis... Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in saeculo nutriens eum ad Religionem; vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam.* TERTIO, *si* **mendaciis** *eum alliciat : imminet enim sic inducto periculum, ne cum se deceptum invenerit, retrocedat, et sic fiant novissima illius hominis pejora prioribus, ut dicitur* (LUC. XI, 26). »

Q. 59. Quid de eo, qui alium *abstrahit* a statu religioso?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) id fecit **vi, metu, fraude**; vel 2°) dumtaxat **precibus et consiliis.** Si **Primum** : recola dicta

pag. 158. Si **Secundum** : *subdistinguendum* est : vel **A**) id facit **sine causa**, et tunc per se peccat graviter, cum charitas id prohibeat. Imo Trid. (sess. XXV, c. 18 *de regul.*) eos excommunicationi subjicit, « *qui sanctam virginem vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impedierint.* » Vel **B**) id facit **cum causa**, et tunc rem laudabilem facit, ut si religionem ingredi cogitans tales habeat vitae mores, ut religioni detrimento potius quam decori et utilitati futurus esse rationabiliter praevideatur. Cfr. N. R. T. (VIII, 437 seqq.).

Q. 60. An *peccet*, qui, se ad religionem vocatum *sentiens*, divinae vocationi *non obsequitur?*

R. *Negative per se* : quia perfectio in consilio est. Dico : *per se;* quia per accidens non excusatur a *levi*, ratione periculi salutis cui se exponit; imo nec a *gravi*, si sentiat, se sine proximo damnationis periculo in saeculo manere non posse. Cfr. S. Lig. (H. A. XIII, 26).

Q. 61. *Quomodo* peccet qui, *non vocatus*, religiosum statum *suscipit?*

R. Qui defectum vocationis *clare* noverit, per se peccat *graviter* : tum ob reverentiam Religioni debitam ; tum ob injuriam Deo illatam; tum ob periculum salutis quod ipse incurrit, suscipiendo obligationes, quibus moraliter satisfacere non poterit. Dico : *per se;* nam excusari posset, si voluntatem firmam habeat obligationes religiosi status adimplendi : quia status religiosus, suapta natura, talia ei suppeditabit auxilia, quibus poterit hanc suam exsequi voluntatem.

CAP. 2. De ingressu in religionem et professione.

Q. 62. *Quinam* prohibeantur religionem *ingredi?*

R. Generatim prohibentur : 1°) *qui suae potestatis non sunt;* 2°) *graviori aliqua obligatione aliis obstricti;* 3°) *criminosi;* 4°) *non habentes requisita a jure.*

Resolvitur. Ex **primo** capite, arcentur : **A**) *servi;* **B**) *conjugati;* **C**) *episcopi*, invito domino, conjuge, et R. Pontifice. Aliis *clericis*, etiam *parochis*, licet : invito, non tamen inconsulto, si con-

suli possit, episcopo, dummodo tamen non alio detineantur vinculo. Constat tum ex Can. « *Duae sunt leges* », in quo Urban. II statuit : « *Si quis horum* [clericorum] *in ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio... salvare se voluerit..., etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate* » ; tum ex unanimi Canonistarum sententia, quam refert Bened. XIV in Bull. « *Ex quo dilectus.* » Parochus tamen, qui officium dimissurus est, debet ex jure naturali, Episcopum suum de suscepto consilio certiorem reddere, ne grex sine custode deseratur. Et ad idem tenentur Clerici et alii beneficiati, ex honestate et officio, nisi excusentur ob metum reverentialem. Ita S. Lic. (IV, 75). Dixi : *dummodo tamen non alio detineantur vinculo* ; v. g. justitiae, quali detineretur clericus, qui fuisset gratuito educatus sub conditione, ut ministerium in dioecesi, per determinatum tempus, postea exerceret ; vel vinculo charitatis, ut si Ecclesia grave passura esset damnum ex ejus discessu ; imo, Episcopus posset, in tali casu, hujusmodi presbyterum a religione repetere, ut iterum notat S. Lic. (ibid.) ex cit Bull. Bened. XIV. Sic pariter missiones deserere prohibentur, qui *titulo missionis* cum juramento fuerunt ordinati. Ex **secundo** capite, arcentur : **A**) obnoxii *ratiociniis*, i. e. rationibus reddendis intricatis scilicet et litigiosis aut litibus causam daturis ; **B**) gravati *debitis*, de quibus diximus p. 155 seq. ; **C**) qui virginem *seduxerint*, promisso matrimonio ; **D**) hi quorum fratres in *extrema*, aut parentes vel filii in *gravi* necessitate versantur, dummodo interim possint sine proximo lethaliter peccandi periculo in saeculo commorari, ut docet S. Lic. (IV, 66) ex S. Thom. (*Quodlib.* 10, a. 9). Ex **tertio** capite, arcentur quos ex actis publicis constat criminis accusatos vel inquisitos fuisse. Ex **quarto** demum capite, arcetur : qui non obtinuerit *litteras testimoniales*, tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo post expletum 15 annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. Ita ex decreto S. C. *Super statu Regularium*, a Pio IX confirmato, die 25 Jan. 1848 (Cfr. Synopsis S. R. E. Card. Congr. pag. 147-154).

Scholion. Docuit Lutherus : « Extra casum necessitatis, peccare filios ingrediendo Religionem **sine parentum consensu.** » At certum est ex S. Thom. (2.2.q.104,a.5) filios circa status elec-

tionem esse **liberos**. Et quamvis deceat, ut dicunt DD., ut filii, nisi prius patris benedictionem susceperint, non discedant; hoc tamen intelligitur, cum nullum subest periculum, quod pater eos a sancto proposito avertat. Cum autem hoc periculum plerumque semper adest, ideo S. Thom. (*Opusc.* 17, c. 9) absolute hortatur filios, ne consanguineorum consilio utantur, cum res agitur de *vocatione religiosa*, inquiens : « *Dicitur enim :* Causam tuam tracta cum amico tuo. *Propinqui enim carnis in hoc negotio amici non sunt*, sed inimici hominis domestici ejus. »

Q. 63. Ad *quid* teneatur qui VOVIT religionem?

R. Per se tenetur eam ingredi, et quidem sub gravi.

Explanatur. Dico : **per se** ; nam, cum voto amplectendae vel profitendae religionis duplex insit conditio tacita : una, si *recipiatur* vel *non repellatur;* altera, *periculi* seu *tyrocinii faciendi ;* idcirco, si citra suam culpam non fuerit admissus vel dimissus fuerit; vel, periculo facto, vita regularis gravis ei videatur, vovens liberatur, saltem si religionem *determinatam* aliquam voverit. Utrum vero teneretur quaerere aliam, si *in genere*, i. e. quamcumque religionem vovisset, non satis constat. Profecto non tenetur mas hanc quaerere extra provinciam, foemina extra patriam.

Q. 64. Quaenam requirantur ad *validam* PROFESSIONEM?

R. Alia requiruntur *ex parte voventis;* alia *ex parte Ordinis.*

Explanatur. Requiritur **A) ex parte voventis : 1°**) Ut is qui profitetur sit sui juris, juxta dicta superius (pag. 330 seq.). **2°**) Ut 16 aetatis annum excesserit. **3°**) Ut toto superiori anno *continuo* in probatione steterit. **4°**) Ut praemissis, si mas, simplicibus votis, solemnia vota nuncupaverit non lapsus errore aliquo substantiali (p. 190 seq.), nec compulsus metu gravi injuste incusso (p. 192 seq.). Dixi : *praemissis* etc. Nam ex decretis S. C. *Sup. Stat. Reg.* (19 Mart. 1857 et 7 Febr. 1862) viri Religiosi omnes eorum Ordinum in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum, absoluto tyrocinio, tantum vota simplicia emittunt, *saltem ad triennium ;* deinde anno aetatis suae saltem *decimo nono* expleto ad solemnia vota admittuntur, si a superioribus suis digni reperiantur.

Justis autem de causis professio solemnis etiam diutius poterit differri, quamquam non ultra aetatem 25 annorum expletorum. 5°) Ut nullum habeat impedimentum, quod per statuta a Pontifice approbata in illo Ordine censetur essentiale. Nihilominus, ex Trid. (sess. XXV, c. 19, *de regul.*), etsi aliquid horum deficit, si toto quinquennio proximo professus tacuerit sciens volens, praesumitur ratam professionem habuisse. Dico : *praesumitur;* quia in foro interno veritas inspicienda est. Requiritur **B**) **ex parte Ordinis,** ut superior, ad quem spectat, consentiat in professionem et voventem recipiat.

Scholion. Ex S. Rit. Cong. (27 Aug. 1894) ap. N. R. T. (XXVI, 575 seq.) prodiit decretum generale praescribens **methodum** servandam in **emissione** et **renovatione** votorum, cujus hic tenor sequitur : « *Celebrans professionem vota excepturus, sumpto sanctissimo Eucharistiae sacramento, absoluta confessione, ac verbis quae ante fidelium communione dici solent, Sacram Hostiam manutenens, ad professentes sese convertet; hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac posteaquam quisque legerit, statim SS. Eucharistiae Sacramentum sumet. In* renovatione *autem votorum, celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitabunt ac postea ex ordine SS. Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est.* »

Et haec quidem **methodus** servanda in *professione* et *renovatione* votorum, vi obligandi pollet penes **quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes,** « *ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam coram celebrante Sacram Hostiam munu tenente.* » Ita S. Rit. C. (5 Jun. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 670).

Q. 65. Quinam sint *effectus* professionis?

R. Alii sint *gratiosi*, alii *onerosi*.

Explanatur. A) Inter **gratiosos** numerantur : 1°) *Remittit* ex opere operantis, utpote opus praestantissimum, poenam peccatis quoad culpam remissis debitam. Ita ex S. Thom. (2. 2. q. 189, a.

2 ad 3). Sed hoc de religionis professione, secundum rei naturam, solum probabiliter dici potest; idcirco, ut ait Sylvius, adjiciendum videtur quod Paul. V in Bull. «*Romanus Pontifex*» (23 Maii 1606) plenam concessit indulgentiam : tum illis qui habitum religionis suscipiunt, tum his qui, expleto probationis anno, professionem emittunt. **2°**) *Exstinguit* omnia vota saltem personalia simplicia prius emissa, veluti per quamdam commutationem in melius. **3°**) *Aufert* irregularitatem ex defectu natalium ad suscipiendos Ordines, non ad praelaturas et dignitates. Nec tollit irregularitates ex aliis defectibus vel culpis ortas. **4°**) *Solvit sponsalia*. **5°**) *Dirimit*, si tamen vota sint solemnia, matrimonium ratum non consummatum. **6°**) *Communicat* professo privilegia omnia Regularibus et Ordini concessa. — **B**) Inter **onerosos** veniunt : **1°**) *Obligatio* tendendi ad perfectionem, *primario* quidem, per observationem trium votorum essentialium; *secundario* vero, per observantiam regulae Ordinis propriae. **2°**) *Vinculum* perpetuum cum Religione, quod tamen vinculum ex parte Religionis an sit perpetuum, ex statutis Ordinis est desumendum. **3°**) *Constituit* impedimentum dirimens pro contrahendo matrimonio.

Q. 66. Quandonam religiosus *graviter* peccet contra obligationem *tendendi ad perfectionem?*

R. 1[m]) Si saepe saepius in materia gravi infringat *vota*, utpote media essentialia ad perfectionem consequendam. 2°) Si regulam, etiam non obligantem sub peccato, infringat ex contemptu formali (t. I. p. 197 seq.), qui tunc habetur ex S. Thom. (2. 2. q. 186, a. 9 ad 3) : « *Quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulae, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam;* » non vero quando « *propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae,... etiamsi* FREQUENTER *ex eadem causa vel alia simili peccatum iteret... Frequentia tamen peccati* DISPOSITIVE *inducit ad contemptum, secundum illud* (Prov. XVIII, 3) : Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. »

Scholion. In ordine **FF. Praedicatorum** Regula et Consti-

tutiones, exceptis votis et praeceptis, non obligant ad culpam etiam venialem; ita ut earum transgressio, exceptis duobus praedictis, non sit culpa nequidem venialis ex genere suo seu ex parte operis; potest tamen esse culpa ex parte operantis. Constat ex Prologo Constitutionum praefati Ordinis, § 4. Idem dic de quacumque alia Religione habente simile statutum, ut est **Societas Jesu**, teste SANCH. et PALAO; Ordo **Minimorum**, teste PASSAREL, et forte alii quidam Ordines. Nec obstat quod in Regula *S. Augustini*, quam profitetur Ordo **Praedicatorum**, dicatur : « *Haec sunt quae, ut observetis, praecipimus.* » Quia verbum « *praecipimus* » non sumitur hic stricte pro praecepto rigoroso, sed late pro monitione, ordinatione, statuto, etc. Idque indicant multitudo et parvitas rerum quae in ea Regula continentur. Quod si contendas hoc verbum rigorose accipi; respondemus, hanc Regulam sub isto rigore non esse in Ordine **Praedicatorum** receptam, sed ea tantum conditione ut non obligaret ad culpam, nisi in casibus in Constitutione expressis, ut patet ex Prologo citato. Cfr. BILL.

Q. 67. An peccet *graviter* Religiosus, qui intendit tantum servare mandata *obligantia sub gravi*, alia vero statuat omnia transgredi vel de iis non curare?

R. *Negative per se*, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, quam expresse docet S. THOM. (2. 2. q. 186, a. 9). Ratio ex S. LIG. (IV, 11) est : « quia eo ipso quod velit servare praecepta quae respectu ipsius obligant sub gravi, cum ista de se et respectu aliorum sint mera consilia, volens ea servare, jam tendit ad perfectionem. « Dico : *per se;* i. e. ratione hujus praecise obligationis quam habet tendendi ad perfectionem; nam ordinarie a gravi non excusatur *per accidens*, i. e. ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum inferendi Religioni quoad disciplinam.

Q. 63. An *peccet graviter* SUPERIOR, leves defectus subditorum corrigere negligens?

R. *Affirmative*, si defectus sint frequentes, et tales, ut disciplinam notabiliter valeant relaxare, ut si religiosi silentium liberius frangunt, otio torpent, ad chorum segnius accedunt, curiositatibus vacant, potum sectantur, etc.

Resolvitur. Quare tenetur hujusmodi defectus non solum corrigere sed etiam inquirere ut corrigat, prout docet S. Thom. (2. 2. q. 33, a. 2 ad 4), sine tamen nimia sollicitudine. Expedit autem, ut aliquando corrigere dissimulet, si defectus scandalum non adferant, vel si praevideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit exspectandum. Et hic advertendum cum S. Lig. (IV, 13) : « Quod, si oportet ad corrigendum, superior possit subditum etiam verberare et conviciis increpare, ex D. Thom. (2. 2. q. 72, a. 2 ad 2); modo non agat ex ira nec coram saecularibus aut novitiis. Et sicut superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum admonere, qui officium **zelatoris** habet. »

CAP. 3. De obligationibus religiosorum vi votorum : A) castitatis; B) obedientiae; C) paupertatis.

Q. 69. Ad *quid* teneatur *religiosus* vi voti CASTITATIS?

R. Tenetur non tantum abstinere a conjugio, sed etiam ab omni actu, tum interno tum externo, castitati repugnante. Alioquin peccatum sortitur duplicem malitiam : unam luxuriae contra virtutem castitatis; alteram sacrilegii contra votum; mortalem vel venialem, prout castitati graviter vel leviter peccatum adversatur. Nihilominus si Ordine quoque sacro est obstrictus, verius est, eum unius dumtaxat sacrilegii reum fieri (tom. I, pag. 247).

Q. 70. Ad *quid* teneatur vi voti OBEDIENTIAE?

R. Tenetur : 1°) Ad servandam regulam, juxta vim obligationis in unaquaque religione receptam. Licet autem regula per se sub peccato non obliget, in praxi tamen raro sine peccato fit deliberata transgressio. 2°) Ad obediendum superiori praecipienti *juxta* regulam, i. e. jubenti ea, quae in regula seu *expresse*, seu *virtualiter* continentur, qualia sunt ea omnia quae sunt necessaria ad regularem observantiam tuendam, ut puta mutua charitatis officia, Ordinis negotia, etc.; et quidem tenetur sub *mortali*, si materia sit gravis et superior id se intendere sufficienter declaret, ut si praecipiat sub poena *excommunicationis*, *in virtute S. Obedientiae* aut *in nomine D. N. J. C.* Non tamen si praecipiat *contra* re-

gulam, nisi forte habeat potestatem dispensandi et justa dispensandi causa subsit, quod semper in dubio est praesumendum; neque si praecipiat *supra* regulam, ut si quis juberetur nudis pedibus perpetuo incedere vel cibis quadragesimalibus semper uti in religione, quae id non profitetur; neque tandem si praecipiat *infra* regulam, ut vana et inutilia, v. g. ambulare, quiescere, recreari, nisi haec praecipiat ex justa causa, aut ad exercitium obedientiae secundum regulam. Dum autem in regula dicitur, *in omnibus obediendum esse superiori*, id intelligitur : in omnibus necessariis et conformiter instituto injunctis. 3°) In dubio de superioris auctoritate, non tenetur parere, nisi communis praesumptio superiori faveat. Quod si constet de auctoritate et dubium sit de materia an sit licita vel cadat sub ejus potestatem, deponendum est dubium, et praesumendum pro superiore, nisi sic obediendo immineret subdito vel alteri grave incommodum, et non obediendo nihil ejusmodi metuendum esset. Cfr. BILL.; SASS.; S. LIG. (IV, 38 seqq.)

Q. 71. *Quid* importet votum PAUPERTATIS in religione emissum?

R. *Distinguendum* est inter votum paupertatis *simplex* et *solemne*.

Explanatur. Itaque : 1°) Votum **simplex** religiosum dominio *directo* seu radicali (pag. 10) suorum bonorum non quidem spoliat sed tantum *indirecto*, quatenus ei interdicit eorumdem administrationem et redituum erogationem ac usum, sine licentia superioris *expressa*, *tacita* vel prudenter *praesumpta*. 2°) Votum vero **solemne** abdicationem importat omnis dominii, tam *directi* quam *indirecti*, scilicet proprietatis, ususque independentis a voluntate superioris cujuslibet rei temporalis pretio aestimabilis (pag. 36 seq.). Nihilominus, quamvis illud prohibuerit Conc. TRID. (sess. XXV, c. *de regul.*), et CLEM. VIII, (Const. « *Nullus* » 25 Jul. 1599,) *consuetudine* tamen in quibusdam religionibus introductum est, ut religiosi ex consensu superioris habeant **peculium**, i. e. bonum aliquod mobile : census, annuam praestationem, ad illorum peculiares usus destinatum, modo parati sint id a se abdicare ad superioris nutum. Ubi tamen hujusmodi consuetudo non exsistit, ab usu *peculii* in monasteriis

de novo introducendo abstineant superiores, quoniam ex S. Lig. (IV, 15) a peccato gravi non excusabuntur « *ob regulae relaxationem, cui, hac concessione, procul dubio operam dabunt.* »

Q. 72. An religiosus ex voto PAUPERTATIS prohibeatur sine licentia recipere *res alienas* sive 1°) in *depositum*, sive 2°) *in pias causas* erogandas?

R. Ad 1^{um}) Juxta probabiliorem sententiam, *negative*, si eas recipiat animo reddendi, quoties dominus voluerit; etiamsi ita depositae sint apud religiosum, ut iis uti possit, petita postea et impetrata superioris licentia. Tunc enim non exercetur actus proprietatis.

R. Ad 2^{um}) Etiam *negative*, si opera pia *determinentur* a donatore, ut si accepta pecunia eroganda sit tali pauperi, tali monasterio, tali ecclesiae; quia tunc religiosus non esset nisi *canalis* seu velut *commissarius* donatoris. Imo, probabiliter non peccaret contra votum paupertatis, quamvis id *arbitrio* ejus penitus relictum fuerit : quippe propter *arbitrium* hujusmodi nihil elargitur suo nomine.

Q. 73. Quaenam materia censenda sit *gravis* in violatione voti *paupertatis*?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Religiosus vel 1°) *tantum* violat votum **paupertatis**; vel 2°) *simul* violat **justitiam.** Si hoc **posterius,** tunc *subdistinguendum est.* **A**) Si religiosus furetur ab *extraneis*, se habet ut ceteri fures dicti, ipsique applicanda sunt tradita de gravi materia in furto seu sufficiente ad peccatum mortale (pag. 75 seqq.). **B**) Si furetur ex bonis *sui conventus*, ea sibi appropriando vel alienando, DD. *disputant.* 1°) Alii, religiosos *filiisfamilias* comparantes, ad peccatum mortale ex parte materiae requirunt duplum illius, quod requiritur ad furtum mortale ab extraneo patratum (pag. 80 seq.). 2°) Alii docent, eamdem quantitatem sufficere ad mortale ac si furaretur ab *extraneo :* quia superior esse debet rationabiliter invitus, non solum quoad substantiam rei ablatae, sed etiam quoad disciplinam et perfectionem Religionis, secundum quem finem regulari debet licentia sive expressa, sive tacita, sive praesumpta. Si tamen, addunt, religiosus surripiat parva comestibilia, ut ipsemet

consumat, non peccat graviter, etsi ab initio esset animus illa prosequendi, et etiamsi ex his modicis ad quamcumque summam pervenerit : quia nunquam coalescunt ; secus vero, si ea surripiat ad dandum, vel vendendum : quia ibi, non hic, habetur voluntas superioris praesumpta. 3°) Alii tandem viam mediam tenent inter utrumque, adeo ut pro mortali minorem quantitatem requirant quam in furtis filiorumfamilias, majorem vero, quam in furtis externorum. Si vero **prius**, i. e. in peccatis contra solam Religionem seu contra solum votum commissis, iterum DD., ut supra, *disputant*. In hoc conveniunt, religiosum *graviter* non peccare contra votum paupertatis, in sequentibus casibus : **A**) Si rem aliquam communitatis, v. g. librum, clam accipiat seu mutuet ad usum proprium, etiam diuturnum, nisi ita occultet, ut a superioribus inveniri nequeat. **B**) Si communitatis rem mutuo cedat extraneis, modo certus sit de restitutione facienda, nec tali mutuo communitati grave damnum inferatur, v. g. ex eo quod careat usu rei hic et nunc multum necessariae. **C**) Multo minus, si communitatis rem mutuo cedat aliis religiosis ejusdem monasterii. **D**) Si absque omni licentia comedat aut bibat apud exteros.

Q. 74. An *solvatur* a VOTIS et REGULIS Regularis promotus : sive 1°) ad *episcopatum* aut *cardinalatum ;* sive 2°) ad *parochiam?*

R. Ad 1^{um}) Quoad VOTA, ex S. THOM. (2. 2. q. 88, a. 11, ad 4) *negative :* quia vota personalia comitantur personam. Hinc religiosus episcopus sive cardinalis obligatur : A) *voto castitatis*, ut per se patet ; B) *voto obedientiae*, non quidem respectu superiorum Ordinis, sed respectu Pontificis, cui altiori et strictiori modo obedire tenetur, quam alii fideles vel episcopi, scilicet ex vi ipsius voti solemnis ; denique C) *voto paupertatis*. Nihilominus a confirmatione sua tales fiunt capaces dominii acquirendi, et recuperant jura successionis ; verum non sibi acquirunt, sed ecclesiis suis Cathedralibus ; ideoque de acquisitis nec disponere, nec testamentum facere possunt. At iis frui possunt, immo et de suis reditibus ecclesiasticis disponere inter vivos, perinde ac episcopi saeculares. Quoad REGULAS vero, ex eodem S. THOM. (2.2.q.185,a.8), iis tenetur : « *quae non impediant pontificale officium.... et per con-*

sequens ad portandum habitum suae religionis », non quidem quoad figuram, in qua potest se conformare ceteris episcopis, sed quoad colorem, licet transgrediendo non incurrat poenas Ordinis. Ceteras vero regulas, « *quae officio pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium et aliquae abstinentiae vel vigiliae graves* »; vel etiam, ut addunt communiter DD., *quae pontificalem dignitatem dedecent*, sicut quod non possit quoquam foras ire absque socio sui Ordinis, et alia hujusmodi, observare non tenetur. Quae doctrina S. THOMAE plane confirmatur ex decreto S. C. EPISC. ET REGUL. (6 Maii 1864). Sed amisso episcopatu ad *eadem claustra* tales redire debent; alias a pontificalibus, et, post annum, a divinis suspenduntur ipso facto.

R. Ad 2^{um}) Idem pene juris est in religiosis ad *parochiam* promotis : adeoque, et votis tenentur et regulis, quae cum officio parochiali consistere queunt; si quid acquirunt ex beneficio parochiali, parochiae acquirunt; habitum gestare debent; et dimisso beneficio ad suum monasterium reverti.

Nota. 1°) Episcopus regularis si sit de familia *Minimorum* tenetur adhuc ad votum vitae quadragesimalis; si de familia *S. Francisci*, ad jejunium feriae sextae, etc., nisi fuerit a S. Sede specialiter dispensatus. **2°**) Ad *officium divinum* quod attinet, tenetur episcopus regularis ex S. C. RIT. (11 Jun. 1605) illud recitare non quidem juxta ritum suae religionis, sed juxta ritum suae dioecesis.

CAP. 4. De obligationibus jure canonico aut consuetudine professioni religiosae annexis. Ubi praesertim de clausura.

Q. 75. Quaenam sint praecipuae obligationes *jure canonico* aut *consuetudine* professioni religiosae annexae?

R. Sunt *tres* : 1°) EX JURE CANONICO, *gestare habitum Ordinis*. Hinc religiosus, *temere* dimittens habitum, peccat mortaliter et incurrit excommunicationem. Immo, etsi deferat, sed ita coopertum, ut cognosci non possit. Dixi : *temere;* i. e. causa liberius vagandi. Unde excusatur qui motivo sanitatis, vel periculi vitandi, aliave ratione a suis superioribus vel con-

suetudine probata, ad tempus dimittit habitum Ordinis. 2°) Ex JURE CANONICO, *servare clausuram*. 3°) Ex CONSUETUDINE generali, vim legis habente, *recitare officium divinum*, qua obligatione tenentur omnes Regulares solemniter professi utriusque sexus, qui choro sunt addicti, juxta dicta superius (pag. 284 seq.).

Q. 76. *Quid* intelligatur nomine CLAUSURAE?

R. Intelliguntur interiora monasterii, seu virorum, seu mulierum, habitacula, imo et horti intra septa siti. Comprehenditur quoque sacristia, si non sit in eam ingressus, nisi per claustra monasterii; secus, si et per ecclesiam, quippe tunc censetur hujus pars.

Q. 77. Qualis sit in Ordinibus *stricte* dictis obligatio CLAUSURAE?

R. *Distinguendum* est inter *viros* et *moniales*.

Explanatur. 1°) Clausura **virorum** duo importat : **A**) Ut nulli Religioso liceat excedere monasterio sine licentia superioris saltem praesumpta, interdiu sub levi, noctu sub gravi. **B**) Ut nulli mulierum non exemptarum liceat in clausuram pedem inferre easque admittere, sub poena excommunicationis R. P. reservatae, tam ab introeuntibus quam ab admittentibus ipso facto incurrendae, ac insuper ex parte Regularium sub poena privationis officiorum et inhabilitatis ad illa, atque suspensionis a divinis ex declaratione S. Pii V : « *Decet Romanum.* » Dico : *non exemptarum;* nam de jure exemptae sunt reginae et fundatrices (si hoc jus ipsis per litteras apostolicas confirmatum fuerit), earumque pedisequae, « *dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi... causa* », aliisque sub conditionibus, de quibus BENED. XIV, Const. « *Regularis disciplinae.* » — 2°) Clausura **monialium** longe arctior est. Etenim : **A**) Nulla earum *egredi* clausuram permittitur, « *nisi ex aliqua legitima causa, ab episcopo approbanda* » ex CONC. TRID. (sess. 25 c. V *de Reg.*) idque sub poena excommunicationis R. P. reservatae, ex Const. « *Apostolicae Sedis.* » Causae autem legitimae sunt : periculosum incendium, pestis, epidemia, lepra vel similis morbus contagiosus, qui coenobium et non urbem tantum invaserit; aut alia causa aeque

gravis vel gravior, ut inundatio, incursus hostium, praesertim haereticorum vel infidelium; imo, satis probabiliter cum Suar. (*De rel.* lib. I, c. IX, n. 9) gravis morbus, a quo in monasterio curari non possit : quia defendere se contra morbum est juris naturalis, et leges humanae non obligant cum periculo vitae. Contradicit tamen communior sententia ap. N. R. T. (IX, 193.) Sed in omnibus casibus requiritur, si tempus suppetat, licentia Episcopi in scriptis, et etiam Praelati regularis, si monasterium sit exemptum. **B**) Nemo, sine licentia Ordinarii, et, si monasterium sit exemptum, etiam superioris ejus Ordinis (nisi alius sit usus), clausuram *ingredi* permittitur, cujuscumque sit generis, conditionis, sexus, aetatis (exceptis tamen, ut supra, regibus, reginis, fundatricibus cum honesto comitatu), praeterquam necessitatis causa, idque sub poena excommunicationis R. P. reservatae, tam ab ingredientibus, quam introducentibus vel admittentibus, ipso facto incurrendae. Causae autem hujusmodi sunt : **a**) *Infirmarum cura;* inde ingredi licet Medicis et Chirurgis ad medendas aegrotas. **b**) *Sacramentorum administratio;* ex quo capite ingredi licet confessario ad ministrandum infirmis Poenitentiam, Eucharistiam (quoties haec datur sanis), et Extremam Unctionem, necnon ad commendandas animas agonizantium. Immo, probabiliter, ad celebrandum in infirmaria diebus festis et dominicis, ut aegrotans missam audiat. Interim introire debet cum cotta et stola, et, si est *Regularis*, cum socio; duabus monialibus usque comitantibus, rectaque via ire et redire, nec ad aliam partem monasterii aut ad aliam monialem divertere, nec refici aut cibum aut potiones sumere; et, si necesse sit monialis infirmae confessionem excipere, excipienda erit patentibus cubiculis, et monialibus, quae ipsum comitatae sunt ad valvas cubiculi ita constitutis, ut tum ipsum, tum infirmam facile conspicere possint. **c**) *Visitatio monasterii*, et sic intrare licet visitatori ut munus obeat. **d**) *Commune servitium*, ex quo capite patet ingressus operariis, bajulis, olitoribus, aliis, pro reparando aut construendo aedificio, pro fodienda terra, aperiendo sepulchro, etc. Curandum tamen, ut non adsint in monasterio ante solis ortum et post occasum.

Scholion. I. «Sub die 16 Jul. 1884 **dubia** sequentia proposita fuerunt diluenda S. C. Episc. et Regul. nimirum : **1°**) *An episcopus*,

auctoritate propria, permittere valeat, ut recipi possint in Monasteriis clausurae subjectis, mulieres quae ingredi cupiunt veluti PENSIONARIAE? 2°) *Pariter an potest episcopus, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum Monialem aliquam de uno ad aliud Monasterium transferre, etiam Ordinis ejusdem, justa interveniente causa?* 3°) *Potestne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam Monialem, quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius Monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem ejusmodi cum hoc munere?*» «S. Congregatio EE. Cardinalium negotiis EPISC. et REGUL. praeposita, super praemissis precibus die 16 Jul. 1884 mandavit rescribi : *Negative* in omnibus. Datum Romae ex Secret ejusdem Congr. sub die 16 Jul. 1884. » Ap. N. R. T. (XVII, 7).

Scholion. II. Sacerdos *saecularis* administrans Sacramenta Monialibus, « *debet uti Rituali Romano.* » Ita S. RIT. C. (8 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 668.). Item in translatione cadaverum Monialium e loco superiore Monasterii ad chorum inferiorem et in earum exsequiis *servari potest Rit. et Missale Romanum*, « *dummodo lex clausurae in ejusmodi translationibus non violetur.* » Ibid.

CAP. 5. De religiosis transeuntibus ad aliam religionem, deque ejectis, fugitivis et apostatis.

Q. 78. An liceat *religioso professo* TRANSIRE de una religione ad aliam?

R. *Affirmative*, ex INNOC. III, Decretali « *Licet* », si occurrant requisita de jure.

Explanatur. Conditiones sunt : 1°) Ut non fiat ex passione, temeritate et inconstantia, sed bono zelo. 2°) Ut fiat transitus ad Ordinem strictiorem; et hinc, teste SPOR., ex Ordine Seraphico ad nullum alium licet transire, juxta Const. JUL. II : quia est rigidior quovis alio. 3°) Ut fiat petita saltem licentia, etsi non obtenta, prioris superioris, cui tamen etiam constare debet, ubinam is sit recipiendus, sicque competit dare dimissorias, sine quibus discedens tractatur ut apostata. 4°) Ut fiat conformiter privilegiis pro-

priae religionis. 5°) Quod si volens transire, ipse sit superior, debet habere licentiam ipsiusmet Pontificis. — Quare conditiones omnes cum raro occurrant, ordinarie non expedit ad aliam religionem transire, licet aliquando etiam sit laudabile et sanctum, ut constat exemplo S. Antonii Patavini.

Q. 79. Quid dicendum de *religiosis professis* : sive 1°) EJICIENDIS, sive 2°) jam EJECTIS aut SPONTE DIMISSIS?

R. Ad 1^{um}) Ex decreto S. C. Episc. et Regul. « *Auctis admodum* » jussu Leon. XIII edito (4 Nov. 1892), ap. N. R. T. (XXV, 29 seqq.) — « Dispositiones contentae in decreto S. C. C. jussu Urbani VIII edito (21 Sept. 1624) incipien. « *Sacra Congregatio* », ac in decreto ejusdem S. C. jussu Innoc. XII edito (24 Jul. 1694) incipien. « *Instantibus* », ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus *Ordinum Regularium* servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus *Institutorum votorum simplicium*, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac *in Sacris insuper Ordinibus* constituto dimittendo : ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, *nisi ob culpam gravem, externam et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis.* » — Quod pridem jam docuerat S. Thom. *Quodlib.* XII. 36).

Explanatur. « *Ut autem quis* **incorrigibilis** *revera habeatur,* » ex eodem decreto jussu Leon. XIII edito, « *Superiores praemittere debent, distinctis temporibus,* **trinam** *admonitionem et correctionem ; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum, exhibere valeat ; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec superior cum suo Concilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronun-*

diare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. **appellaverit**, *donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit.* » Tum immediate subjungitur : « *Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta* **servari nequeat**, *tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi* **dispensationem** *a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi* **summario modo** *juxta praxim vigentem apud hanc S. C.* » Ap. Acta S. Sedis (XXV, 313 seq.) et N. R. T. (XXV, 29 seqq.).

R. Ad 2^{um}) Ex eodem decreto S. C. EE. et RR. (4 Nov. 1892), sancitum est sub n. IV : « *Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum vel temporalium in Sacris Ordinibus constituti, qui* **expulsi vel dimissi** *fuerint,* **perpetuo suspensi maneant,** *donec a S. Sede alio modo eis consulatur ; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.* » Quae duae adjectae conditiones, nempe : ut *episcopum benevolum receptorem invenerint* et *de patrimonio ecclesiastico sibi providerint*, sunt *collective* intelligendae, ut constat ex decl. S. C. Episc. et Reg. (20 Nov. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 190).

Praeterea in eodem decreto statuitur sub n. V : « *Qui in sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis sive temporalibus,* **sponte** *dimissionem ab Apostolica sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ; secus* **suspensi** *maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.* » — Haec tamen suspensio ex cit. resp. S. C. Episc et Reg. (20 Nov. 1895) ipso facto cessat, quando duae

istae conditiones impletae sunt, neque ad illam tollendam ad S. Sedem est recurrendum (1).

Q. 80. Quid dicendum de *religiosis professis* FUGITIVIS vel APOSTATIS?

R. 1°) FUGITIVI et APOSTATAE, hi sunt, qui propria voluntate discedunt. Si e monasterio discedunt animo ad tempus vagandi, sed iterum redeundi, vocantur *fugitivi* seu *profugi*. Si vero, Christi fide retenta, discedunt animo nunquam redeundi, dicuntur *apostatae*. 2°) Eodem jure FUGITIVI et APOSTATAE censentur. Quare *votis* et *regulis* manent obstricti, prout antea. At vero si quid acquirant, hodie, ipsis mortuis, jure spolii pertinet ad Cameram Apost. Praeterea, suspensi sunt ipso jure ab Ordinibus sacris in apostasia forte susceptis.

CAP. 6. De nonnullis privilegiis regularium : A) circa exemptionem; B) circa sacramentorum administrationem et receptionem; C) circa vota, juramenta ac impedimenta.

Q. 81. In quo consistat *privilegium* EXEMPTIONIS?

R. In eo consistit, quod Regulares a jurisdictione episcoporum sint exempti et Sedi Apostolicae immediate subjecti; et non solum professi et conversi, sed etiam novitii, tertiarii, immo famuli qui actu famulantur et resident intra claustra monasteriorum.

Resolvitur. Hinc eximuntur : **A**) Ab episcopi **visitatione**

(1) Cum Episcopus ABULENSIS petierit : « *Quid faciendum cum his miseris clericis qui nec Episcopum benevolum receptorem inveniunt, nec patrimonium ecclesiasticum sibi constituere possunt?* » hinc S. C. EPISC. ET REG. (20 Nov 1895) ap N. R. T. (*l. c.*) facultatem tribuit Episcopo ABULENSI « *quatenus nihil aliud sibi obstet, permittendi praefatis alumnis Sacros Ordines exercere ad tempus sibi benevisum, donec maneant in sua dioecesi, firma obligatione sibi inveniendi Episcopum benevolum receptorem et constituendi sibi sacrum patrimonium ad formam Decreti* Auctis admodum *aut Rescriptorum Sacrae Congregationis, si quae obtinuerint.* » Quae concessio, etsi omnino particularis, satis indicat, quid alii Ordinarii in his circumstantiis obtinere valeant.

tum quoad personas, tum quoad monasteria et ecclesias. Excipe : **1**) *Clausuram monialium*, etiam in monasteriis exemptis, quippe quae curae et vigilantiae episcopi imprimis demandatur, tanquam delegati Sedis Apost. **2**) *Ecclesias saecularium*, quarum parochus esset religiosus. **3**) *Ecclesias regularium*, si sint *parochiae*, sed quoad ea tantum, quae ad parochiam et parochum, quatenus id gerit officii, spectant. **B**) A **censuris episcopalibus**. **C**) Non incurrunt **episcopalem reservationem**, et ideo ex licentia suorum superiorum possunt confiteri et absolvi per sacerdotem saecularem dioecesanum a reservatis, etsi ille non sit approbatus pro reservatis. **D**) Non tenentur **legibus episcoporum** et **statutis synodalibus** (tom. I, pag, 130), extra casus a jure expressos, puta : **1°**) quoad leges quas fert episcopus ut delegatus apostolicus; **2°**) quoad censuras et interdicta in populum ab episcopo promulgata et publicanda in propriis ecclesiis, si ipse mandaverit; **3°**) quoad ea quae respiciunt administrationem sacramentorum cum exteris; **4°** quoad festa et jejunia dioecesis.

Scholion. Rationes, ob quas RR. Pontifices **exemptionem** Regularibus concesserunt, hisce verbis adfert Leo XIII Const. « *Romanos Pontifices* » (8 Maii 1881) : « *Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est* divina ordinatione *constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni* religiosae conversationis *consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum jurisdictione exemptum esse statuerunt. Cujus rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint juris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas jure communi et Episcopis propter hieraticum principatum et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse, oporteret, in Ejus potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic hujus privilegii tem-*

perata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae. » **Notandum** tamen quod in eadem Const. legitur : « *Jure autem communi constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos* sex minimum *non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant.* » At simul declaratur : « *Regulares, qui* in residentiis **missionum** *commorantur* [quamvis pauci fuerint] *exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a jure nominatim expressis et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.* »

Q. 82. *Quaenam* sint PRIVILEGIA Regularium : 1°) quoad *administrationem sacramentorum*; 2°) quoad eorumdem *susceptionem?*

R. Ad 1^um^) Quoad *administrationem*, possunt sacerdotes regulares sequentia.

Explanatur. 1°) Eucharistiam ministrare in suis ecclesiis omnibus fidelibus, excepto die *paschatis*, ut constat ex S. C. C. (31 Jan. 1682). *Romae*, ex consuetudine, etiam excipitur feria V in Coena Domini (tom. I, p. 530). **2°**) Dare communionem paschalem, extremam unctionem et viaticum suis subditis, novitiis et familiaribus. **3°**) Celebrare missam una hora ante auroram, i. e. tribus horis ante solis ortum, et una hora post meridiem; eodemque privilegio gaudent sacerdotes saeculares in ecclesiis Regularium. Ast pro Regularibus hoc privilegium est *locale* et *personale* : videtur enim concessum pro facilius muneribus obeundis tam intra quam extra claustra. Olim quidem, ex privilegio concesso ab Eug. IV, Regulares poterant celebrare etiam tribus ab elapso meridie horis (S. Lig. H. A. XX, 122); at istud privilegium a S. Pio V fuit revocatum. **4°**) Ex superioris sui approbatione confessiones audire et absolvere religiosos ejusdem Ordinis *(professos, conversos, novitios* et *familiares)* absque ulla episcopi loci approbatione; imo *alumnos convictores*, qui pecuniam tribuunt ut, apud Regulares commorantes, victum, doctrinam et educationem a magistris accipiant, ut latius dicetur in *Tract.* DE POENIT. q. 75. **5°**) Ex sola licentia suorum Praelatorum ordinari possunt *extra tempora*; sed nonnisi in festis

de praecepto, etiam in favorem fidelium abrogatis, ut conficitur ex decreto S. Rit. C. (18 Maii 1883).

R Ad 2um) Quoad *susceptionem* sacramentorum, haec sunt Regularium privilegia.

Explanatur. 1°) Concedi solet, ut tempore *Jubilaei* Regulares, etiam Moniales, sine superioris licentia, possint cuilibet sacerdoti approbato confiteri et ab eo absolvi, etiam a reservatis in propria religione, sine ulla obligatione se postea praesentandi illi, qui in sua religione facultatem habet supra reservatis. Dixi : *solet;* unde inspiciendae sunt clausulae Constitutionis Pontificis, qui Jubilaeum concedit. 2°) Juxta S. Lig. (VI, 575) aliosque, Regulares in itinere vel extra Conventum commorantes, deficiente socio idoneo sui Ordinis, confiteri possunt cuilibet sacerdoti sive regulari sive saeculari etiam non approbato ab Episcopo ad audiendas confessiones saecularium, *modo idoneus sit;* idque probant ex declarationibus Sixti IV in Bull. « *Supplicari* » (2 Aug. 1479) et Innoc. VII in Bull. « *Provenit* » (17 Oct. 1405). Huic resolutioni utique **non obstat** *decisio* S. C. C. (die 18 Nov. 1769) ad postulatum Episcopi Hildesheimensis, quippe quae non est ad rem. Scilicet, declaratum quidem fuit, illicitas et invalidas esse confessiones Religiosorum, qui ibi solebant sibi eligere presbyterum saecularem ab episcopo non approbatum; at agebatur de illis Religiosis quibus non deerat copia confessarii proprii Ordinis, ut patet ex Dubii expositione. **Nec obstat** *Breve* Bened. XIV (30 Mart. 1742) in quo exigitur, ut *Capuccini* eligant approbatum ; **nec obstat** *declaratio* S. C. Episc. et Regul. (3 Jun. 1864), qua eadem conditio apponitur pro Ordine *Eremitarum S. Aug.* Minime enim constat, ad omnes Regulares extendenda esse, quae ita pro Capuccinis et Eremitis statuta ac decreta sunt. Unaquaeque enim Religio proprias constitutiones habet. De cetero, ad *Capuccinos* quod attinet, « Pius IX in Brevi (28 Sept. 1852) modificavit praedictam dispositionem Bened. XIV, concedendo Fratribus Capuccinis, sive laicis, sive sacerdotibus in quocumque loco degentibus, causa concionum, Missionum, itineris vel propter quamcumque aliam legitimam causam, cum non sit ibi coenobium vel hospitium et copiam *unius sacerdotis confratris tantum* habeant, facultatem fatendi peccata sua sacerdoti saeculari ab

Ordinario approbato, vel alteri sacerdoti regulari approbato a superiore Ordinis ad quem ille pertinet. Pariter ab iis possunt absolvi a casibus et censuris reservatis in Ordine, firma tamen remanente obligatione sese postea praesentandi proprio superiori, ut iterum absolvantur a dictis casibus et censuris. » Ita testatur G. DE VARCENO. Imo, haec obligatio sese postea praesentandi proprio superiori sublata fuit ex concessione LEONIS XIII per decretum S. C. EPISC. ET REGUL. (5 April. 1897) ap. N. R. T. (XXIX. 317 seq.). **Non obstant** itaque haec omnia. Ast **Ratio dubitandi** forte petitur ex aliis : **A**) Teste FAGNANO in cap. finali *de poenitentia et remissione*, S. C. C. declaravit privilegium, quod competit episcopis, eligendi confessarium etiam sibi non subditum, a Concilio TRID. non quidem fuisse sublatum ; sed tamen episcopum non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, « *nisi aut parochiale beneficium habeat, aut a suo Ordinario approbatus fuerit ad confessiones audiendas,* » ad praescriptum cap. 15 sess. 23 ; idemque declaravit GREG. XIII, audita relatione Congregationis. A pari ergo, quin dicam a fortiori, quodcumque privilegium Regularibus concessum debet coordinari dispositioni ejusdem capitis. **B**) Idem FAGNANUS ad tramitem decisionis S. Congr. ait : « *recognitionem* IDONEITATIS *fieri debere per episcopum confessarii.* » **C**) Accedit, valde turbari ordinem in dioecesi, si presbyter, ab episcopo non approbatus, susciperet Regularium confessiones.

Q. 83. Quaenam sint *privilegia* Regularium circa *vota*, — *juramenta* — ac *impedimenta?*

R. 1°) Possunt tam intra quam extra suas ecclesias, in foro conscientiae tantum, dispensare in omnibus votis, etiam juratis, saecularium, in quibus de jure ordinario possunt dispensare episcopi, modo sint ab Ordinario approbati et a suis superioribus ad audiendas saecularium confessiones deputati (tom I, pag. 410). 2°) Possunt in confessione sacramentali dispensare cum conjugibus in impedimento exigendi debiti propter incestum etiam in primo gradu commissum cum persona consanguinea compartis. 3°) Possunt dispensare in confessione sacramentali a voto castitatis perpetuae cum conjugibus in ordine ad usum matrimonii, i. e. tam ad petendum quam ad reddendum debitum, sive ante sive post initum matrimonium

votum emissum fuerit; modo tamen ex communi consensu ambo non voverint castitatem. Non vero possunt in casu urgentis necessitatis dispensare cum sponsis in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, ut possunt tunc episcopi (tom. I, p. 413).

Q. 81. An PRAELATI regulares post Const. « *Apostolicae Sedis* » possint *suos subditos* absolvere a casibus papalibus in dicta Const. *simpliciter* reservatis?

R. Ex S. POENIT. (5 Dec. 1873) « NEGATIVE, *salvis illis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis*, » i. e. salvis illis facultatibus quae vocantur *personales*, seu quae per rescripta particularia ipsis ad tempus personaliter fuerunt concessae, ut constat ex oraculo vivae vocis promulgato a S. OFFICIO (1 Febr. 1871).

Scholion. Circa Religiosos, **in statu dispersionis**, placeat sequentia adnotare. 1°) Vota apud Regulares vi dispersos in suo vigore permanent. Constat ex Brevi PII VI « *Ex litteris* » ad Episc. Brunen. (pridie Idus April. 1783) et ex resp. S. POENIT. (18 April. 1867), ubi inter alia, quoad votum **obedientiae** declaratur : « *Omnibus Superioribus Regularibus, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam a jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit; attamen quoad disciplinam regularem et obligationes quae ex religiosa professione promanant, et cum novo ejus statu sunt compatibiles, propriis superioribus subesse eisque obedire tenetur.* » Si degat extra suam Provinciam, subjicitur tum superiori locali, tum Provinciali, in cujus territorio *versatur*. Ita S. C. SUPER DISCIPL. REGUL. (5 Aug. 1872). 2°) « *Curandum est, ut Regulares a propriis domibus expulsi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeunt, in peculiarem aliquam domum a superioribus suis designandam conveniant; ibique regulam, quam professi sunt, meliori, quo fieri potest, modo observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione.* » Ita S. POENIT. (18 April. 1867). 3°) Si plures simul in communitate convivunt, et familiam licet imperfectam efformant, retinent omnia Regularium jura et privilegia. Hinc declaravit S. POENIT. (18 April. 1867) :

A) « *Domos, dummodo in eas* TRES SALTEM *ad ibi degendum convenerint regulares, quorum unus ad minus sit sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem superiorem ibi constituendum.* » **B**) « *In domibus, dummodo in eis* QUATUOR SALTEM *degant Sacerdotes Regulares, erigi posse, servatis de jure servandis, privatum* ORATORIUM, *a Ministro Provinciali... visitandum prius et approbandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari et a Religiosis atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit.* » **C**) « *Indulget insuper Sedes Apostolica, ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus* INDULGENTIIS *proprii Ordinis ecclesiis concessis.* **4°**) Regulares dispersi qui, in propriis domibus, *separatim* vivunt, retinent sola privilegia *personalia* Religiosis concessa, non vero privilegia *realia* : quia subjectum horum privilegiorum non amplius exsistit. Unde, citra speciale Episcopi indultum, subduntur parochis locorum, quoad communionem paschalem, sacramentum Extremae Unctionis et quoad jus funerale. Constat ex S. C. EPISC. ET REG. (20 Febr. 1864) ap. N. R. T. (XIII, 570) Dixi : **separatim** ; unde ad **dubium** : « *An et ad quem spectat in hodiernis circumstantiis jus funeralia peragendi quoad religiosos dispersos in casu?* » S. C. EPISC. ET REG. **respondit** : « *Affirmative favore* REGULARIUM *quoties religiosi sub legitimo superiore saltem in ternario numero convivant, et alii extra degentes ab eodem dependeant*; *alias favore* PAROCHORUM. » Ap. N. R. T. (XIII, 572).

Nota. De **interpretatione** deque **communicatione** *privilegiorum*, quae Ordinibus Regularium conceduntur, egimus (tom. I, pag. 175 seq. et 179 seq.). Quae communicatio extenditur etiam quandoque per specialem concessionem ad Congregationes votorum simplicium, de quibus jam quaedam sunt dicenda.

CAP. 7. De congregationibus religiosis.

Q. 85. *Quid* dicendum de CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS ?
R. Haec *generatim* dici possunt.

Explanatur. **1°**) Cum CONGREGATIONES RELIGIOSAE non emittant *vota solemnia*, nec a R. P. fuerint approbatae ut *Ordines religiosi*,

hinc, quamvis Regularibus aliquatenus accedant eodemque merito coram Deo gaudere possint, quippe eamdem sui abnegationem ipsi exhibeant, *proprie* tamen seu in sensu canonico *Regulares* non sunt Religiosarum Congregationum seu *viri*, ut *SS. Redemptoris*, seu *mulieres*, uti *Sorores charitatis*. Constat ex S. C. Episc. et Regul. (16 Sept. 1864) ubi declaratum est : « *Qualitate vere regulari non gaudere Congregationem cum votis simplicibus, nisi privilegio hoc concedatur.* » Hujusmodi Congregationes religiosae etiam vocantur *Instituta religiosa*, quamvis haec vox latius pateat : extenditur enim ad illos etiam vivendi modos, qui statum religiosum absque votis imitantur, v. g. *Oratorium S. Philippi Nerii*. Ex quibus omnibus notatis intelligitur *modus loquendi RR. Pontificum*, qui Instituta religiosa cum votis simplicibus nominant : modo *Congregationes religiosas*, *familias religiosas*, etc. ; modo *Congregationes saeculares*, prout nempe voces illas vel in sensu *naturali*, vel in sensu *canonico* usurpant. *Canones* vero, quibus jus commune Regularium constituitur, supponunt et respiciunt Religiones proprie dictas, ita ut nec leges, nec privilegia Regularibus data, per se, ad Instituta votorum simplicium pertineant. 2°) Viri et mulieres hujusmodi *simplicia* vota nuncupant, paupertatis, castitatis, obedientiae, sive *perpetua*, sive *temporaria*, pro cujusque Congregationis instituto. Quae vota *simplicia* S. C. Episc. et Reg. (23 Jul. 1860) nec *vota religionis* appellari passa est. Sed 3°) neque ex *voto paupertatis* rerum dominio retinendo vel deinceps acquirendo fiunt inhabiles, neque de iis disponendo. Constat ex S. C. Episc. et Regul. (18 Feb. 1853). Quo vero pacto debeant ea administrare eisque frui possint, ex cujusque instituti regulis petendum est. Neque ex *voto castitatis* fiunt inhabiles matrimoniis *valide* contrahendis. Constat S. C. C. (1 April. 1718). Demum ex *voto obedientiae* potestati Ordinariorum non eximuntur, nisi id eis a S. Sede concessum fuerit *nominatim*, ut constat ex Bened. XIV Const. « *Emanavit nuper* » (21 Jan 1758) : quod virorum Congregationibus concedi solet ; foeminarum non item, licet generalis moderatricis imperio et jurisdictione regantur. Quaedam tamen exsistere pia foeminarum instituta quae jurisdictioni Ordinariorum eximuntur, dubium non est. Cfr. N. R. T. (XXIII,328). Inter haec numeratur Associatio *Puellarum charita-*

tis, ut constat ex variis declarationibus Pii VII, Leon. XII, et nuper Leon. XIII, qui per Card. Praef. S. C. Episc. et Reg. (25 Jan. 1882) mandavit rescribi : « *Nihil esse innovandum quoad regimen enuntiatae associationis* Puellarum Charitatis, *quod per Pontificia indulta Superiori generali pro tempore Congregationis Presbyterorum Missionis, vulgo Lazaristarum, a S. Vincentio a Paulo institutae, pertinet.* » Ap. N. R. T. (XXIII, 517). Interim, si agatur de alienandis immobilibus non modici valoris, aut mobilibus pretiosis praeter pecuniam, omnia Instituta, tam *simplicium*, quam *solemnium* votorum, saltem in Europa, pendent a S. C. C., uti tradunt Canonistae apud De Angelis (l. 3, tit. 36 n. 4). 4°) Quod *dispensationem* in hujusmodi votis simplicibus attinet, videndum est : utrum emittantur in Institutis a S. Sede approbatis, an vero in Institutis approbatis ab Episcopis. Si *primum* : dispensatio conceditur a sole R. Pontifice, quamvis, ex apostolico privilegio, eadem potestas etiam competere possit superiori generali, si agatur de Congregatione virorum. Ratio : quia vota facta sunt quasi in manu Pontificis. Si *secundum* : vel illa Instituta, in varias domos distributa, subsunt generali superiori aut superiorissae; et tunc nequeunt Episcopi singuli in subjectis sibi domibus dispensare, quia superioris generalis jus violarent; vel singulae domus per se subsistunt; et tunc potest Episcopus solvere subditos a votis paupertatis et obedientiae, non vero a voto castitatis perpetuae, utpote S. Sedi reservato. Ita S. Poenit. (2 Jan. 1856). 5°) De professis in Institutis votorum simplicium *ejiciendis*, *ejectis* vel *sponte dimissis* diximus supra (pag. 345 seq.) ex decreto « *Auctis admodum* » S. C. Episc. et Regul., jussu Leon. XIII edito (4 Nov. 1892).

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Praeambulum. Praesens tractatus *de Sacramentis* **in genere** ideo inscribitur, quod principia contineat omnibus communia hisce Amoris incarnati monumentis, « *per quae*, docente Trid. (sess. VII in prooem.) *omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur;* » quibus, juxta Rit. Rom., « *in Ecclesia Dei nihil sanctius aut*

utilius, nihilque excellentius aut magis divinum, - et e quibus, veluti divinis fontibus, aquae in vitam aeternam salientes jugi fluxu scaturiunt nobisque adversus cunctos animorum morbos paratissimum praestant remedium, juxta illud prophetae (Isai. XII, 3) oraculum : « *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* » De hoc nobilissimo argumento cum late scripserim in opere cui titulus : PRINCIPIA DOGMATICO-MORALIA UNIVERSAE THEOLOGIAE SACRAMENTALIS, Lovanii 1875; ideo in praesenti, praetermissis multis disputationibus dogmaticis atque scolasticis, nonnisi pauca adferam eaque imprimis ad rem moralem spectantia. Hujus tractatus **sex** erunt capita. Ex S. THOM. (p. 3, q. 60-65) dicemus : **1°**) *De quidditate, numero, auctore, dignitate et distinctione sacramentorum N. L.* **2°**) *De eorum virtute, effectibus et reviviscentia.* **3°**) *De materia et forma.* **4°**) *De ministro.* **5°**) *De subjecto sacramentorum.* **6°**) *De caeremoniis et Sacramentalibus.*

CAP. 1. De quidditate, numero, auctore, dignitate et distinctione sacramentorum N. L.

Q. 1. *Quid* 1°) sit sacramentum *generice* sumptum; 2°) *quid* sacramentum *N. L.*; 3°) *quot* sint hujusmodi; 4°) *quis* eorum auctor; 5°) an sint dignitate *paria*, et 6°) quomodo *distinguantur?*

R. Ad 1^{um}) Sacramentum *in genere*, prout convenit sacramentis *V.* et *N.* Legis, ex S. THOMA (p. 3, q. 60, a. 2) definitur : « *Signum rei sacrae, in quantum est sanctificans hominem* »; seu, ut habet CATECH. THEOL. AD ORDIN. (1) : « *Signum practicum rei sacrae,* » i. e. sanctitatis — sive *legalis* seu *externae*, consistentis in quibusdam justitiis carnis, qualem conferebant sacramenta *vetera*; — sive *formalis* seu *internae*, animam Deo gratam facientis, qualem conferunt *nova*.

Explanatur. Dicitur : **1°**) **Signum rei sacrae**; quia omne sacramentum nos ducit in cognitionem rei alterius a se distinctae, nimirum *rei sacrae*, i. e. rei quae ad cultum Dei ordinetur atque

(1) Qui liber an. 1695 primum, nec semel sed iterum editus, ac nuper Parisiis 1863, a FR. MATHAEO-JOSEPH, *Ord. Praed.* revisus, Comp. Theol. exhibet juxta mentem D. THOM.

subjectum sacret seu initiet ac sanctificet sanctitate sibi propria. « *Signum est enim res*, ut ait S. Aug. (de doct. Chris. I. 2, c. I), *praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire.* » Additur : 2°) **practicum** ; quia ad rationem sacramenti satis non est, ut *significet*, sed requiritur etiam, ut *efficiat* sanctitatem seu santificationem ; immo magis proprium est sacramenti sanctificare, quam significare, cum ad sanctificandum populum sit institutum. Unde in definitione allata ex S. Thom. verbum SANCTIFICANS *immediate* refertur ad signum : quia omne sacramentum necessario est signum sanctificans.

Resolvitur. 1. *Differentia* inter **vetera** et **nova** sacramenta in eo potissimum collocanda est, quod **nova** proxime et immediate sanctitatem internam et gratiam, qua vere justi efficimur, significent eamque efficiendi vim habeant. Unde ex S. Thom. (p. 3, q. 60, a. 3) respectu gratiae sanctificantis sunt signa *demonstrativa*, sicut respectu passionis Christi, a qua vim suam recipiunt, dicuntur signa *rememorativa*, et respectu gloriae, ad quam nos perducunt, dicuntur signa *prognostica* seu *praenuntiativa*. Quam doctrinam expresse in Eucharistia fatetur Ecclesia, dum canit ex eodem S. Thom. : « *O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur ; recolitur memoria passionis ejus ; mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur !* » Contra sacramenta **vetera** proxime et immediate sanctificationem legalem seu consecrationem aliquam aut destinationem ad cultum divinum significabant atque efficiebant. At quoniam ipsa sanctificatio legalis typus erat sanctificationis theologicae in novo testamento futurae ; idcirco mediate ac typice significabant gratiam per Christum futuram. Erant igitur signa *demonstrativa* sanctificationis legalis ; signa vero *prognostica* seu *praenuntiativa* non solum respectu passionis Christi et futurae gloriae, sed etiam respectu gratiae sanctificantis. Unde docet Eug. IV in Conc. Florent. : « *Novae legis... Sacramenta... multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant ; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt.* » **Resol. 2.** In lege *veteri*, **adulti** veram sanctitatem acquirebant non quidem per sacramenta tunc exsistentia seu caeremonias legales, ut sic ; sed per contritionem et quatenus illas caeremonias

et alia opera pia ex fide in Christum et charitate obibant. Quod **parvulos** attinebat, cum Deus vult omnes homines salvos fieri, remedium pro peccato originali pro posteritate Abrahae in particulari determinatum erat ad *circumcisionem* pro masculis octo dierum; pro puellis autem et etiam masculis ante octavam diem periclitantibus et aliis quibusdam occasionibus, in quibus circumcisio differenda esset, ut in deserto (Jos. V, 2-7), *remedium commune* relinquebatur sicut et pro pueris gentilium, consistens scilicet in aliqua caeremonia indeterminata actus externi ad profitendam fidem in Messiam venturum idonei, veluti erat, ex S. Thom. (p. 3, q. 70, a. 4) oblatio parvulorum, aliqua benedictio eis adhibita, vel oratio externa a parentibus vel aliis eorum nomine facta. Verum, esto praerogativa sacramenti gauderent et gratiam conferrent parvulis, ut habet communis PP. et TT. sententia, *circumcisio* tamen et *remedium commune* ex S. Thom. (ibid.) non conferebant gratiam ex propria sua virtute, seu *ex opere operato*; « *sed ex virtute* fidei *passionis Christi, cujus signum est circumcisio* [idem dic de remedio communi]; *ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.* » Quae sententia manifeste suadetur : tum ex Conc. Florentino supra citato; tum ex locutionibus D. Pauli, qui (Gal. IV, 9) circumcisionem et ceteras legales caeremonias appellat : « *infirma et egena elementa* », et (*ibid.* VI, 15) aperte asserit : « *Neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* » **Resol. 3.** In statu **innocentiae,** qui fuit a creatione Adami usque ad ejus lapsum, nulla fuisse sacramenta, communis est sententia : tum quia de illis nihil invenitur in Scriptura vel Traditione; tum quia brevissimo tempore duravit. In statu **legis naturae,** qui perstitit a lapsu Adami usque ad legem Mosaicam; imo pro aliis extra Hebraeum populum et proselytas usque ad legem Evangelii, fuisse saltem unum sacramentum, scilicet remedium commune ad tollendum originale peccatum, communis est sententia. In statu **legis scriptae,** qui a Moyse usque ad Christum fluxit, praeter *circumcisionem* et *remedium legis naturae*, quod perseveravit pro femellis parvulis et etiam pro masculis ante octavam diem periclitantibus et aliis in circumstantiis, juxta dicta; plura fuerunt sacramenta, quae S. Thom. (1. 2. q. 102, a. 5) ad *tria* genera

reducit. *Primi* generis erat consecratio sacerdotum et aliorum ministrorum; *secundi* generis erat esus agni paschalis; et *tertii* generis erant quaedam lustrationes, quibus Israelitae ab immunditiis legalibus purgabantur. In statu **legis novae** seu gratiae, qui a Christo usque ad finem mundi perdurabit, sunt septem nec plura nec pauciora.

R. Ad 2um) Sacramentum N. L. ex CATECH. ROM. « *est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem institutum* »; seu paulo explicatius : « *signum sensibile, quod, ex Dei institutione, gratiae tum significandae tum efficiendae vim habet.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **Signum sensibile**; cum enim institutum esset pro homine, accommodatum esse debebat conditioni hominis. « *Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium*, » ait S. THOM. (p. 3, q. 60, a. 4). Hinc S. CHRYS. (in MATTH. *hom* 82) : « *Si incorporeus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur.* » Praeterea sacramenta sunt religionis externi ritus iique praecipui, quibus fideles visibiliter coadunantur, proindeque sensibilia esse debebant, ut docet S. AUG. (*contr. Faust.* l. 19, c. XI). Sufficit autem, ut sit *sensibile*, sive *immediate* et ratione sui, ut aqua et ablutio in Baptismo; sive *mediate* et per aliud, ut contritio per externam manifestationem, corpus Christi per species consecratas. Dicitur : 2°) **ex Dei institutione**; tum quia solus Deus est auctor gratiae, quae mediis sacramentis confertur; tum etiam quia sacramenta non sunt signa *naturalia*, ut fumus est signum ignis et vestigium pedis; sed sunt signa, quae ex sola Dei voluntate gratiam invisibilem significant. Dicitur : 3°) **gratiae tum significandae tum efficiendae** etc. : quia sunt signa non modo *speculativa*, sed etiam *practica*, quae ex divina institutione in se virtutem continent gratiam producendi in eo qui non ponit obicem.

R. Ad 3um) Dogma fidei est a TRID. (sess. VII, can. I) definitum : « *Esse septem N. L. Sacramenta, neque plura neque pauciora* ». Cujus numeri congruentia ex S. THOMA

(p. 3, q. 65, a. 1), quem secutum est Conc. FLORENT., deducitur ex analogia vitae spiritualis cum corporea.

Explanatur. « Nam in vita **corporea** requiruntur quaedam ex parte *singulorum* hominum, quaedam ex parte *totius reipublicae*. Ex parte *singulorum* hominum tria *per se* requiruntur : nempe generatio, augmentatio, nutritio; et duo *per accidens*, nimirum remedium contra morbos, si homo aegrotet, et remedium contra reliquias morbi, ut perfecte convalescat. Ex parte *reipublicae* requiruntur tum parentes, quorum est humanum genus propagare; tum principes et magistratus, quorum est eamdem regere. Sic in vita **spirituali** respectu *singulorum* requiritur generatio, quae fit per baptismum; augmentatio per confirmationem; nutritio per eucharistiam; remedium contra morbos per poenitentiam, si regeneratus peccet; ac remedium contra reliquias peccatorum per extremam unctionem. Ex parte *reipublicae* requiritur ordo sacer quo regantur fideles, et matrimonium quo propagentur homines ad cultum Dei. » Ita SARDAGNA, doctrinam S. THOM. compendiose exhibens.

Resolvitur. Jure meritissimo dogma de **septenario numero** sacramentorum ab Ecclesia fuit definitum. Probatur enim : tum ex **S. Scriptura**, quae de quolibet sacramento mentionem facit, quamvis non diffiteamur cum LIEBERM., haec testimonia relate ad pleraque sacramenta non sat clara esse et manifesta; tum ex **Traditione**, quam praeter testimonia SS. PP. aliaque instrumenta, luculenter exhibent : 1°) *Sensus et praxis Ecclesiae*, quovis tempore e sinu suo ejicientis, qui vel unum ex septem sacramentis respuerent. Sic Saec. III damnavit NOVATIANOS, qui confirmationem neophytis conferendam negabant; Saec. IV MANICHAEOS, de matrimonio male sentientes; Saec. XIV WICLEFITAS, quod extremam unctionem aversarentur; demum Saec. XVI LUTHERANOS, ZWINGLIANOS, CALVINISTAS, quorum alii vulgo duo, alii tria tantum sacramenta admittebant. 2°) *Perpetuus Ecclesiae utriusque, occidentalis et orientalis, in septenario numero sacramentorum consensus*, de quo ex pluribus constat, ut dicetur postea (in *Tract.* de ORD. q. 1). Qui consensus unanimis et perpetuus non potest provenire, nisi ex apostolica traditione, juxta tritam D. AUG. regulam (*de bapt.* l. 4, c. 24) : « *Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum*

rectissime creditur. » Neque enim ecclesia graeca id a latinis accepit, cum nota omnibus sit antiqua ipsius aemulatio, quae tandem in apertum schisma erupit ; et cum in omnium fere sacramentorum administratione diversi sint ritus, quamvis eadem sit substantia. Neque etiam orientales communiones a graecis vel latinis hunc numerum discere potuerunt, cum ab utrorumque fide jam ab antiquissimis temporibus longe recesserint et adhuc pertinaciter recedant. Nec refert, quod nusquam in antiquis Patribus legamus esse *septem* sacramenta : quia non erat ipsis propositum colligere sacramentorum numerum, de quo non dubitabatur; sed recensebant modo duo, modo plura, prout eorum instituto serviebat. Notum est praeterea priscis temporibus viguisse *disciplinam* **arcani**, seu legem silentii de pluribus fidei nostrae mysteriis et sacramentis, ne gentilium contemptui seu ludibrio exponerentur. Hinc illud S. Aug. frequens de eucharistia effatum : « *norunt fideles ;* » quo verbo significare volebat secretum esse debere et ne catechumenis quidem propalandum esse mysterium de quo loquebatur. Similiter in Scriptura expresse non legitur esse *septem* sacramenta ; sed nec legitur esse *duo* vel *tria* tantum.

R. Ad 4^{um}) Dogma item fidei est, a Trid. (sess. VII, can. I) definitum : « *Sacramenta Novae Legis fuisse omnia a Christo D. N. instituta.* » Et quidem per se ipsum *immediate* fuisse instituta, quamvis non de fide catholica, *certa* nunc est sententia.

Explanatur. Ex S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 3) Christus est auctor sacramentorum « *et secundum quod est* Deus, *et secundum quod est* homo; *aliter tamen et aliter.* » Et quidem quatenus **Deus,** ea instituit potestate **auctoritatis,** quae causae principali seu soli Deo competit, « *cum virtus sacramenti sit a solo Deo.* » Quatenus vero **homo** est, potestate *ministerii* principalis plena et absoluta, quae potestas **excellentiae** dicitur et in his tribus consistit : 1°) Quod meritum et virtus Christi in sacramentis operetur : sacramenta enim nobis applicant merita passionis Christi. 2°) Quod in ejus nomine sacramenta conficiantur et conferantur : ministri enim sacramentorum gerunt personam Christi et agunt in nomine ipsius. 3°) Quod Christus, quatenus homo, sacramenta non solum potuerit

instituere, sed etiam quod, absque sacramentis, solo voluntatis imperio, effectum sacramentorum potuerit conferre, ut contulit Mariae Magdalenae Luc. VII, 48) et paralytico (Matth. IX, 2). — Porro sacramenta instituit Christus adhuc in terris degens, vel ante vel post resurrectionem suam, quando per 40 dies discipulis suis apparuit eisque locutus est de regno Dei, i. e. de Ecclesia, in qua ipse regnat et praesidet.

Resolvitur. Immerito prorsus censuerunt nonnulli, sacramenta confirmationis et extremae unctionis post Pentecosten ex instinctu Spiritus Sancti per apostolos fuisse instituta. Nam Trid. (l. c.) dicendo : « *Sacramenta omnia a Christo fuisse instituta* », quamvis id non definiat, satis tamen innuit, Christum **immediatum** fuisse omnium sacramentorum auctorem. Si enim Ecclesia, potestate a Christo accepta, aliqua instituisset sacramenta, non possent illa simpliciter dici instituta fuisse a Christo : alias reliquae omnes leges ab Ecclesia latae omnesque caeremoniae, ab eadem praescriptae, appellari possent *divinae* et a Christo latae. Item Trid. (sess. XXI, c. 2) docet Ecclesiam in sacramentorum dispensatione posse statuere vel mutare, quae eorumdem sacramentorum veneration vel utilitati suscipientium expedire judicaverit, *salva tamen eorum substantia*. Quae ipsa exceptio satis ostendit, Ecclesiam non accepisse a Christo potestatem instituendi sacramenta, sed eorum substantiam fuisse a Christo traditam eidem ac praeceptam. Praeterea idem Trid. (sess. XIV, can. 1) definit « *extremam unctionem esse vere et proprie sacramentum a Christo institutum et a B. Jacobo promulgatum.* » Institutionem itaque opponit promulgationi; priorem Christo, alteram Jacobo tribuens, quod sane non fecisset, si credidisset a Christo tantum *mediate* et ab apostolo *immediate* fuisse institutum : cum is, qui etiam auctoritate principis legem condit, non dicatur tantummodo *promulgator*, alias Ecclesia non esset suarum legum *institutrix*, sed tantum *promulgatrix*, cum agat Christi auctoritate.

R. Ad 5^{um}) Pariter dogma est in Trid. (sess. VII, can. 3) definitum : « *Haec septem Sacramenta non ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud alio sit dignius.* » Et quidem Eucharistia dignitate longe ceteris antecellit.

Explanatur. Ex S. Thom. (p. 3, q. 65, a. 3) dicendum : « *Quod*

simpliciter loquendo, sacramentum **eucharistiae** *est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem* **tripliciter** *apparet.* **Primo** *quidem ex eo quod in eo continetur ; nam in sacramento eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter ; in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentaliter participata a Christo.* » Unde quoque eucharistia *fonti*, cetera *rivulis* comparantur. « **Secundo** *hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem : nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem.* » Et quidem hoc ordine : 1°) Sacramentum Ordinis, quo accipitur potestas ad illam consecrandam. 2°) Baptismus, sine quo eucharistia, ut sacramentum, non potest recipi. 3°) Confirmatio, qua fit ut libere et sine verecundia recipiatur. 4°) Poenitentia, qua tolluntur peccata, ut digne recipiatur. 5°) Extrema unctio, qua tolluntur reliquiae peccatorum, ut recipiatur dignius et melius ; et ideo antiquitus viatico praemittebatur extrema unctio. Quia tamen, ut notat Bill., saepe contingit quod aegrotantes in extremis non valeant recipere communionem, consuetudo obtinuit eos prius communicare quam ungere. 6°) Matrimonium, quod significat unionem Christi cum Ecclesia ; unitur autem Christus Ecclesiae per eucharistiam, quae ideo dicitur *communio.* « **Tertio** *hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur,... sicut patet quod ordinati communicant et etiam baptizati, si sint adulti.* » Addi potest **Quarto** ex Trid. (sess. XIII *de euch.* c. 3) : « *Illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, quum quis illis utitur : at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est ; nondum enim eucharistiam de manu Domini apostoli susceperant; quum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod praebebat.* »

Resolvitur. Ordo, quo post S. Thom. (p. 3, q. 65, a. 1) sacramenta numerantur a Florent. et Trid., non est ordo **dignitatis**, sed ordo **generationis** et **naturae**, juxta quem Ecclesiae membra perficiuntur primo in se ipsis, deinde vero respectu aliorum.

R. Ad 6^{um}) Multipliciter distinguuntur : A) Alia dicuntur *mortuorum*, quae per se seu ex primaria sua institutione causant primam gratiam et non necessario in suscipiente supponunt vitam spiritualem; suntque Baptismus et Poenitentia ;

alia sunt *vivorum*, quae per se, ex primaria sua institutione, tantum causant augmentum gratiae, supponuntque in suscipiente vitam spiritualem seu gratiam sanctificantem, suntque reliqua. B) Alia sunt *characteristica*, quae characterem seu signaculum spirituale animae imprimunt, et sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo, quae et ideo *iterari* non possunt; alia sunt *non characteristica*, et ideo *iterari* possunt, uti reliqua quatuor. C) Alia sunt *transeuntia*, quae consistunt in actionibus physice transeuntibus, qualia sunt omnia praeter Eucharistiam; aliud est *permanens*, quod confectum physice permanet, ut est sola Eucharistia. D) Alia sunt *formata*, quae in suscipiente causant gratiam, quae per antonomasiam vocatur forma, decor et pulchritudo animae; alia *informia*, quae valida sunt, sed gratiam non causant ob indispositionem subjecti. De solo sacramento Poenitentiae *dubitatur*, an possit esse simul validum et informe. E) Alia sunt necessaria *necessitate medii* (tom I, pag. 284), alia *praecepti* tantum, alia sunt *liberae electionis*; alia *unicuique particulari* prosunt, alia etiam directe *communitati*, ut Ordo et Matrimonium.

CAP. 2. De virtute, effectibus et reviviscentia Sacramentorum N. L.

Q. 2. Dic : 1°) Utrum Sacramenta N. L. *virtutem* suam habeant ex passione Christi? et 2°) *Quotuplex* sit eorum *effectus?*

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (p. 3, q. 62, a. 5) licet virtutem habeant ex humanitate Christi, tanquam ex instrumento divinitati conjuncto, tamen « *manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae* SPECIALITER *habent virtutem ex* PASSIONE *Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum; in cujus signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad Baptismum, aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta.* »

Explanatur. Ratio ex S. TH. est : quia « *Gratia sacramentalis*

ad duo *praecipue ordinari videtur : videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum... ; et iterum ad perficiendam animam in his quae pertinent ad cultum Dei. Manifestum est autem quod Christus liberavit nos a peccatis nostris praecipue per suam passionem, non solum sufficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianae religionis,* offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, *ut dicitur* (Eph. V). » Addit Dom. Soto : « In cujus ideo memoriam praecepit nobis offerri quotidianum sacrificium missae, ad quod universa nostra sacramenta et sacrificia referuntur. » — Itaque virtus sacramentorum etsi **generaliter** a tota vita Christi, tamen **specialiter** ab ejus passione derivatur. Quamvis enim prima et singula deinceps Christi operatio ratione suppositi de se fuerint infiniti valoris ad satisfaciendum et merendum, redemptio tamen et salus nostra specialiter adscribenda est passioni et morti Christi : quia Christus noluit ordinare primam aut quamlibet seorsim actionem suam ad completum praemium et completam satisfactionem, sed omnes collective usque ad mortem inclusive per modum unius integri pretii ordinavit ad redemptionem nostram. Ex quo patet quod licet potuerit, attenta quantitate pretii, unico actu opus suum consummare, non fecerit tamen. Quorum omnium sola ratio fuit voluntas divina, cui suam Christus in hac re, sicut in aliis omnibus actionibus suis conformem esse voluit. Interim hujus oeconomiae variae assignari possunt **congruentiae,** quas post S. Ansel. (lib. I *Cur Deus homo*, cap. 6 seqq.) praeclare evolvit S. Thom. (p. 3, q. 46, a. 3) et quarum praecipuas Catech. Mechlin. commemorat. Neque allatae doctrinae **obstat** : aliqua sacramenta etiam Christo vivente instituta fuisse, ut patet de baptismo et eucharistia, quae sunt duo potissima sacramenta, et ita cum passio ejus nondum esset, ex illa virtutem habere non potuisse. **Respondetur** enim cum Sayro Ord. S. Bened. in praeclaro opere « *De Sacram. in communi* » (lib. 5, c. 6, q. 2. a. 2. pag. 512) : « Sacramenta ante passionem instituta habuisse efficaciam a passione Christi, non quidem actu exteriori, sed interiori a Christo tunc exhibita et oblata Patri. Immo ab instanti suae conceptionis, Christus se et omnes actiones suas Patri obtulit, et passionis suae meritum habuit. Ratio enim meriti praecipue in actu illo interiori consistit et ideo quidquid instituit in tempore vitae

suae, habere potuit efficaciam a passione perfecte volita a Christo et Patri suo oblata et ab eo acceptata, in qua volitione erat principalis oblatio facta et grata Deo. » Praeterea, ut notat Theol. Wirceburg. (de bapt. c. I. a. I. n. 13) : « passio Christi est causa moralis et meritoria; ut vero causa moralis et meritoria operetur, non est necesse, ut exsistat actu, sed sufficit, quod aliquando exstitura et praevisa sit. Sic in lege veteri, ob exstitura merita Christi dabatur gratia. Quanto magis igitur Christus ipse jam exsistens, quique jam passionem acceptaverat ac aliquo modo inchoaverat, multa pro salute nostra operando, poterat vim justificandi baptismo a se instituto [nec non eucharistiae] annectere. » Ubi vero SS. Patres (1) disertis verbis affirmant **Sacramenta ex latere Christi fluxisse,** quod et asserit Catech. Rom., sensus est : non quod inde virtutem habuerint, cum meritum sit tantum hominis vivi et viatoris, unde neque mors Christi, ut est in facto esse, neque fluxus ille sanguinis post Christi mortem vim ullam meritoriam conferre potuit; sed, ut habet Sayrus (*loc. cit.* q. 3, p. 515), « quia aqua et sanguis erant **signa** sacramentorum quae in Christi passione fundantur. Aqua enim specialius assimilatur materiae baptismi, et sanguis speciei sub qua est sanguis et caro Christi in eucharistia, quae sunt duo potissima Ecclesiae sacramenta... Et quidem hunc esse sensum a Patribus intentum, ex eo patet, quia non dicunt *Omnia* sacramenta ex latere Christi prodiisse, sed tantum baptismum et eucharistiam, ut habent Chrys., Cyrill. et Innoc... Quod si de virtute tantum inde accepta agerent, non minus de aliis, quam

(1) S. Chrysostomus, Hom. 85, *al.* 84 *in Joan.* n. 3, apud Migne, *Patr. Graec.* tom. LIX col. 463. — S. Cyrillus Alexandrinus, Lib. 12 *in Joan.* cap. XIX, apud Migne, *Patr. Graec.* tom. LXXIV, col. 678. — S. Ambrosius, Lib. 2 *de sacram.* cap. 2, n. 6, col. 425, et lib. 5, cap. I, n. 4, col. 447, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. XVI. — S. Hieronymus, Epist. 69, *al.* 83 ad *Oceanum*, n. 6, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. XXII, col. 660. — S. Augustinus, Tract. 120 *in Joan.* n. 2, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. XXXV, col. 1953. — S. Leo Magnus, Epist. 16, cap. 6, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. LIV, col. 701. — S. Joannes Damascenus, Lib. 4 *de fide orthodoxa*, cap. 9, apud Migne, *Patr. Graec.* tom. XCIV, col. 1122. — Ven. Beda, *Expos. in Joan.* cap 19, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. XCII, col. 916. — Innocentius III, Lib. 12, *Regest.* epist. 7, apud Migne, *Patr. Lat.* tom. CCXVI, col. 18.

de his duobus idipsum docuissent. » Insuper animadvertendum est cum S. THOM. (p. 3, q. 50, a. 6) quod licet mors Christi in facto esse non potest esse causa meritoria gratiae collatae per sacramenta, sacramentorum tamen virtus et justificatio nostra tribuuntur morti Christi in facto esse et vulneri lateris Christi in genere causae **effectricis** : « *Dicendum,* ait, *quod de morte Christi* DUPLICITER *loqui possumus :* UNO MODO *secundum quod est* **in fieri**; ALIO MODO *secundum quod est* **in facto esse**. *Dicitur autem mors esse* in fieri, *quando aliquis per aliquam passionem vel naturalem vel violentam tendit in mortem, et hoc modo idem est loqui de morte Christi et de passione ipsius. Et ita secundum hunc modum mors Christi causa est salutis nostrae, secundum id quod de passione supra dictum est. Sed* in facto esse, *mors Christi consideratur secundum quod jam facta est separatio corporis et animae... Hoc autem modo mors Christi non potest esse causa salutis nostrae per modum* **meriti**, *sed solum per modum* **efficientiae**, *in quantum scilicet nec per mortem divinitas separata fuit a Christi carne, et ideo quidquid contigit circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum virtute divinitatis unitae.* ».

R. Ad 2^um^) *Duplex* est effectus a sacramentis *immediate* proveniens : unus omnibus communis, et est *gratia;* alter proprius nonnullorum tantum, estque *character.* Dicitur : *immediate;* nam et tertius est, nempe *cognatio spiritualis*, proveniens ex Baptismo et Confirmatione, sed tantum *ecclesiastico jure* inducta est.

Q. 3. Quid intelligatur nomine *gratiae,* prout communis est omnibus sacramentis?

R. Intelligitur gratia : tum *sanctificans*, tum *sacramentalis.*

Explanatur. 1°) Ea dicitur **sanctificans**, quae justitiam et sanctitatem praestat. Eam si nobis parit, vocatur *prima;* si vero partam auget, appellatur *secunda.* **2°**) Gratia **sacramentalis** dicitur, quae inest singulis sacramentis cujusque propria. At vero *quaenam* ea sit, non satis inter DD. *convenit.* Aliis est *quaedam gratia actualis,* quae dabitur cum opus fuerit, ut quisque facilius implere possit obligationes, quas cum sacramento suscipit. Aliis

est *jus ad eam*, quoties opus fuerit, obtinendam. Aliis demum cum Billuart est *gratia habitualis modus distinctus* et vis propria, i. e. novus modus intrinsecus perfectionis seu specialis vigor gratiae communiter dictae superadditus, cum ordine seu exigentia et jure ad auxilium actuale suo tempore conferendum; qui novus modus seu vis propria, v. g. in baptismo illuminat, in confirmatione roborat, in eucharistia nutrit, cum ordine, exigentia et jure ad auxilia actualia suo tempore conferenda ad finem cujuslibet sacramenti consequendum. *Primum* displicet (Cfr. N. R. T. VII, 623 seqq.): quia sacramenta N. L. conferunt gratiam *ex opere operato*, atque ideo incontinenter. *Secundum* pariter displicet: quia aliud est gratia, et aliud jus ad gratiam. Quare *tertium* apparet verius, et ita, teste Cajetano, sentire videtur S. Thomas (p. 3, q. 62, a. 2).

Q. 4. *Quomodo* sacramenta N. L. conferant *gratiam?*

R. 1°) Dogma fidei est, quod eam non ponentibus obicem conferant *ex opere operato*: i. e. vi et efficacia ipsius operis externi sacramentalis positi et applicati, ut est a Christo institutum; seu, aliis verbis, vi materiae et formae, atque ideo non merito ministrantis ea, nec suscipientis, licet requiratur in suscipiente, si sit adultus, dispositio removens prohibens. Interim sacramenta etiam causant aliam gratiam *ex opere operantis*: religiosa enim susceptio sacramenti est actus moraliter bonus et meritorius.

Explanatur. Praefatum dogma definitum fuit in Conc. Trid. (sess. VII, can. 6): « *Si quis dixerit sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae et justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* » Tum (can. 7) declarat: « *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.* » Et (can. 8) conceptis terminis definit: « *Si quis dixerit per ipsa N. L. Sacramenta* **ex opere operato** *non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* » Nec est, quod haeretici hunc loquendi modum

sugillent, tanquam novum aut barbarum. Fatemur quidem haec verba : « *ex opere operato* » neque in SS. LL., neque in vetustis monumentis ecclesiasticis inveniri. Nam primus, qui hanc vocem usurpavit, communiter citatur Innoc. III, (*de sacro altaris mysterio*, c. 5). S. Thomas, qui Saec. XIII, paulo post Innoc. III, floruit, eamdem phrasim a quibusdam fuisse usurpatam dicit (in IV Sent. dist. 1, q. a. 5); sed ipse in *Sum. Theol.* eam nunquam adhibuit. Postea vero scholastici passim illa usi sunt, potissimum ut discrimen notarent inter sacramenta veteris legis et nostra. Sed terminus, esto sit novus aut minus latinus, non ideo tamen rejiciendus, modo sit aptus ad veritatem fidei clarius exprimendam, dicente S. Aug. (in Ps. 138) : « *Melius est, nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi.* » Neque ita abhorret a consuetudine linguae latinae : dicitur enim in Vulgata (Hebr. XIII, 16) : « *Talibus enim hostiis promeretur Deus;* » et Cicero ad Nepotem scribit : « *Qui est pauper, aspernatur.* »

Resolvitur 1. Licet in suscipientibus requirantur **dispositiones,** illae tamen non habent efficaciam circa gratiam a sacramentis productam, sed requiruntur tantum, ut subjectum possit recipere gratiam producendam ab ipsis. Unde non sunt *causa* gratiae per sacramentum productae; sed tantum *conditio sine qua non*, et ad instar *causae removentis obicem*, seu veluti *principium passivum*. Sic quamvis sol illuminare cubiculum non possit, nisi aperiantur fenestrae et opex tollatur; fenestrarum tamen apertio non est proprie causa luminis, sed solummodo conditio sine qua non et ad instar causae removentis impedimentum lucis. **Resol. 2.** Si aliquando detur sacramentum et simul adsit actus meritorius operantis, tunc praeter gratiam collatam vi sacramenti juxta institutionem Christi, confertur etiam alia gratia **ex opere operantis,** correspondens scilicet actui meritorio operantis.

R. 2°) Et quidem gratiam causant ex *opere operato* ad minus *moraliter*, quatenus debite applicata ex vi institutionis suae movent Deum, ut memor passionis ac meritorum Christi ipse per se causet gratiam dignc suscipientibus. An vero etiam *physice* causent, saltem *instrumentaliter*, cum Deo ut agente principali concurrendo ad physice producendam gratiam, sicut

securis physice, licet instrumentaliter, operatur secationem, inter THOMISTAS et SCOTISTAS acriter controvertitur.

Explanatur. Teste S. LIG. (VI, 7 et *Exam. Ord.* n. 23) « *utraque sententia est satis probabilis.* » Pro causalitate **physica**, innumera loca citantur ex S. THOM., quorum praecipua attuli in opere cit. : *Principia dogmatico-moralia univ. theol. sacramentalis.* Quibus ANGELICI relatis testimoniis, sic ait insignis BILL. : « *Sit caecus aut praejudiciis occupatus, qui hic non agnoscit causalitatem* PHYSICAM *sacramentorum esse de mente* S. THOM. » Illud interim certissimum est : ad causandum effectum sacramentorum, gratiam sanctificantem, *quatuor* concurrere causas, quarum : **1°**) Causa efficiens physica et principalis est Deus. **2°**) Causa meritoria est Christus, qua homo Deus ejusque passio et merita. **3°**) Causa instrumentalis, saltem moralis, est ipsum sacramentum, seu signum illud sensibile debite applicatum. **4°**) Causa ministerialis est minister sacramenti, baptizans, confirmans, absolvens, etc. Ita SPOR.

Q. 5. *Quam* gratiam *sanctificantem* conferant sacramenta N. L., an *primam*, an *secundam?*

R. *Certa* ab *incertis* sunt secernenda.

Explanatur. CERTUM est : sacramenta **mortuorum** causare *per se* gratiam *primam:* **vivorum** vero *per se* gratiam *secundam.* PRIORA enim, ut baptismus et poenitentia, ad delendum mortale, sicque causandam vitam spiritualem animae sunt ordinata; quin inde MORTUORUM dicuntur, quia subjectum per peccatum mortuum privatumque spirituali vita gratiae supponunt. POSTERIORA vero peccatum jam deletum supponunt, subjectumque jam vivere vita gratiae spirituali. Quoniam tamen omnia non ponentibus obicem conferunt gratiam, ideo sacramenta **mortuorum**, si quis ea recipiat jam justificatus, ne suo careant effectu, debent conferre gratiam : non *primam*, ut patet; ergo *per accidens* gratiam tribuunt *secundam*, seu augmentum gratiae prioris, et hoc iterum CERTUM est. Contra vero sacramenta **vivorum**, si quis ea recipiat in lethali, falso putans vel se rite absolutum, vel perfecte esse contritum, *per accidens* conferunt *primam :* quia peccator cum ignorantia invincibili peccati sui, bona fide et attritione generali de omnibus peccatis suis ad sacramenta VIVORUM accedens non ponit obicem gratiae;

atqui, ut dictum fuit, omnia sacramenta N. L. conferunt infallibiliter gratiam non ponentibus obicem. Et hoc de Extrema Unctione cum S. Thoma (in 4. d. 23, q. 1, a. 2 et *Suppl.* q. 30. a. 1) docet sententia *communissima;* quare et specialis oritur obligatio illud administrandi moribundis subito rationis aut sensuum usu destitutis; de ceteris vero id pie creditur, et iterum cum S. Thom. probabilius asseritur. Dixi : *et attritione generali;* quae tamen attritio non requiritur *formalis*, sed sufficit *virtualis*, qualis habetur in omni devota sacramentorum receptione. Et hinc S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 3) loquens de eucharistia dicit : « *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati... etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati.* » — Cfr. N. R. T. (XXVIII, 353 seqq.).

Resolvitur. Ex hac probabili sententia inferunt non pauci cum Caj., Suar., Laym., Viva, aliis : posse etiam *laicos* ministrare viaticum moribundo, si desit sacerdos, nec infirmus aliud sacramentum suscipere potuerit. Forte enim non potuit contritionem elicere; et ideo, ne decedat cum sola attritione et damnetur, etiam a laico sacramentum eucharistiae administrari poterit, ut consulatur extremae indigentiae moribundi, qui per susceptionem hujus sacramenti ex attrito fieret contritus, i. e. gratiam acciperet sicque salutem aeternam consequeretur. « *Neque obstat contraria consuetudo* ait S. Lig. (VI, 237) : *cum enim hic casus rarissime accidat, consuetudo contraria minime probari potest.* » « Quam sententiam nec damnare ausim : quia valde durum est tali in eo casu negare communionem, nec etiam eam absolute ausim asserere ob plurimorum DD. sententiam contrariam. » Ita sentio cum Aeg. De Coninck.

Q. 6. Quid 1°) sit et 2°) quid praestet character sacramentalis?

R. Ad 1^{um}) Character, cujus natura nos latet, est : « *Signum quoddam spirituale et indelebile, animae impressum, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, unde ea iterari non possunt.* » Est

de fide catholica definitum in Conc. Trid. (sess. VII, *de sacr. in gen.*, can. 9).

Explanatur. Dicitur : 1°) **Signum**; quia est significativum alterius rei, scilicet distinctionis ab aliis, deputationis ad divina et ex consequenti configurationis cum Christo, ut infra latius dicetur. Et quamvis character, utpote animae impressus, in se ipso sit invisibilis, veram tamen habet rationem signi : « *in quantum*, ait S. Thom. (p. 3, q. 63, a. 1 ad 2, *per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili.* » Dicitur : 2° **spirituale**; non tantum quia in se spirituale est, et anima, cui imprimitur, spiritualis est; sed etiam quia per illud ad spiritualia quis deputatur. Dicitur : 3°) **indelebile**; non quod a divina omnipotentia oblitterari nequeat; sed quia natura ejus, quam a Deo accepit, repugnat ut deleatur, eo modo quo anima *immortalis* dicitur, quia principium in se mortalitatis non habet. Et quidem character est indelebilis saltem respectu hujus vitae, quod de fide tenendum est. Est tamen sententia definitionibus Conciliorum ac PP. doctrinae conformis, inter TT. communis ac proinde certo tenenda, characterem perseverare etiam in civitate triumphanti; imo, quamvis hoc, teste Suar., minorem habeat gradum certitudinis, neque in damnatis deleri. Unde quoque ait S. Thom. (p. 3, q. 63, a. 5 ad 3) : « *Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam : sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam et in his qui vicerunt, ad gloriam; et in his qui sunt victi, ad poenam.* » Cujus indelebilitatis ratio est voluntas Christi, qui characterem ita instituit. Deinde character, utpote spiritualis, ex natura sua incorruptibilis est et subsistit in subjecto incorruptibili nihilque habet sibi contrarium; non enim peccato deperditur sicut gratia sanctificans. Accedit ex S. Thom. haec *duplex* ratio : tum quia est quaedam *consecratio* tamdiu duratura quamdiu subjectum, quod est anima : « *Nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur;* » tum quia est quaedam *participatio sacerdotii Christi* in fidelibus ejus, « *ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum*

quae pertinent ad divinum cultum... SACERDOTIUM *autem Christi est* AETERNUM. » Nec obstat quod cultus exterior ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agitur *in figura*, sed totum in nuda veritate. Nam « *quamvis*, ait S. THOM. (ibid. ad 3) *post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus.* » Dicitur : 4°) **animae impressum**; non enim recipitur exterius in corpore, sed interius in anima. Quaestio tamen instituitur, an character immediate imprimatur in animae *essentia*, an vero in aliqua ex ejus *potentiis*. Imprimi autem in *potentia* animae, non vero in ejus *essentia*, ita breviter, sed efficaciter ostendit S. THOM. (p. 3, q 63, a. 4) : « *Character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum, ea quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subjecto* IN ESSENTIA *animae*, sed IN POTENTIA. » Et quidem characterem non esse in potentia animae *appetitiva*, sed *cognoscitiva*, ita declarat S. THOM. (ibid. ad 3) inquiens : « *Character ordinatur ad ea quae sunt divini cultus ; qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in* COGNITIVA *potentia animae, in qua est fides.* » Dicitur : 5°) **in tribus sacramentis** etc. ; cujus rei ratio a priori non est alia quam Christi voluntas nobis per Ecclesiam manifestata. Congruentia ex S. THOM. (p. 3, q. 63, a. 6) assignatur : nimirum conveniens esse, ut sacramenta, per quae homo deputatur ad recipiendum vel tradendum ea quae sunt divini cultus, imprimant characterem; atqui hoc fit per sola illa tria sacramenta, ut infra dicetur; non vero contingit in aliis sacramentis : nam per eucharistiam homo solum participat de corpore Domini ; per poenitentiam reconciliatur Deo ; per extremam unctionem purgatur reliquiis peccatorum ; tandem per matrimonium procreatione prolis Ecclesiam corporaliter multiplicat. Dicitur : 6°) **unde ea iterari non possunt.** Ex quo colligitur cum BILL. et SASS., quod si sacerdos resuscitaretur, non esset iterum baptizandus, neque confirmandus, neque ordinandus ; secus de conjugibus resuscitatis, qui iterum forent copulandi, quia vinculum conjugale morte dissolvitur secundum Apost. (1 COR. VII, 39).

Resolvitur. Dicendum post Bill. cum Gazzaniga *Ord. Praed.*: « Nonnisi **tria** esse in hac materia ab Ecclesia solemniter definita, atque ab omnibus certa fide credenda. **Primum** : characterem esse *signum quoddam spirituale et indelebile, quod in anima imprimitur*. **Alterum** : hoc signum imprimi *a tribus sacramentis, baptismo, confirmatione et ordine*. **Tertium** : *haec sacramenta iterari non posse*. Reliqua, quae ingeniose et subtiliter a scholasticis in controversiam vocantur, utilia quidem esse possunt, ad fidem tamen minime pertinent. »

R. Ad 2^um^) Quoniam ex S. Thom. (p. 3, q. 63, a. 4) character, ut supra (pag. 372) dictum fuit, est: « *Quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus*; » hinc *duo* praestat.

Explanatur. Nimirum **duplex** ille effectus est : tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur; tum ut idonei efficiamur ad aliquid sacrum vel suscipiendum vel peragendum. Sic Baptismo sacramentis *suscipiendis* idonei ac potentes efficimur, et ideo vocatur janua omnium sacramentorum; Ordine apti reddimur eis *conficiendis et ministrandis*; Confirmatione *melius* disponimur ad alia sacramenta *suscipienda* et ad fidem *profitendam*. Addunt passim DD. **tertium** effectum : scilicet, ut cum Christo *configuremur*. At fatendum cum Spor., hoc munus oriri ex *secundo* : « Quia enim omnis potestas illa spiritualis in cultu divino et participatione sacramentorum derivatur a Christo et est quaedam participatio potestatis Christi qui, ut summus sacerdos, pontifex et episcopus animarum et auctor sacramentorum, habet omnem potestatem in cultu divino et sacramentis : ideo character nos conformat Christo et similiores facit, quam sint illi, qui tali charactere carent. »

Q. 7. An sacramentum *informe*, i. e. valide sed infructuose susceptum ob indispositionem recipientis, *sublato obice*, REVIVISCAT?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. De REVIVISCENTIA Sacramentorum *triplex* datur sententia. **Prima** negat de omnibus : quia promissio gratiae tantum facta est susceptioni, et sub ea conditione : si non ponatur obex. **Secunda** affirmat de omnibus : quia omnium causalitas est

ejusdem rationis, et quia sacramentum, etiam in peccato susceptum, semper manet opus Christi, in se vivum. **Tertia** est media, affirmans de aliquibus, negans de aliis.—*Prima* admitti nequit. Ad *duas* alias quod attinet, *certa* ab *incertis* et *probabiliora* a *probabilibus* sunt secernenda. Profecto Baptismus *certo* reviviscit, quia non potest iterari, adeoque et Confirmatio et Ordo; immo *probabilius* Extrema Unctio et Matrimonium, quippe illa durante eadem infirmitate, istud eodem conjugio, iterari non possint. Supposito, dari posse sacramentum Poenitentiae informe, hoc quoque reviviscere videtur perquam *probabile*. Idem *probabiliter* asseritur de Eucharistia, si obex removetur speciebus nondum consumptis; immo, iis etiam consumptis, quippe hoc sacramentorum omnium praestantissimum non debet carere activitate, qua reliqua pollent. Ad hoc autem quod dicit S. Lig. (VI, 87) ex Luc. et aliis, nihilum ex reviviscentia Eucharistiae secuturum absurdum : « quod sacerdos, qui pluries in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte cum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; imo, quo saepius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur; » ad id, inquam, respondemus cum Viva, hoc non videri absonum : « sicut non est absurdum, quod post sacrilegium commissum per susceptionem baptismi cum fictione, remoto obice gratia conferatur, quae per baptismum sine obice suscepta fuisset; *id quippe maxime divinam munificentiam commendat.* »

Resolvitur. 1. Itaque *probabilis* est assertio, quod **sacramenta omnia, valide suscepta cum obice,** postea reviviscunt et causant gratiam remoto obice. Cujus assertionis assignantur **congruentiae** sequentes : **A**) Omnia sacramenta valide suscepta continent infinita Christi merita, quae acceptata sunt a Deo ad fines a Christo intentos; ergo cum remoto obice apta sint in actu secundo movere Deum ad dandam ex illis meritis gratiam, reipsa sic movebunt. **B**) Sacramentum hoc ipso quod sit valide positum, est et manet opus Christi, tanquam principaliter operantis; quod autem gratiam non causet, est tantum ex defectu dispositionis in suscipiente; ergo hac posita reviviscet, sicut alia opera mortificata per peccatum, sublato peccato reviviscunt ad praemium. **C**) Sacramentorum institutio interpretanda est fuisse talis, qualis maxime dece-

bat divinam bonitatem et beneficentiam Christi erga nos, quaeque magis invitaret homines ad resurgendum a peccatis; haec autem omnia magis habentur, si dicamus omnia sacramenta sublato obice reviviscere etiam ad gratiam. Neque **Objiciat** quis : opus mortuum, i. e. in statu peccati mortalis factum, non reviviscit, sicut opera bona, licet de cetero meritoria sint, in statu tamen peccati mortalis exercita nunquam reviviscunt ad meritum gratiae et gloriae; atqui sacramentum ficte susceptum est opus mortuum; ergo. **Resp.** *Conc.* major.; *dist.* minor. Sacramentum ficte susceptum, ut est opus hominis, est opus mortuum, *conc.;* ut est opus Dei vel Christi, *neg.* Hinc est disparitas quoad alia opera mortua. Opus aliud meritorium in statu peccati mortalis exercitum, est mortuum simpliciter, proinde et nunquam reviviscere potest. At indigna sacramenti susceptio licet sit opus mortuum, imo mortiferum, ipsum tamen sacramentum, ut est opus Christi, in se vivum et sanctum est, habetque ex Christi meritis vim sanctificandi, ubi obex vitae et sanctitatis recesserit, instar causae meritoriae, ac sicut corpus grave cessante impedimento causat motum. Hinc neque tenet regula juris 13 in 6 : « *Quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit;* » quia sacramentum in praesenti casu est validum ab initio ; proinde licet tunc non exerat virtutem, dum confertur, exeret tamen recedente impedimento. Cui doctrinae plane suffragatur S. Thom. (p. 3, q. 69, a. 10, ad 1), ubi loquens de baptismo ficte suscepto, ait : « *Dicendum, quod sacramentum baptismi est opus Dei, et non hominis; et ideo non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.* » Unde concludimus : in casu effectum baptismi aliorumque sacramentorum reviviscentium, qui erat conferendus *ex opere operantis* non reviviscere, quia opus operantis fuit mortuum ; redire tamen effectum baptismi, ipsi *ex opere operato* correspondentem, quia sub illa ratione est opus Dei, quod non est mortuum in suscipiente ficte sacramentum. **Resol. 2.** Sacramenta sublato obice reviviscunt etiam quoad remissionem **venialium,** quae remissa fuissent, si abfuisset obex. Ratio : quia sicut reviviscunt sublato obice remissionis mortalium, ita reviviscunt sublato obice remissionis venialium ; idem enim est de utrisque. Et quod dictum est de reviviscentia sacramentorum ad remissionem mortalium et venialium, valet etiam ad remissionem **poenarum,** talibus

peccatis debitarum : nam etiam de his eadem est ratio; et idem consequenter dicendum est de reviviscentia quoad **jus proximum** ad gratias actuales postea dandas secundum exigentiam gratiae habitualis per sacramentum reviviscens causatae.

Q. 8. Quaenam requiratur *dispositio*, ut sacramenta reviviscant ?

Praenotandum. Obex gratiae *duplex* distinguitur : alius **materialis** seu **negativus**, estque inculpabilis omissio dispositionis necessariae ex ignorantia aut oblivione inculpabili, vel saltem non graviter culpabili ; alius est **formalis** et **positivus**, estque peccatum mortale *in* vel *cum* susceptione sacramenti commissum. Hoc posito :

R. 1°) Si obex gratiae fuerit tantum *negativus*, nec postea fuit ullum peccatum mortale commissum, sacramentum reviviscit, si hoc ponatur quod defuit.

Resolvitur. Hinc si judaeus, dum baptizatur, inculpabiliter omittit dolorem de peccatis personalibus, aut accedat cum attritione naturali, quam invincibiliter putat esse supernaturalem, nec postea mortaliter peccaverit, ut reviviscat baptismus, sufficit sola attritio : est enim sufficiens dispositio baptismo. Immo, si, solo originali maculatus, baptismum susceperit sine actu fidei, posito actu fidei, revivisceret.

R. 2°) Si obex fuerit *positivus* (ut si judaeus satis instructus culpabiliter omittat dolorem, vel sibi in peccatis personalibus complaceat), aut si post sacramentum cum obice etiam tantum *negativo* receptum, aliquod mortale peccatum quis commiserit, ut sacramentum reviviscat, requiritur contritio aut attritio cum sacramento Poenitentiae.

Explanatur. Ratio **primi** asserti est : quia in *baptismo* character prius natura infunditur quam gratia, ita ut, quando homo per sacrilegium ponit obicem gratiae baptismali, jam christianus est, et ideo jam sacramento poenitentiae subjectus pro illo sacrilegio. In sacramentis autem *vivorum*, attritio non sufficit ad tollendum obicem, nisi forte suscipiens ex bona fide putat se esse sufficienter dispositum; porro hujusmodi bona fides excluditur per

sacrilegam susceptionem sacramenti; ergo ad tollendum illud sacrilegium, non sufficit attritio. Patet vero cur in praesenti casu nullam mentionem faciamus de sacramento *poenitentiae :* neque enim valide haberi potest absolutio, quae mala fide et sacrilege confitenti impertita fuerit. Ratio **secundi** est : quia ex una parte nullum sacramentum habet virtutem remittendi peccatum futurum seu post ipsius susceptionem commissum; ex altera vero, semota sacramentali virtute, non sufficit attritio ad delendum peccatum.

CAP. 2. De iis quibus SS. N. L. necessario perficiantur. Ubi speciatim de materia et forma.

Q. 9. *Quibusnam* sacramenta N. L. necessario PERFICIANTUR?

R. Ex decreto EUGENII IV omnia sacramenta N. L. «*Tribus* PERFICIUNTUR : *videlicet, rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non* PERFICITUR *sacramentum.*»

Resolvitur. 1. Etsi hoc decretum post Graecorum discessum in Synodo FLORENT. editum fuerit, et EUGENII nomine inscriptum, nihilo tamen minus a Latinis PP., qui Florentiae erant, probatum et totius postea **Ecclesiae consensu** editum est. Praeterea cum S. LIG. (H. A. XIV, 59) dicimus : « *Papa dogmata docente et uti Ecclesiae doctore loquente, omnes ejus definitiones* EX SE *esse infallibiles,* » de quo, sine fidei jactura, jam nemo dubitare potest. **Resol. 2.** Ideo de **subjecto** suscipiente deque ejus **intentione** nihil ibi dicitur, quia tantum agitur de iis, quae omnibus sacramentis conficiendis sunt necessaria; jam vero subjectum suscipiens non requiritur ad perficiendum eucharistiam. Similiter intentio ministri in omni sacramento simpliciter est necessaria; non item intentio suscipientis, ut patet in parvulis baptizatis, confirmatis. **Resol. 3.** Sacramenta tribus dicuntur potius **perfici,** quam *componi :* tum quia persona ministri ejusque intentio, licet ad perficiendum sacramentum necessario requirantur, non ingrediuntur tamen compositionem sacramenti, sed sunt quid sacramento extrinsecum, scilicet causa instrumentalis illius; tum ob sacramentum eucharistiae, quod licet

verbis etiam perficiatur dum *fit*, non tamen constat seu componitur verbis *in facto esse*, sed speciebus et corpore Christi; unde etiam permanet, postquam verba consecrationis desierunt. **Resol 4.** Cum dicatur sacramenta perfici rebus **tanquam** *materia*, verbis **tanquam** *forma*, patet sacramentum neque esse compositum physicum, neque compositum artificiale, sed esse simile utrique; et ideo non est necesse, ut sacramentum habeat omnes conditiones, quas habent materia et forma rerum artificialium aut naturalium.

Q. 10. Dic : 1°) *Quid* et *quotuplex* sit MATERIA; 2°) *Quid* vero FORMA in sacramentis N. L.?

R. Ad 1^{um}) Per MATERIAM intelligitur illud omne sensibile, quod magis confuse gratiam significat, adeoque per aliud ad illam significandam determinari debet; sive illud sensibile sit res quaedam seu substantia, qualis est aqua in baptismo, unctio in confirmatione, etc.; sive sit quaedam actio ex parte ministri aut suscipientis sacramentum, qualis est manus impositio in ministro confirmationis et ordinationis, et contritio, confessio et satisfactio in poenitenti. — *Duplex* distinguitur : *remota*, estque res ipsa, velut aqua in baptismo; *proxima*, estque hujus rei applicatio, velut ablutio. Inde autem nata est divisio, quod aqua v. g. remotius adhuc se habet ad sacramentum ejusque significationem, quam ablutio.

R. Ad 2^{um}) Per FORMAM intelliguntur non tantum verba proprie dicta, quae ore proferuntur, sed id omne quod rem sensibilem arctius et clarius restringit ad significandam gratiam, sive illud verbum sit vocale, sive non, ut sunt nutus et similia signa, quando matrimonium contrahitur.

Resolvitur. In matrimonio, quod est contractus, qui solis nutibus fieri potest, sufficiunt verba aequivalentia, v. g. nutus aut signa consensum exprimentia, et ideo in decreto FLORENT. dicitur : « *Causa efficiens matrimonium* **regulariter** *est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* » In aliis autem requiruntur verba formalia, ut declarat sensus communis et universalis Ecclesiae praxis, ideoque **mutus** nullum potest ministare sacramentum, nisi matrimonium. — Omnes autem conveniunt ad verba formalia non esse necessarium, ea ita pronuntiare, *ut te ipsum audias*. Utrum

vero saltem requiratur, ea ita clare proferre, *ut te ipsum audire possis*, nisi aliquod impedimentum adsit, inter DD. *disputatur*. Alii *negant*; alii *affirmant*; quorum sententia **practice** est tenenda, ne sacramentum nullitatis periculo exponatur (pag. 297).

Scholion. Juxta doctrinam fundamentalem reformatorum Saec. XVI, **justitia Christiana** est ipsa formalis justitia Christi, quae singulis *imputatur*. Imputatur autem, dum singuli fide *speciali* credunt sibi propter Christi justitiam sua peccata remitti, i. e. non imputari, et per hanc fidem justitiam Christi apprehendunt. Hinc docebant : 1°) *solam fidem* justificare ; 2°) *sacramenta esse instituta* propter solam fidem nutriendam ; 3°) verba sacramentorum non esse proprie *consecratoria*, i. e. efficientia quod significant, gratiam scilicet et sanctitatem ; sed esse tantum : sive *promissoria*, quatenus si non expresse continent promissiones divinas, saltem ad illas jam factas mentem revocant, et eas quasi sigillant ; sive *concionatoria*, quatenus alta voce prolata, in audientium animis movent et excitant fidem justificationis promissae ; dici tamen posse aliquo sensu *consecratoria*, quatenus rem ab usu profano ad sacrum et religiosum transferunt. At verba, quibus sacramenta perficiuntur, non esse *promissoria* seu *concionatoria*, sed **vere consecratoria**, i. e. per modum efficientiae, de fide est, definitum implicite a Conc. Trid. (sess. VII, can. 5 et 6). Quae veritas vel exinde patet, quod infantes, dum baptizantur, concionem et instructionem percipere non possint. Praeterea verba sacramentorum a Christo instituta nullam continent promissionem aut concionem. Imo, aliud esse concionandi, aliud baptizandi ministerium declarat Apostolus (1 Cor. I, 17) : « *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* » Nec obstat S. Aug. (Tract. 70 in Joan.) inquiens : « *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* » Non enim vult significare verbum sacramentale esse concionatorium, sed solum in eo vim inesse, non quatenus est sonus materialis, sed prout continet mysterium fidei et invocationem divinae virtutis. Unde S. Thom. (p. 3, q. 60, a. 7 ad 1) hunc locum ita exponit : « *Verbum operatur in sacramentis* NON QUIA DICITUR, *i. e. non secundum exteriorem sonum vocis,* SED QUIA CREDITUR, *i. e. secundum sensum verborum, qui fide tenetur.* » Dici etiam potest : verum esse, quod nemo justificetur per baptis-

mum, nisi quodammodo credens : *adultus* quidem per se, *infantes* in Ecclesia, in cujus sola fide parvulos baptizari supponit Trid. (sess. VII *de bapt.* can. 13), adeoque non in infantium, ministrorum vel adstantium fide, quam nusquam S. Aug. aut alii SS. Patres requisiverunt.

Q. 11. *Quomodo* MATERIAE et FORMAE sacramentorum N. L. a Christo fuerint *determinatae?*

R. Hac in re alia sunt *certa*, alia *disputata.*

Explanatur. Certum est 1°) imo de fide, Christum saltem **in genere** omnium sacramentorum formam et materiam determinasse : nam de fide est, omnia sacramenta fuisse a Christo instituta ; quod saltem de *generica* hac institutione accipiendum est. Idem significat Trid. (sess. XXI, cap. 2), docens in Ecclesia semper fuisse potestatem mutandi aliqua circa administrationem sacramentorum, « *salva eorum substantia* » ; quibus verbis manifeste innuit, ex certis rebus et verbis constare substantiam sacramentorum. 2°) Certum est, Christum nullius sacramenti materiam et formam **in individuo** designasse, seu ut alii loquuntur, *in specie infima ;* i. e. determinando rem talibus ac talibus qualitatibus affectam esse debere, et verba his vel illis vocibus constare, puta si pro materia in baptismo expresse designasset aquam frigidam, non calidam ; pro forma vero talem phrasim et non aliam. Hujusmodi enim determinationis *in individuo* nullum occurrit indicium. 3°) Certum est, Christum determinasse **in specie** materiam et formam baptismi et eucharistiae, cum evidenter eruatur ex Scripturis Christum speciatim designasse in baptismate aquam et in eucharistia panem et vinum pro materia, et verba *ego te baptizo* vel alia aequivalentia, et *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* pro forma. — Quoad reliqua, utrum Christus illorum materias, et, quoad substantiam, etiam formas **in specie** determinaverit, an vero **in genere** tantum, relinquendo Ecclesiae potestatem aliquid tanquam materiale et formale in specie convenienter assumendi, inter DD. *disputatur.* Pro **generica** determinatione stant DD. omni pondere gravissimi, quos inter S. Bonav., P. Soto, Bill., qui hanc sententiam vocat « *communiorem* », Gonet, R. Tapp., Bellarm., Lug., Suar., De Con , Lacroix, Viva, Laym., C. Pal., Plat., alii, quos attuli in op. *Princ. dogm. moral.* etc. Imo dici potest ex Bened. XIV, ut infra videbitur, in

hanc sententiam abiisse « *universam fere aciem scholasticorum.* » Pro **specifica** determinatione, praeter nonnullos, quos inter novissime Puig et Xarr., stat S. Lig. (VI, 12, cui haec sententia videtur « *probabilior* » : citantque pro illa auctoritatem S. Thom. (p. 3, q. 60, a. 5 ad 1). Verum, ubi ait Angelicus (l. c.) : « *Etsi idem potest per diversa signa significari, determinare tamen quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem* » ; sensus est : *pertinet ad significantem* auctoritative seu tanquam ad causam principalem, ita tamen, quod possit, si velit, uti aliorum *ministerio* in hac determinatione. Hinc, si Deus *in specie* determinaverit rem, qua sanctificatur homo, in hujus potestate nullatenus erit aliam rem assumere, quantumvis fortassis aptiorem ad significandum effectum sanctificationis. Sin autem Deus *in genere* tantum determinaverit, hominique potestatem fecerit *in specie* determinandi, determinatio quidem *immediate* fiet ab homine, ad ipsum tamen non pertinebit *auctoritative* et *absolute*, sed *ministerialiter* tantum et *dependenter a Deo*. Atque hoc sensu praemiserat (*ibid.*) S. Thom. : « *Non pertinet ad hominem suo judicio* [scilicet absolute] *assumere res quibus sanctificetur ; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum.* » Immerito quoque prorsus pro eadem sententia affertur a Puig et Xarr. auctoritas Bened. XIV (*de Syn.* l. VIII, c. X, n. 10). Nam, allatis DD. argumentis pro *specifica* determinatione, ipse ultro fatetur : « *Haec omnia placuit hic exponere, non ut huic postremae sententiae calculum adjiceremus, sed eo tantum consilio, ut perspicuum fieret, eam, quamvis habeat contra se* universam fere aciem scholasticorum, *ab istorum tamen ictibus nihil sibi metuere, imo et sua jacula habere, quae in eos intorqueat.* » Neque **objiciat** quis : Christus *immediate* et per se singula N. L. sacramenta instituit (pag. 360 seq.); atqui si Ecclesia determinasset in aliquo materiam *in specie*, non Christus illud instituisse dici proprie posset, sed tantum *mediate* per Ecclesiam. **Resp.** cum TT. Wirceb. « *Dist. ant.* Christus per se instituit sacramenta singula, pro singulis determinando materiam in specie, *neg.* Sic enim certo singulis non determinavit formas. Saltem determinando in genere materias, *conc.* Hoc jam sufficit, ut Christus dicatur instituisse per se singula, quod requisiverit aliquod signum in genere expressivum effectus, ac ejus determinationem specificam reliquerit Ecclesiae ; hoc ipso enim, quod signo a se determinato in genere et in specie de-

terminando ab Ecclesia annexuerit gratiam ipse, verè ipse solus dici debet instituisse sacramenta; hoc enim proprie est sacramenta instituere : signo alicui dare vim conferendi gratiam, non vero quomodocumque materialiter signum eligere. »

Q. 12. Quomodo se debeant habere ad invicem *materia* et *forma* : 1°) quoad APPLICATIONEM?

R. Debent APPLICARI *ab eodem ministro* : quia alias non verificatur forma. Excipitur sacramentum *poenitentiae*, quod fit per modum judicii, in quo materiam applicat poenitens, tanquam reus; formam vero sacerdos, tanquam judex profert.

Resolvitur. Hinc si unus materiam ponit, alter formam pronuntiat, cum haec sit falso, non conficitur sacramentum. Secus si uterque totam materiam et formam ponit, sive *partis* tantum, cum sacramentum constat pluribus partibus, ut Eucharistia, Extr. Unctio, et Ordo; sive *totius*, ut si una simul baptizent, consecrent. Et in hoc posteriori casu ille sacramentum conficit, qui prior signum absolvit; et si uterque illud absolverit, eodem temporis momento, uterque, quantum in se est, conficit sacramentum. Ita S. Thom. (p. 3, q. 67, a. 6 et *suppl.* q. 27, a. 2). Sed *primum* grave est, praeterquam in gravi necessitate, ut si unus consecraret panem et, eo deficiente, alter consecraret vinum; *secundum* vero semper est grave, praeterquam in ordinatione presbyterorum, ut dicetur in *Tract. de* Euch. Q. 35. At valet sacramentum quod unus confert pluribus una simul; quod ceteroquin in solo Baptismo et Poenitentia fieri potest, cum nempe sub unica forma plures baptizat vel absolvit; et in solo summo discrimine rerum, ut in incendio, ruina, naufragio fieri debet. Nihilominus utrum extra casum necessitatis id leve sit, an grave, non satis convenit : « Omnes tamen dicunt, quod is non excusaretur saltem a veniali. » Ita S. Lig. (VI, 29).

Q. 13. Quomodo se debeant habere *materia* et *forma* : 2°) quoad SIMULTATEM?

R. Sub *distinctione*.

Explanatur. Vel loquimur de **valore**, vel de **liceitate**. 1°) Quantum ad sacramenti **valorem**, non requiritur simultas MATHEMATICA materiae et formae, quasi illius applicatio et illius

prolatio in eodem instanti temporis deberent inchoari et finiri, cum hoc sit moraliter impossibile; nec requiritur simultas PHYSICA, sic, ut una debeat necessario physice inchoari, antequam altera physice finiatur; sed requiritur et sufficit simultas MORALIS, *major* vel *minor* pro diversitate cujusque sacramenti, ita scilicet ut secundum moralem aestimationem hominum, verba formae materiam afficiant, et cum ea unum morale signum conficere censeantur. Ratio est ex BILL.: « Quia sacramentum est compositum *morale*, ex institutione Christi ab hominibus exercendum et recipiendum, consequenter humano et morali modo. Nec verisimile est apostolos qui (ACT. II, 41) leguntur una die baptizasse tria millia hominum, sic aspersisse aut effudisse aquam, ut tangerent omnes baptizandos eodem instanti physico quo formam proferrent. » Dixi : *major vel minor* etc.; unde **A**) *maxima* requiritur conjunctio, quae ideo a pluribus *physica* vocatur, in confectione *eucharistiae*, in qua pronomina *hoc* et *hic* demonstrant materiam esse praesentem eo tempore quo verba proferuntur ab initio. Contra **B**) *minor* requiritur simultas in *baptismo*, *confirmatione*, *extr. unctione* et *ordine;* et ideo communiter dicunt DD., sufficere ad valorem istorum sacramentorum, ut materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, vel immediate postquam prolata sit. Ratio: quia licet sacramentorum formae solum importent tempus praesens, ut *baptizo*, *signo*, etc.; quia tamen moraliter loquendo tempus praesens patitur quamdam latitudinem, ideo per illud intelligimus id quod nunc exsistit, vel quod immediate ante exstitit, vel quod immediate post exsistet. Sic censetur verax dicens : *bibo ad vestram sanitatem*, licet immediate post bibat; aut dicens : *non loquor*, si immediate ante tacuit. — Imo quibusdam videtur adhuc valide perfici sacramentum, si inter materiam et formam istorum sacramentorum intercedat parva mora, puta unius *Ave*. At, teste BILL., «*plures et graves auctores*,» quos inter CAJET., haec quatuor sacramenta ita collata reputant nulla, ac sustinent ad eorum valorem requiri, ut forma inchoetur priusquam materiae applicatio absolvatur, vel e converso; ita ut materia et forma, quoad aliquam saltem partem sese contingant. « Unde, addit BILL., quidam sub conditione inferunt sacramentum praesertim baptismi et ordinis sic collatum esse repetendum. » **In praxi,** haec secunda sententia, utpote tutior, omnino est se-

quenda. Demum C) *adhuc minor* requiritur simultas in *poenitentia* et *matrimonio* : nam in priori confessio dolorosa velut materia necessario praemittenda est absolutioni tanquam formae, quae ex causa etiam licite aliquando ad tempus differtur; in posteriori consensus unius expressus praeexigitur consensui alterius, sufficitque priorem adhuc moraliter perseverare. — Quantum vero ad **liceitatem**, materia applicari et forma simul pronuntiari debet, prout praescribitur in RITUALI, quod ministrans sequi tenetur. Et ita pro sacramento baptismi aperte traditur : « *Sacerdos vasculo seu urceolo accipit aquam baptismalem et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et* SIMUL PROFERENS *semel tantum distincte et attente dicit :* N. Ego te baptizo in nomine Patris †, *fundat primo*, et Filii †, *fundat secundo*, et Spiritus † Sancti, *fundat tertio*, » Unde quoque in sacramentis poenitentiae et matrimonii materia et forma statim conjungantur, ubi scilicet aliunde nihil obest. In praxi itaque curandum est, ut minister procuret simultatem, quanto majorem potest.

Q. 14. Quomodo se debeant habere *materia* et *forma* : 3°) quoad INVARIABILITATEM?

R. Debent esse *essentialiter invariatae.*

Resolvitur. Hinc mutatio **substantialis**, sive materiae sive formae, sive facta sit ex proposito et deliberate, sive ex errore aut ignorantia vel inadvertentia, semper officit valori sacramenti : quandoquidem sacramenta constant rebus et verbis a Christo institutis, quae proin si non serventur, ipsum sacramentum irritari necesse est. Mutatio vero **accidentalis** materiae vel formae non officit valori, quia non tollit substantiam a Christo institutam.

Q. 15. *Quandonam* habeatur in *materia* et *forma* mutatio SUBSTANTIALIS, *quandonam* vero ACCIDENTALIS tantum?

R. 1° *Materia* mutatur SUBSTANTIALITER, si juxta communem usum et aestimationem non sit re et nomine eadem res cum illa quam Christus instituit; ut si baptizes in vino, consecres in aqua aut in massa cruda : quia haec, etsi forte non re, tamen nomine et usu hominum differt a pane. Mutatur vero ACCIDENTALITER, si inter homines retineat eumdem usum et idem nomen, ut si loco aquae frigidae sumatur calida,

parum lutosa. — R. 2°) *Forma*, mutatur SUBSTANTIALITER, si non manet sensus a Christo intentus. Secus mutatur ACCIDENTALITER.

Q. 16. *Quot* modis effici possit MUTATIO *formae*, substantialis seu accidentalis?

R. *Sex* modis : *detractione*, *additione*, *variatione* idiomatis aut vocum, *transpositione*, *corruptione* verborum, *interruptione*, juxta versiculos :

« NIL FORMAE DEMAS, NIL PONAS, NIL VARIABIS.
TRANSMUTARE CAVE, CORRUMPERE VERBA, MORARI. »

Nota. Facilius inducitur mutatio *substantialis*, si corruptio fiat initio, ut si loco *patris* dicatur *matris*, quam si fiat in fine, ut si loco *calix* dicatur *calis;* item si fiat interruptio syllabarum, quam si fiat interruptio verborum, quia illarum unitas minus est divisibilis, ideoque una vel altera vox interjecta inter syllabas ejusdem verbi magis tollit sensum, quam si integris vocibus adjiciatur, ut si sacerdos postquam dixit : *hoc est cor*, clamet : *tacete pueri*, et postea pergat : *pus meum*.

Q. 17. An *conficiat* sacramentum, qui sciens inducit mutationem *accidentalem*, quam erronee putat *essentialem?*

R. *Affirmative*, modo habeat intentionem generalem faciendi quod Christus instituit aut vera Ecclesia facit : quia non obstante errore, cum servetur substantia in materia et forma, manet ipsius actio conformis institutioni Christi.

Q. 18. *Quomodo* peccet, qui MUTAT *materias* aut *formas?*

R. Sub *distinctione*.

Explanatur. 1°) Si mutet **substantialiter**, idque scienter et deliberate, peccat *mortaliter :* **A)** *contra praeceptum Ecclesiae* in re gravi; **B)** contra *religionem :* est enim quodammodo illudere Christo, contra ejus institutionem adhibere signa ad gratiam ejus nomine conferendam, quae ipse ad hoc non assumpsit; **C)** contra *charitatem*, privando proximum magno bono spirituali; et etiam **D)** contra *justitiam*, saltem si ministro cura animarum incumbat ex officio. Dixi : *saltem* etc; quia probabiliter idem dicendum est,

etsi ex officio non administret : quia hoc ipso quod in se suscipit sacramenti administrationem, ex tacito contractu se obligat ad illud valide, quantum potest, administrandum. 2°) Si mutet tantum **accidentaliter**, secluso contemptu, periculo errandi in substantialibus, scandalo et prava intentione, peccat tantum *venialiter*, nisi mutatio esset valde *notabilis*, qualis communiter censetur esse in consecratione calicis omissio verborum : *novi et aeterni testamenti* : quia institutio Christi et universalis Ecclesiae consuetudo vim legis habens per se graviter obligat.

Q. 19. *Quomodo* se debeant habere *materia* et *forma* : 4°) quoad CERTITUDINEM ?

Praenotandum. Ex SCOTO (l. 4 *sent.* dist. 3, q. 2, n. 10) « *universaliter in omnibus dubiis, quantum ad materiam et formam, tres sunt* MAXIMAE. Prima est ista : *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda.* Secunda : *si non adest possibilitas, viae tutissimae proxima est tenenda.* Tertia est ista : *cessante impossibilitate, caute est supplendum, quod impossibilitas prohibebat.* » Hoc posito :

R. Debent *per se* loquendo esse *moraliter* certae. Unde peccat, ut dictum fuit (tom. I, pag. 97), *quadruplici* peccato, qui adhibet materiam vel formam dubiam, dum certa haberi potest.

Explanatur. Dixi 1°) per se loquendo. Quia saepe, ubi adest *necessitas*, non tantum licet, sed est etiam gravis obligatio ministrandi sacramentum sub materia dubia ; et nedum baptismum et poenitentiam ; sed et confirmationem, ut aperte tradit S. LIG. (VI, 162) ex LACROIX et GOBAT, et extremam unctionem, ut ex communiori sententia docet SASS. Dixi 2°) : MORALITER **certae.** Si enim certitudo stricte dicta requireretur, ministri sacramentorum continuis perplexitatibus obnoxii forent, et administratio saepe impossibilis.

Nota. Vix contingere potest, ut liceat uti *forma* dubia, nisi in casu extraordinario, ut si puer sit in periculo mortis, et nemo adstantium sciat formam certam baptismi.

Q. 20. An, ubi agitur de *valore* sacramenti, liceat uti opinione *probabili*, relicta *tutiori?*

R. Regulariter *negative.*

Explanatur. Idque grave est nedum **conferenti** quae certa est sententia, ut constat ex prop. damnata ab Innoc. XI : « *Non est illicitum in sacramentis conferendis uti opinione probabili de valore sacramenti, relicta tutiore*, etc. » (tom. I, pag. 97) ; sed et **suscipienti**, ut communius docent DD. cum S. Lig. (I, 51) et Scav. Quamvis enim non sit *formaliter* damnatum, quod suscipiens licite sequatur opinionem probabilem, relicta tutiori, dici tamen debet *virtua iter* damnatum, cum legitime inferatur ex propositione damnata. Nam tota ratio damnationis stat in eo, quod dicatur licitum exponere frustrationi sacramentum ; sed haec frustratio aeque convenit recipienti invalide, ac ministranti invalide ; ergo ex ea damnatione infertur falsitas quoad praxim propositionis id admittentis in recipiente. Censet S. Lig. (l. c.) ab hac opinione non esse recedendum, saltem quia opposita « *fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus, sine proprio animae detrimento.* »—Dixi : **regulariter** ; nam ubi defectus ab Ecclesia suppletur, ut evenit v. g. in dubio de jurisdictione confessarii et in dubio juris de impedimento matrimonii ; vel quando nihil tutius in promptu est, et necessitas vel utilitas suscipientis exigit, ut sacramentum conferatur, nec res moram patitur, licet sequi opiniones vel tantum probabiles. Cfr. *Princ. dogm. mor. univ. theol. sacr.* pag. 238-256.

Q. 21. *Quandonam* et *quomodo* ITERANDUM sit sacramentum ?

R. Ubi, facto diligenti examine, manet *prudens dubium*, an sacramentum fuerit vere collatum, iterandum est *sub conditione*, quae saltem *mente* retineatur : sive *expresse*, sive *virtualiter* aut *implicite*, veluti habet, qui vult sacramenta administrare secundum intentionem Christi vel Ecclesiae. Dixi : *quae saltem* MENTE *retineatur*. Nam apponi debet *ore*, ubi hoc praescribit Rubrica, ut in Baptismo conditionato, praesertim si publice conferatur, ne adstantes credant, Baptismum absolute iterari. Interim, *generatim* loquendo, convenientius est, conditionem verbis exprimere, quoties ministratur sub conditione, quodcumque sacramentum, nisi inconveniens aliquod obstet, ut si v. g. praevideretur offensio suscipientis, si conditio ore exprimeretur ; et ideo dixi : *generatim*.

Q. 22. Qualiter peccet, qui sine causa : 1°) *formam* REPETIT; aut 2°) eam ita pronuntiat, ut unum verbum vel syllabam *bis terve* REPETAT?

R. Ad 1um) *Per se* reus est gravis sacrilegii, qui, secluso prudenti dubio, formam repetit, etiam *sub conditione* tantum : quia secunda forma est inutilis, et iteratio sub conditione permittitur tantum in dubio rationabili.

R. Ad 2um) *Per se* etiam peccat graviter : quia inducit novum ritum circa actionem gravissimam; absque prudenti causa mutat formam; Christum repraesentat ridicule loquentem; rudioribus ac acatholicis scandalum praebet, ac demum actiones sacramentales gravi contemptui exponit.

Explanatur. Dixi in utroque casu : **per se.** Nam vere scrupulosi hic facile excusantur ab omni aut certe gravi peccato : « *Quia*, ut dicit S. LEO (cap. «*Si nulla* » 113 de consecr. dist. 4) *non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.* » Interim antecedenter debent sibi formare judicium nihil esse repetendum, cui postea standum est contempto timore; quod si negligant, etiam graviter peccare possunt.

Scholion. Solent TT. cum S. THOM. (p. 3, q. 66, a. 1) in SS. N. L. haec *tria* distinguere : « *Aliquid scilicet, quod est* SACRAMENTUM TANTUM; *aliquid autem, quod est* RES ET SACRAMENTUM; *aliquid vero, quod est* RES TANTUM. Porro illud, *quod significat et non significatur* appellatur **Sacramentum tantum.** Illud, *quod significatur et non significat*, dicitur **Res tantum.** Denique, quod *significat et significatur*, vocatur **Res et Sacramentum.** Sic in baptismo, confirmatione et ordine, materia et forma dicuntur *sacramentum tantum* : significant enim gratiam, characterem et alios effectus, et non significantur; gratia vero dicitur *res tantum* : quia significatur et non significat; character demum dicitur *res simul et sacramentum* : quia significat gratiam, et significatur ab ipso sacramento. Pro sacramento poenitentiae varia sunt DD. placita. Ex S. THOM. (p. 3, q. 84, a. 1 ad 3) materia et forma sunt *sacramentum tantum*; gratia seu remissio peccatorum dicitur *res tantum*; contritio seu dolor internus est *res simul et sacramentum* : sacramentum quidem, quatenus significat gratiam, ad quam causandam concurrit : res vero, quatenus significatur a confessione,

dum per ipsam redditur sensibilis. Ita quoque docent Thomae discipuli et « alii *communiter* », ut fatetur De Lug., qui tamen hunc modum loquendi impugnat, sequenti argumento, prout illud proponit Giribaldi, prolixam nimis Lugonis disputationem ita breviter complectens. Scilicet impugnat : « ex eo quod dolor non significatur sacramentaliter, ex vi institutionis Christi, a confessione : nam independenter etiam ab institutione Christi, eo ipso quod quis sua peccata ad eorum veniam impetrandam confitetur, significat se de ipsis dolere. Vult igitur Lugus illud, quod ut sit *res et sacramentum*, debere sacramentaliter significare et significari; dolor autem licet sacramentaliter significet, non tamen sacramentaliter significatur; ideo per ipsum non potest dici *res et sacramentum ;* sed vult quod in poenitentia *res et sacramentum* sit pax conscientiae eo proportionaliter modo, quo hilaritas mentis vel sanitas corporis est *res et sacramentum* in extrema unctione.»— In extrema unctione *sacramentum tantum* est unctio simul cum forma ; gratia autem infusa est *res tantum ;* denique ex S. Thom. (*suppl.* q. 30, a. 3 ad 3), *res et sacramentum* est « *quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio ;* » i. e. quaedam mentis hilaritas et confortatio, majorque sustinentia laborum : *significat* enim interiorem animae sanitatem, et *significatur* ab ipso sacramento. Et licet non semper habeatur is effectus propter carentiam usus rationis vel distractionem aut aliam causam, id parum refert : quia satis est quod sacramentum ex se habeat vim ad illum effectum causandum, ut possit dici significari ab ipso. Alii censent ipsam corporis sanitatem esse *rem sacramenti*, quatenus ab illo fit, et *sacramentum* aliquo modo quia sanitatem animae significat. In matrimonio ex S. Thom. (*suppl.* q. 42, a. 1 ad 5) : « sacramentum tantum *sunt actus exterius apparentes ; sed* res et sacramentum *est obligatio, quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus ; sed* res *ultima contenta est effectus hujus sacramenti* » quo nomine intelligit « *gratiam adjuvantem ad illa operanda, quae in matrimonio requiruntur,* » ut habet (*ibid.* a. 3). Quantum ad eucharistiam, Cfr. tom. 3, Tract. *de Euch.* Q. 8.

CAP. 4. De ministro sacramentorum N. L.

Q. 23. *Quisnam* sit minister sacramentorum N. L. ?

Praenotandum. Minister sacramentorum N. L. *multipliciter* distinguitur. 1°) Alius est *principalis*, alius *minus principalis* seu *secundarius*. 2°) Minister secundarius alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius*. 3°) Secundarius minister iterum alius est talis *ex officio* sive *per se*, et dicitur etiam minister *solemnitatis*, qui ad tale sacramentum conficiendum vel administrandum specialiter consecratus est, ut episcopus respectu confirmationis et ordinis, sacerdos respectu eucharistiae, poenitentiae et extremae unctionis; vel saltem specialiter deputatus ab Ecclesia, qualis censetur sacerdos, qui ex speciali delegatione R. P. confirmationem administrat; item diaconus, qui solemni ritu baptizat. Alius est minister *per accidens*, non ex officio talis, i. e. non specialiter consecratus vel deputatus, vocaturque etiam minister *necessitatis* seu *simplicis idoneitatis*, quales certo sunt laici respectu matrimonii et baptismi non solemnis; et probabiliter etiam sacerdotes baptizantes in urgente necessitate, in qua cuilibet licitum est baptizare : quia tunc, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 6 ad 3), non peragunt id munus ex officio, sed mere per accidens. 4°) Denique respectu Eucharistiae, distinguitur minister *conficiens* et minister *dispensans* seu *administrans*.

R. Minister *principalis*, etiam nunc, est Christus, ut *homo*, propter unionem hypostaticam cum Verbo divino; *secundarius*, de lege *ordinaria*, est solus homo viator, ratione utens; non tamen quilibet, etiam Christianus, cujuslibet sacramenti minister est, ut definitum est a Trid. (sess. VII *de sacr. in gen.* can. 10); sed ille tantum, qui in Ecclesia rite ordinatus est. Excipe : 1°) *Baptismum*, quippe omnis homo, ratione utens, sive mas sive femina, etiam haereticus, paganus, judaeus, possit, supposita debita intentione, in omni casu *valide*, et in necessitate etiam *licite* baptizare; 2°) *Matrimonium*, cujus ministri sunt ipsi contrahentes baptizati.

Explanatur. Dixi : 1°) **minister principalis.** Hinc dicitur de Christo (Joan. I, 33) : « *Hic est, qui baptizat;* » quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. Hinc quoque Paulus (1 Cor. IV, 1) ait : « *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* » Et luculenter patet in Eucharistia : nam verba proferuntur in persona

Christi. Dicitur : 2°) **propter unionem hypostaticam**; quia actio principalius competit instrumento conjuncto, quam separato; sicut scriptio, quae actio quaedam est, principalius competit manui, quae est instrumentum conjunctum hominis, quam calamo, qui instrumentum et hominis est, sed separatum. Quo circa audiatur S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 3) : « *Dicendum quod interiorem sacramentorum effectum operatur Christus et secundum quod est* Deus, *et secundum quod* homo, *aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est* Deus, *operatur in sacramentis per* auctoritatem. *Secundum autem quod est* homo, *operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed* instrumentaliter ;... *non quidem per modum principalis agentis sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus..., sed tamen quia est* instrumentum conjunctum divinitati *in persona, habet quamdam* principalitatem et causalitatem *respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae... Et ideo sicut Christus, in quantum* Deus, *habet potestatem* auctoritatis *in sacramentis; ita, in quantum* homo, *habet* potestatem ministerii principalis, *sive* potestatem excellentiae, » quae ex S. Thom. *(ibid.)* in *tribus* consistit, juxta dicta (pag. 360). Dicitur : 3°) **de lege ordinaria**; nam, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 7) : « *Sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit* sine sacramentis *effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae ministris, quin etiam* angelis *possit virtutem tribuere ministrandi sacramenta.* » Sic, Nicephoro teste (l. XI, c. 20), S. Archilochius ab angelis Iconii episcopus consecratus fuit, hancque consecrationem ratam ceteri episcopi habuerunt. Teste Clem. VIII, in Bull. Canon. S. Agnetis de monte Politiano, angelus ei saepius eucharistiam praebuit. Simile factum de S. Cath. Senensi et S. Stan. Kostka, Viennae in aedibus hospitis Lutherani infirmo, refert historia. Teste Petr. de Natal. (l. VIII, c. 130), et Molano (ad 29 Sept.), S. Michaelis Basilica ab ipsomet archangelo consecrata fuit. Observat tamen S. Thom. *(ibid.)* quod : « *Quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur,* esset ratum habendum : *quia deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio* consecrata; *si vero daemones,*

qui sunt spiritus mendacii, aliquid sacramentale ministerium exhiberent, NON ESSET RATUM HABENDUM. » Ex quo inferunt DD. : si quem baptizasset angelus, non esse rebaptizandum, modo constet fuisse angelum bonum. Et licet verba prolata ab angelo aut anima beata in corpore assumpto sint specie diversa ab illis, quae homines proferunt, « haec tamen diversitas, ait GONET, materialiter et per accidens se habet ad rationem signi sensibilis subindeque ad rationem sacramenti : quia illi soni sensibiles, licet non sint a principio intrinseco vitali, habent tamen eamdem significationem subindeque eamdem virtutem gratiae productivam, quam habent nostrae voces sacramentales. » Quod si quis ab angelo aut a beato, v. g. S. Petro, extraordinarie a peccatis absolveretur, talis juxta multos, non indigeret nova absolutione quae a sacerdote viatore ei conferretur. Contradicit DE LUGO, qui suam assertionem multiplici argumento confirmare conatur. Dicitur: 4°) **solus homo viator ratione utens**; cujus veritatis ratio a priori voluntas Christi est, per Scripturam et Traditionem nobis intimata. *Congruentia* est ex S. THOM. (p. 3, q. 64, a. 7) : quod minister principalis sacramentorum est Christus ut homo, ex cujus passione virtus sacramentorum derivatur; ergo conveniens erat, ut minister minus principalis non foret ipsi superior secundum naturam, qualis est angelus. Praeterea ex BILL., « Ecclesiae est visibilis, sacramentis visibilibus coadunatur. recipientes sacramenta sunt visibiles : ergo congruum erat, ut etiam per homines visibiles administrarentur. » Dixi : 5°) **non tamen quilibet** etc. Constat id ex TRID. (l. c.) ubi damnat LUTHERI hac in re doctrinam, definiens : « *Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* » Nec **Objic.** : Omnes christianos in baptismo factos esse *sacerdotes*, ut dicitur (I PETR. II. 9) : « *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* ; » et (APOC. V. 10) : « *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* » **Resp.** *Dist. ant.* Omnes christiani sunt *sacerdotes* vere et proprie per ordinationem ad sacra munia obeunda, *neg.* Metaphorice, quatenus offerunt Deo spirituales hostias, quae sunt bona opera et laudes Deo factae, *conc.* Ita seipsum explicat Petrus (ibid. 5). Adde fideles dici *sacerdotes* eodem sensu quo dicuntur *reges :* manifestum est autem eos dici reges metaphorice, quatenus dominantur suis cupiditatibus. Potest etiam dici

cum S. Aug. (*de civit.* XX, c. 10) omnes fideles vocari *sacerdotes*, in quantum membra sunt unius sacerdotis, scilicet Christi : «*Sicut omnes*, inquit, *christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis.* »

Q. 24. Quid requiratur ex parte MINISTRI ad *valorem* sacramenti?

Praenotandum. *Duplex* error hoc loco notandus est. **Primus** error est, quem Saec. III nonnulli professi sunt in Asia et Africa episcopi, quos inter S. Cyprianus, contendentes baptismum ab haeretico vel schismatico collatum, multo magis ab infideli vel judaeo, nullum esse ac proinde ita baptizatos, dum ad Ecclesiam catholicam redeunt, rebaptizandos esse, contra ac volebat S. Stephanus Papa. Unde ipsis REBAPTIZANTIUM nomen adhaesit, etsi non solum baptismum ita collatum, sed et sacramenta alia iteranda vellent. **Secundus** error illorum est, qui contendebant irrita esse sacramenta quae conferuntur ab hominibus in peccato mortali exsistentibus, sive sint catholici, sive haeretici aut schismatici. Ita docuerunt Saec. IV Donatistae. Quem sopitum errorem denuo excitarunt Saec. XII Albigenses et Waldenses seu Pauperes de Lugduno, ac sub finem Saec. XIV Wickleffistae et Hussitae qui in Conc. Const. fuerunt damnati. Cfr. *Princ. dogm. mor.* pag. 307 seqq.

R. Ad *valorem* sacramenti, non requiritur in MINISTRO *fides* aut *probitas*; sed, praeter *potestatem* divinitus concessam, requiritur et sufficit *intentio* seu voluntas *virtualis saltem faciendi quod facit Ecclesiae; determinata* ad certam materiam et personam, eaque sit *absoluta* saltem aequivalenter.

Explanatur. Dixi : 1°) **non requiritur fides.** Et quidem quod spectat ad *baptismum*, ad ejus valorem FIDEM ministri minime requiri, est de fide catholica, ut constat ex Trid. (sess VII *de bapt.* can. 4) : « *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.* » Quod vero spectat ad *reliqua sacramenta*, licet de fide non sit, cum nulla habeatur expressa definitio, est tamen certum ac-

fidei proximum, ut patet ex communi consensu et praxi Ecclesiae, pluribus ab hinc saeculis confirmata. Aliunde eadem ratio quae suffragatur valori baptismi ab haereticis collati, suffragatur pariter valori ceterorum sacramentorum, quia omnia Christi sunt et quia minister, qui in sacramentis instrumentaliter operatur, « *non agit virtute propria, sed in virtute Christi,* » ut ait S. Thom. (p.3,q.64, a. 9). Quod si sacramentum poenitentiae ab haereticis manifestis et excommunicatis vitandis, extra mortis periculum, administrari valide non potest, id quidem provenit non ex defectu fidei, sed quia ad absolutionis sententiam valide ferendam necessaria est ministro tanquam judici jurisdictio, qua, extra illud periculum, penitus destituuntur haeretici manifesti et excommunicati vitandi, utpote ab Ecclesiae corpore praecisi. Nec **obstat** quod varii SS. PP. dicant sacramenta ab haereticis collata esse *inutilia, non sanctificare, non conferre potestatem*. **Resp.** enim : **A**) Dicuntur *inutilia*, non quod essent invalida, sed quia haeretici vel non adhibebant formam aut materiam legitimam, vel non habebant intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia. **B**) Dicuntur *non sanctificare*, licet ipsa essentialia adhiberentur, quia, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 9 ad 2), ordinarie suscipientes gratiae sanctificanti ponebant obicem, haereticis in sua haeresi communicando. **C**) Dicuntur *non conferre potestatem* : non quasi characterem non imprimerent, sed ut recte notat Dalman, quia characteris usum conferre non poterant, cum ab haereticis ordines suscipientes ab ordinum exercitio suspenderentur. Hinc, etsi *illicitae, sacrilegae, exsecrandae*, tamen *validae* sunt ordinationes ab episcopis Jansenistis factae in Hollandia et recenter in Germania, quippe qui characterem episcopalem habent, et ritus in Pontificale Romano praescriptos accurate servant ; secus vero dicendum de ordinationibus anglicanis : constat enim : « *Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas,* » ut solemniter declaravit evidenterque demonstravit Leo XIII, Const. « *Apostolicae Sedis* » (Idib. Sept. 1896.) Unde quoque iterandae sunt ordinationes in illis anglicanis qui post suam conversionem apud nos sacris initiari cupiunt. (Cfr. tom. 5, Tract. *de Ord.* Q.8). Dixi: **2°) aut probitas,** i. e. sanctitas seu status gratiae. Est de fide, ut constat, tum ex Trid. (sess. VII *de sacr. in gen.* can. 12) : « *Si quis*

dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum aut conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit;» tum ex Conc. Const., quod damnavit sub Mart. V, art. 4 Wickleff: «*Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali non ordinat, non consecrat; non conficit, non baptizat;* » item art. 30 J. Huss. : « *Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.* » Ratio theologica ex S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 5) ita proponi potest : Ministri sacramentorum instrumentaliter operantur in sacramentis; est enim eadem ratio instrumenti et ministri. Atqui instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem cui intendat assimilare effectum, sed secundum virtutem principalis agentis a quo movetur; et ideo accidentarium est instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti; sicut per accidens est quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum, quod fistula per quam transit aqua sit argentea vel plumbea. Ergo ministri Ecclesiae possunt valide conferre sacramenta, etiamsi sint mali. Hinc dicit S. Aug. (tract. VI in Joan.) : «*Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?... Et ideo per ministros dispares munus aequale est : quia non eorum, sed ejus sit, scilicet Christi.* » Cui rationi theologicae addatur haec alia. Si sacramentorum valor dependeret a ministri probitate vel statu gratiae, cum haec desint multis, sacramenta persaepe essent irrita cum ingenti animarum dispendio; non esset eorumdem iterationis finis, nunquam anxietatum; itaque Christus parum Ecclesiae, parum animarum saluti providisset, quae quam longissime abhorrent a fine et scopo Christi sacramenta instituentis. Hinc quoque jam pridem scripserat S. Aug. (l. 1 *contra Petil.* c. 3, n. 4) : « *Quomodo... securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos accepturi?* » Nec dicatur quod ratio S Doctoris tantum probet de peccato *occulto*, non autem de *publico*. Nam idem fere sequeretur incommodum : quia ordinarie suboriretur dubitatio seu perplexitas in quantum deberet peccatum esse publicum aut notorium, ut impediret sacramenti valorem. Nec **Objic.** : Sacramenta ordinantur ad emundationem culpae et collationem gratiae; atqui peccatores, cum sint immundi,

non possunt alios mundare a peccato juxta illud (Eccl. XXXIV, 4) : « *Ab immundo quis mundabitur?* » Nec conferre possunt gratiam, quam non habent, quia *nemo dat quod non habet.* **Resp.** cum Bill. *Dist. Min.* Mali ministri non possunt mundare nec conferre gratiam virtute propria, *conc.;* virtute Christi, *neg...* Ad id quod additur : neminem dare, quod non habet, pariter est *dist.* : nemo dat quod non habet neque actu neque virtute seu causaliter, *conc.* Quod non habet actu, habet tamen virtute et causaliter, *neg.* Quilibet autem homo habet sacramentum et effectum sacramenti virtute, quatenus Deus potest illo uti tanquam instrumento ad efficiendum sacramentum et producendam gratiam. — Ex quibus omnibus concludimus : *non esse melius* sacramenta suscipere a ministris fidelibus et bonis, quam ab infidelibus et malis, *quantum est ex parte sacramenti;* nam sacramenta ministrata per malos ministros ex se seu ex opere operato eosdem effectus conferunt, quam ministrata per bonos, cum effectus sacramentalis consecutio non desumatur a dignitate ministri. Potest tamen *esse melius*, ut docet S. Aug. (l. 4. *contr. Crescon.* c. XX, n. 24), tum propter ipsum ministrum, « *ut eis rebus, quas ministrat, vita et moribus congruat;* » tum propter ipsum suscipientem scilicet : « *ut ille, cui ministratur, ministri boni probitatem ac sanctitatem diligendo facilius imitetur,* » aut meliorem dispositionem acquirat *ex opere operantis* ministri, nimirum per piam ministri impetrationem. Quae tamen veritas, ut recte notat Stevaertius, non est a sacerdote jactanda, ne ex propria existimatione venire videatur et ad schisma tendere; sed potius inculcandum est illud Apostoli (1 Cor. III, 7) : « *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.* » Et quoniam quilibet reputandus est probus, donec probetur malus; « ideo, ait Dens, nemo debet nec potest animo censorio inquirere in vitam ministrorum : talis enim inquisitio et odiosa foret suscipientibus et ministris injuriosa. »

Dixi : 3°) **praeter potestatem** *divinitus concessam.* Ratio est : quia solus Deus actibus ministri gratiam adjungere potest. Quaedam vero sacramenta a solis episcopis conferri possunt, vel exclusive, ut Ordo, vel ordinaria facultate, ut Confirmatio. Quaedam cadunt aeque sub potestate episcoporum et simplicium sacerdotum cum conveniente tamen subordinatione, ut Eucharistia, Poenitentia et Extrema Unctio. Quaedam denique non sibi ministrum specialiter

consecratum seu deputatum requirunt, ut Baptismus et Matrimonium. Dixi : 4°) *intentio seu voluntas* **virtualis**, i. e. non actualiter quidem elicita, sed equidem perseverans virtute volitionis antea elicitae (tom. I, p. 11), ut cum quis licet hic et nunc non intendat actualiter conficere sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis habitae, prout si quis habens intentionem sacramentum Eucharistiae conficiendae, adeat ecclesiam, dicat missam et consecret. Imo qui advertenter vadit ad baptisterium, confessionale, altare, etc., administraturus sacramentum, valide baptizat, absolvit, etc., quamvis praevie nullam intentionem fecerit, et tempore ministerii sit omnino distractus : quia adest intentio *exercita*, quae manet *virtualiter*, licet non percipiatur; voluit enim ibi aliquid facere, et quid aliud, quam baptizare, etc.? Quapropter, qui advertenter posuit actionem sacramentalem, non potest prudenter dubitare de intentione, nisi hanc positive excludat : quia sic vult facere, quod alias solet, et quod faciunt similes ministri, quod sufficit. Praeterea in tali casu minister jam exercite cognoscit illas actiones esse sacras et ordinatas ad certos fines. A fortiori, qui timet an habeat intentionem sufficientem, hoc ipso habet plus quam sufficientem. Non requiritur ergo intentio *actualis* : quia, etsi optima, est saepe impossibilis, saltem moraliter, dicente S. Thom. (p. 3, q. 64, a. 8 ad 3) : « *praeter intentionem, cum homo vult multa intendere, incipit alia cogitare*; » nec sufficit *habitualis*, cum etiam detur in ebriis et dormientibus : multo minus *interpretativa* : haec enim, cum nunquam fuerit, non potest influere in actionem ministri, ut fiat humano modo. Dixi ; 5°) **saltem**; qua particula utitur Conc. Trid., ad ostendendum non requiri intentionem faciendi verum sacramentum, seu producendi effectum sacramentalem, seu faciendi quod facit Ecclesia Catholica; sed absolute sufficere intentionem simpliciter ac generatim faciendi quod facit Ecclesia, quaecumque tandem sit privata ministri de Ecclesia vel de sacramento ejusque effectu et efficacia opinio. Quare valeret baptismus collatus tum a judaeo cum intentione baptizandi more Christianorum, tum ab haeretico, qui suam ecclesiam, non Catholicam, credit esse veram. Ad **dubia** : » 1°) *Utrum baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit*

a ministro, antequam baptizet, baptismum NULLUM HABERE EFFECTUM *in animam?* 2°) *Utrum dubius sit baptismus sic collatus, si* PRAEDICTA DECLARATIO *non expresse facta fuerit immediate, antequam baptismus conferretur, sed illa saepe pronuntiata fuerit a ministro, et illa doctrina aperte praedicatur in illa secta?* » S. C. INQ., Instructione edita feria IV, die 18 Dec. 1872, postquam commemorasset doctrinam BENED. XIV (*de Syn.* l. VII, c. VI, n. 9), unde patet eadem dubia jam pridem agitata fuisse, ac pro validitate baptismi, praesertim a S. PIO V quoad Calvinistas, fuisse responsum; nec non declarationem INNOC. IV de validitate baptismi a Saraceno collati (cap. 2 *de bapt.* n. 9), addita quoque ratione perspicue tradita a BELLARM. (*de Sacr. in genere*, l. 1, c. 27, n. 13) ita **respondit**: « Ad 1^um^) *Negative : quia, non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia.* Ad 2^um^) *Provisum in primo.* » Ap. N. R. T. (IX, 453 seq.) Dixi 6°) : **faciendi quod facit Ecclesia**. Quare sacramentum *mimice* et *illusorie* collatum, *absque ulla intentione* faciendi quod facit Ecclesia, nullum est. Interim haec intentio non debet fieri *expressa* seu in actu *signato*, quasi minister debeat expresse ore vel mente dicere : *volo facere quod facit Ecclesia;* sed sufficit, quod sit *implicita* seu in actu *exercito*, i. e. quod advertens et volens faciat quod novit fieri ab Ecclesia. — Utrum porro sufficiat intentio faciendi **materialiter** quod facit Ecclesia, i. e. ponendi actionem prout exterius ponitur in Ecclesia, tametsi intus minister statuat illud non perficere, sed tantum fingere et simulare; an vero requiratur intentio idem faciendi **formaliter**, i. e. id faciendi quod intendit Ecclesia fieri per externam actionem sacramentalem; aliis verbis, ut alii loquuntur : utrum sufficiat intentio **externa**, i. e. celebrandi ritum externum eo modo quo ab Ecclesia celebratur, quantumvis interne nolit facere quod facit Ecclesia; an vero requiratur intentio **interna**, i. e. mentis propositum externo actui consonum, inter DD. *disputatur*. Negari haud potest primae sententiae, quam defendit CATHARINUS cum aliis quibusdam, non infimae sane notae, grave vulnus inflictum fuisse per damnationem ab ALEX. VIII sub. n. 28 sequentis propositionis : « *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit : non*

intendo facere quod facit Ecclesia.» Quare secunda sententia, utpote *tutior*, omnino servanda est in praxi; et ideo quoque, ut notat Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. IV, n. 9), « *si constet, quempiam aut Baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis, quae iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta*; *aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patitur, Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum.* » Dixi : 7°) *modo sit sufficienter* **determinata**; scilicet tum quoad *materiam*, quia secus remaneret in statu indifferentiae; tum quoad *personam*, quia secus nulla fieret applicatio. Sufficit autem ut determinetur ad personam praesentem, quaecumque illa sit; et hinc valide absolvo virum, quem puto esse feminam; Petrum, quem puto esse Paulum. In matrimonio tamen error personae est substantialis (pag. 190). Dixi : 8°) *eaque sit* **absoluta** *saltem* **aequivalenter**; qualis est, dum conditio est de praesenti vel praeterito, ac revera subsistit. Hinc non subsistit sacramentum, *excepto Matrimonio*, collatum cum intentione conditionata de futuro contingenti suspensiva valoris, seu qua minister vult sacramenti valorem suspendere usque ad eventum conditionis, ut si absolveret sub conditione, quod poenitens sit restituturus rem alienam : quia non valet, quando ponit materiam et formam, cum pro tunc non velit illud valere; nec valet etiam postea, quando conditio impletur, quia tunc amplius non exstant materia et forma. Excipitur *Matrimonium*, quod, cum sequatur naturam contractus, valide imo et licite initur sub conditione de futuro et perficitur tam in ratione sacramenti quam contractus tunc, quando impletur conditio. — Interim praefata intelliguntur de conditionibus quae cadunt sub **cognitione humana** : quia dubium est, utrum aliae conditiones, v. g. *baptizo te*, **si es praedestinatus, si Deus scit** *te esse modo moriturum*, unquam apponi possint quin valori sacramenti noceatur. Juxta alios, semper invalidus esset talis baptismus: quia, cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio, quae non possit cadere sub humana cognitione. Quae videtur esse opinio S. Lig. (VI, 26). Juxta alios vero, conditione verificata, validus esset baptismus : quia valor sacramenti non pendet ab hominis-

cognitione vel ignorantia, et aliunde jam apponitur conditio de praesenti, cum Deo omnia futura sint nota. Quamvis igitur, aiunt, objectum illius scientiae divinae sit futurum, ipsa tamen scientia, quae est conditio, est omnino praesens. De qua controversia, praeter S. Lig., vide Lacroix (l. 6, p. 1, n. 81); Suar. (p. 3, disp. 13, sect. 4, § 9); De Lug. (*de poenit.* disp. 13, sect. 6, n. 134 seq.); N. R. T. (XXIV, 195 seq.).

Nota 1. Contingere aliquando potest ministrum ex ignorantia, errore aut oblivione, duas habere **intentiones contrarias** et repugnantes, ut si intenderet consecrare eucharistiam, sed non offerre sacrificium; facere quod Christus instituit et non facere quod facit Ecclesia; velle celebrare matrimonium in ratione contractus, non in ratione sacramenti, etc. Quo casu valet intentio **praedominans**, ea nempe quae eligeretur a ministro, si cognosceret utramque consistere non posse. Quod si neutra sit *praedominans*, sed **aequalis**, minister nihil operaretur : nam altera alteram destruit. Quod si tandem de hoc **dubitaretur**, dubius erit valor sacramenti. Hinc **A**) : « Si haereticus velit baptizare et nolit conformare se Ecclesiae Romanae, quia putat eam errare, ita tamen ut, si sciret Ecclesiam Romanam non errare, adhuc vellet sacramentum conficere et revocare intentionem non conformandi se Ecclesiae Romanae; voluntas faciendi sacramentum praevalet voluntati non faciendi quod intendit Ecclesia Romana; et quia ex communiter contingentibus id praesumitur rationabiliter de haereticis baptizantibus, dummodo servent materiam et formam institutam a Christo, idcirco baptismus collatus ab haeretico reputatur validus. Contra vero, si constaret aliquem ita conferre baptismum sub dictis intentionibus contrariis, ut si sciret Ecclesiam Rom. non errare, adhuc nollet huic se conformare; tunc dicenda esset praevalens intentio non conformandi se Ecclesiae Rom., seu intentio non faciendi sacramentum. » (Mazz.). Hinc **B**) : « Si quis contraheret matrimonium, intendens illud esse solubile, tali animo, quod si sciret esse insolubile, non contraheret, tunc nullum esset matrimonium. » (S. Lig. VI, 24.) Hinc **C** : « Si dicas : volo consecrare eucharistiam, sed non offerre sacrificium, vel ideo hoc tantum dicis, quia putas in missa non offerri sacrificium, vel separabilem esse consecrationem a sacrificio; quod si scires inseparabi-

litatem, adhuc velles consecrare et sacrificare, tunc vere consecras : quia voluntas consecrandi praevalet voluntati non sacrificandi ; si autem scires consecrationem esse indivisibiliter conjunctam cum sacrificio, tunc potius velles abstinere et non consecrare, non consecras : quia voluntas non sacrificandi praevalet voluntati consecrandi. Idem judicium est de reliquis hujusmodi intentionibus contrariis, ut semper praevaleat fortior et quam difficilius deponeres, cognita contrarietate illarum intentionum. » (Girib.).

Nota 2. Attentio *externa*, qua minister externos ritus humano modo persolvit, utique requiritur ; secus non haberetur sacramentum. At improbabilis et singularis videtur opinio Lacroix, qui ad valorem requirit in ministro etiam attentionem **internam** praeter intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut nempe hic et nunc intellectu consideret quod actu agit ; nam moraliter actus non ab attentione, sed ab intentione agentis procedit. Sane eam non requirunt nec Trid., nec Flor. Concilia, cum tamen necessaria sacramentorum accurate describant. Aliunde attentio saepe a voluntate hominis non dependet ; porro Christus conditionem aliquando impossibilem in ministro requirere non potuit. Interim ad *licitam* sacramentorum collationem requiritur talis attentio, ut absit *omnis voluntaria* distractio. « Attamen probabilius ex Sass., est veniale tantum voluntarie distrahi, nisi sit periculum, notabile aliquid omittendi vel in forma aut materia mutandi, quale ordinarie non est in illo qui est exercitatus. »

Q. 25. *An* et *quale* peccatum sit ministrare sacramenta in statu *peccati mortalis?*

R. Per se loquendo, peccat mortaliter minister in statu peccati mortalis *conficiens* aliquod *sacramentum*, ad quod est *consecratus* aut specialiter deputatus. « *Et quia hoc peccatum*, ait S Thom. (p. 3, q. 64, a. 6), *pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale* » sacrilegium. « Non sunt tamen, inquit Sylv., duo peccata : unum commissionis irreverentiae, alterum omissionis poenitentiae ;

sed unicum sacrilegii peccatum : quia est indigna et sacrilega sacramenti tractatio. Poenitentia enim non cadit tunc per se sub praeceptum, sed solum ratione praecepti religionis de non indigne tractandis sacramentis, et ideo omissio illius non habet specialem malitiam. »

Explanatur. Dixi : **A) per se loquendo** ; quia per accidens excusari potest non solum a mortali sed etiam a veniali **1°)** ratione *invincibilis ignorantiae* aut *inadvertentiae* ad suum malum statum vel ad obligationem conficiendi sacramentum in statu gratiae ; **2°)** ratione *urgentis necessitatis*, ut si sit periculum, ne quis moriatur sine baptismo aut sine absolutione, dum sacerdos occuparetur in excitando in se actum contritionis ; quo casu non tandum potest, sed etiam tenetur, omisso suo actu contritionis, consulere alterius saluti : quia jus divinum et charitas magis obligat ad succurrendum proximo in necessitate spirituali, quam ad attendendum reverentiam sacramenti, contra quam non agitur in ea necessitate. (Mazz. et Lacroix). Dixi **B)** : **conficiens**, non vero *administrans ;* nam multi, iisque gravissimi, quos inter Lug., Vasq., Lacr., TT. Wirceb., Tab., Girib., Reut., Spor., alii, *probabiliter* censent, non esse mortale administrare seu distribuere eucharistiam in mortali, cum sit mera applicatio sacramenti ad os suscipientis, quod demum causat gratiam cum in stomachum trajicitur. Aliunde eucharistiam distribuens non necessario est persona sacra : olim enim laici ferebant eam secum domum, dabant eam sibi et aliis. Et licet ordinarius minister debeat esse persona sacra, hoc tamen non est ratione eucharistiae distribuendae, sed quia ordinarius minister distribuens est is, qui eam conficit, nempe sacerdos. Contrariae sententiae post Suar. aliosque, adhaeret S. Lig. (VI, 55), eamque, praeter Catech. Rom., cujus neminem latet auctoritas, et Rit. Rom., aperte docet S. Thom. (*l. c.* et 4 *sent.* q. 24, q. 1, a. 3, q. 5 ad 4). Similiter probabilius non peccat graviter confessarius in mortali audiens confessiones, sed non absolvens : quia simpliciter audiendo non conficit sacramentum. Dixi **C)** : **sacramentum**. Quare non est mortale conficere sacramentalia aut exercere actum sui ordinis, qui non sit sacramentum, in statu peccati mortalis, ut benedicere aquam, panem, campanas, altaria ; conferre primam tonsuram, benedicere abbates, consecrare ecclesias, chrisma pro-

confirmatione, oleum infirmorum; item hostiam consecratam levare de terra; alio transferre in supplicatione, aut cum ea populo benedicere, ut communius docent DD., et « *non improbabiliter* » juxta S. Lig. (VI, 35); similiter officia diaconi aut subdiaconi obire in missa solemni; concionari, saltem *per se* loquendo. Quod addo : quia *per accidens*, si concionatoris innotescant vitia, et praesertim si in eo genere peccet, in quod invehitur, adeo ut ludere et irridere videatur, « haud facile, ait Kenrick, a gravissimo peccato scandali excusatur. » Quare concionantes serio perpendamus haec Dei verba (Ps. XLIX, 16 seq.) : « *Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos retrorsum.* » Tum haec Apostoli (Rom. II, 21) : « *Qui ergo alium doces, teipsum non doces; qui praedicas non furandum, furaris; qui dicis non moechandum, moecharis.* » Neque allatae doctrinae obstat S. Thom. (in 4, dist. 24, q. 1, a. 3, q. 3) inquiens : « *Quicumque homo, quod sibi competit ex Ordine, facit indigne,... per hoc mortaliter peccat.* » Et alibi (*suppl.* q. 36, a. 5) : « *Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat; unde patet, quod mortaliter peccat.* » Non, inquam, officiunt haec : quippe quae sumi non valeant, ut verba sonant, ne secus aperte sequatur nimium; sequeretur enim graviter peccare ostiarium qui exsistens in mortali aperit januam; acolythum, qui eodem in statu deferret ampullam et lumen; item subdiaconum, qui sic in sacro solemni explicaret corporale; ast haec admitti nequeunt. Quae igitur opponuntur, pro qualitate materiae intelligenda sunt, scilicet de ministratione qua simul conficitur sacramentum, vel si ob improbitatem notoriam ministrantis detur scandali gravis occasio. (TT. Wirceb.) Dixi **D**) : *ad quod est* **consecratus**. Hinc probabiliter non peccat mortaliter : **1°**) Laicus in mortali baptizans, quamvis non ita urgeat necessitas, quin possit commode praemittere confessionem aut actum contritionis. **2°**) Contrahentes matrimonium in mortali, licet peccent, quatenus illud indigne suscipiunt : quia non sunt ministri istius sacramenti ad illud specialiter deputati. **3°**) Sacerdos, saltem non parochus, ex necessitate absque solemnitate baptizans in mortali, ut aperte tradit S. Thom. (pag. 390) : quia eo casu non agit tanquam minister Ecclesiae, ad id ex officio deputatus, sed ut

privatus ad subveniendum necessitati proximi, sicut faceret laicus; imo privatim baptizans in mortali, etiam citra urgentem necessitatem, v. g. ad assecurandum infantem, dum differtur baptismi solemnitas. Si tamen id faceret sine justa causa a superioribus approbata, peccaret ex alio capite, quia non servaret solemnitates praescriptas. Dicitur : *saltem non parochus;* nam ex Rit. Rom. parochus vel quivis alius sacerdos, ad quem ex officio pertinet sacramentorum administratio, tenetur semper se paratum habere ad ea administranda in gratia. Unde, uti concludit Kenrick, « etsi non peccet ipso ministrandi sacramentum actu, quando tanta urget necessitas, peccati tamen reus agnoscendus est ob periculum cui se objicit talem patiendi necessitatem, peccata jam admissa negligens expiare. » Idque S. Lig. (VI, 33) extendit non solum ad sacerdotes ministrantes in amplis nosocomiis aut in castris, cum ibi necessitates morientium sint obviae, sed etiam ex eadem ratione ad obstetrices.

Q. 26. An minister consecratus *toties* peccet mortaliter, *quoties* in mortali conficit sacramentum?

Sub distinctione.

Explanatur. Vel conficit **interruptis** moraliter ministeriis; vel una vice et velut uno moraliter **continuato** ministerio. Si **primum** : peccat *toties quoties* conficit, nisi excuset ignorantia invincibilis aut urgens necessitas. Hinc peccat sacerdos mortaliter, quoties in mortali celebrat, et ideo in die Natalis Domini tria sacra celebrans, tria peccata mortalia committit; item quoties distinctis et notabiliter interruptis vicibus baptizat solemniter, aut aliud conficit sacramentum. Si **secundum** : utrum tunc idem dicendum sit, DD. *disputant*. Alii, quorum sententiam habet « *veriorem* » S. Lig. (VI, 36, et II, 50) *affirmant*, hincque docent cum Lacroix : sacerdotem, qui in peccato mortali plures absolveret unum post alterum, *toties* peccare, *quoties* absolvit. Nam singulae absolutiones sunt sacramenta : quia quaelibet absolutio est judicium completum, nullo nexu cum aliis absolutionibus seu judiciis connexum. Si tamen, addit Platel., multos poenitentes audierit, satisfaciet in confessione dicendo, se per duas aut tres v. g. horas confessionibus audiendis vacasse : quia non est morale ut numerum poenitentium tunc reti-

neat. Alii *negant* cum De Lugo. Hinc juxta ipsos sacerdos, in eodem loco et tempore continuo plures successive absolvens in mortali, nonnisi unicum mortale peccatum admittit, sicut qui in prandio unico, die veneris, pluries carnes comedit. « Nec damno, addit Gobat, novi peccati mortalis praedictum confessarium, licet, postquam audivit aliquos, cesset aliquandiu otiosus, praestolans, si forte alii adveniant. At si migret ad aliud confessionale, videbitur nonnemini multiplicaturus sacrilegia : nam unitas confessionalis multum facit ad unitatem moralem peccati ; ergo et multiplicitas ad multiplicitatem. » Idem est de episcopo conferente pluribus Ordines ; et a fortiori de eo, qui in mortali distribuit pluribus una simul Corpus Christi, supposito tamen quod sit mortale id facere in mortali (tom. I, pag. 211). Ratio est : quia licet physice sint diversae confessiones aut administrationes sacramentorum, quia tamen ex uno animi impetu fiunt, censentur morali hominum judicio esse unica voluntatis determinatio.

Q. 27. An minister *consecratus* seu *ex officio*, si reus sit peccati mortalis, teneatur *confiteri* ante confectionem sacramenti, an vero sufficiat *conteri?*

R. Non tenetur *confiteri*, sed sufficit quod eliciat, vel saltem prudenter putet se elicere contritionem : quia nullum exstat positivum praeceptum de confessione ad hoc facienda, et, sublato per contritionem peccato, cessat irreverentia erga sacramentum. Ita sententia « *probabilior et communis* » ait S. Lig. (VI, 341). — **Excipitur**, *per se loquendo*, *confectio Eucharistiae* in missa : cum enim missam celebrans debeat communicare, debet ex speciali praecepto prius confiteri, si mortale aliquod admiserit. Idque non solum jure *ecclesiastico*, sed etiam *divino* praeceptum est, ut habet « *communis et vera sententia* » juxta S. Lig. (VI, 256).

Explanatur. Dico : **per se loquendo** ; nam reus peccati mortalis potest sine confessione missam celebrare vel communionem sumere, elicita prius contritione saltem bona fide existimata, si concurrant haec **duo** : si desit *copia confessarii*, et simul adsit *necessitas* celebrandi aut communicandi. Constat ex Trid. (sess. XIII *de euch.* cap. 7) ubi et additur : « *Quod si, necessitate urgente,*

sacerdos absque praevia confessione celebraverit, QUAM PRIMUM *confiteatur;* » seu, ut habet RUBR. MISS. : « *cum primum poterit,* » « ita ut non differatur confessio *ultra tres dies,* etiamsi amplius celebrare noluerit; quod enim *intra triduum* fit, in jure dicitur fieri *statim*». Ita SASS. De his latius in TRACT. *de Euch.* QQ. 54-61.

Q. 28. Qualis sit *obligatio* administrandi sacramenta ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur **de curam animarum habentibus,** vel **non.**

Si **Primum,** seu si agitur de iis qui ex officio seu titulo speciali jurisdictionis, sive *ordinariae* (quales sunt episcopi, parochi, praelati Regularium), sive *delegatae* (quales sunt parochorum coadjutores et vicarii vel Regularium superiores sub praelato), aliquam partem ovilis Christi pascere debent, tunc dicendum est : 1°) Tenentur ex **justitia,** ratione scilicet muneris et stipendii, et quidem per se ipsos, suis subditis ministrare sacramenta, *quoties* rationabiliter petunt, etiam ex sola *devotione*, nisi sint legitime impediti vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Semel tamen vel bis negare, extra necessitatem, per se non est mortale : cum enim damnum sit facile reparabile, subditus non censetur graviter invitus, modo per hoc non abstereatur ab ulterius petendo, et ideo dixi : *per se.* Hinc peccat parochus : qui redditur morosus et difficilis ad audiendas confessiones, praesertim, si fuerit accitus ab infirmis, quibus, ut praecipit S. CAROL. BORR., statim et qualibet hora accurrere debet (S. LIG. H. A. VII, 24); item qui aegre fert, si qui intra hebdomadam velint communicare, et diu eos exspectare facit, sicque a sacra mensa sensim avertit (SCAV.); item qui recusat eucharistiam pro communione deferre ad aegrotos, si petant, etiam extra periculum mortis, maxime autem in festis solemnioribus (LACROIX).—Dicendum est : 2°) In *gravi,* ac multo magis in *extrema* eorum necessitate, tenentur, etiam cum **evidenti vitae periculo,** ministrare sacramenta necessaria : baptismum et poenitentiam; et si possint *eodem* periculo, etiam eucharistiam aut extr. unctionem. Dum autem de poenitentiae sacramento non habetur sufficiens certitudo, quatenus v. g. quis absolutus fuerit sensibus privatus, sine confessione

formali, ex quibusdam tantum signis, tenentur cum *novo* periculo dare eucharistiam vel unctionem, quia per accidens tunc necessariae fiunt : forte enim attritus per hoc vel illud sacramentum salvabitur, sine quo damnabitur. At in necessitate *communi* tenentur eucharistiam et extremam unctionem administrare, etiam cum **incommodo gravi**. — Tunc autem adest necessitas spiritualis *extrema*, si proximus sit in aeternum periturus nisi adjuvetur : v. g. infans moriturus sine baptismo, aut peccator valde rudis sine confessione. *Gravis* est, si sine adjutorio potest absolute salvari, sed valde difficulter, ut v. g. inveteratus peccator per contritionem perfectam. *Communis* est seu *mediocris*, in qua communiter versantur peccatores (tom. I, 315 seq.). Cfr. Sass. (*de sacr. in gen.*) ; S. Lig. (VI, 235) ; Bened. XIV (*de Syn.* l. XIII, c. 19), qui ex rescriptis S. C. C. an. 1576 concludit, parocho non licere, tempore pestis recedere, etsi relinquat suo loco vicarium idoneum ; licere tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus sit aegrotorum curam suscipere, ne videlicet omnes infectionis periculo exponantur, ne homines etiam sani utrumque sacerdotem ex metu infectionis fugiant.

Si **Secundum** : non tenentur ministrare sacramenta ex justitia ; aliquando tamen, deficientibus scilicet pastoribus aliisque curam animarum habentibus, tenentur **ex charitate** ; et quidem cum **periculo vitae** in *extrema* proximi vel *gravi communitatis* necessitate ; in *gravi* autem *alicujus* necessitate cum **incommodo** *levi* ; sic namque ordo charitatis postulat (Scav.). Hinc 1°) « teneris cum vitae periculo baptizare infantem moriturum, si alius non adsit, qui faciat ; item peccatori notorio in articulo mortis, adeo rudi ut nesciat elicere contritionem perfectam, tenetur sacerdos, etiam simplex, succurrere beneficio absolutionis cum vitae periculo : debemus enim pro fratribus animam ponere. Ad hoc tamen te non obligat charitas in necessitate tantum gravi proximi » (Sass). Hinc 2°) si communitas aliqua esset in gravi necessitate spirituali, quoniam tunc grave damnum commune praecavendum est magis quam unum particulare, merito inferunt DD., sacerdotes etiam simplices teneri, in defectu aliorum, cum periculo vitae ministrare sacramenta populo, qui alias esset in periculo amittendi fidem ; item, tempore pestis, infirmis assistere, quia in tanta multitudine moraliter certum est multos adesse qui in peccatis versantes suae saluti aeternae

prospicere non poterunt, ob ignorantiam eliciendi actum contritionis perfectae. (S. Lig. II, 27; H. A. IV, 14. Hinc 3° simplices sacerdotes non tenentur confessis et absolutis administrare viaticum et extremam unctionem cum vitae periculo. Cum hoc tamen discrimine tenerentur dare eucharistiam, extr. unctionem, casu quo nullo modo moribundus confiteri posset.

Ceterum, ut urgeat obligatio administrandi sacramenta in extrema necessitate cum **evidenti vitae periculo,** requiritur : tum **A**) ut adsit certitudo moralis de proximi necessitate et de administrationis successu ; tum **B**) ut aliud aequale vel gravius damnum administranti vel tertio non immineat ; tum **C**) ut nemo adsit qui possit et velit succurrere. **Hinc** non teneris exponere certo vitam tuam ad aliquem baptizandum vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam munus tuum exsequi possis: ut si infantulus nondum baptizatus certo moraliter debeat in flammis suffocari, antequam ad eum pervenire possis : quia nemo tenetur ad opus inutile, aut quod prudenter tale praesumitur, cum proprio gravi damno; vel si probabiliter praesumas illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis ; vel si tu, exsistens in mortali, dubites de propria tua contritione ; vel te moriente, plurium aliorum salus periclitetur ; vel si alius adsit qui possit et velit illud praestare. « Unde, ait Coll., non tenetur privatus quisque ad Indos proficisci, quia non desunt qui id velint et faciant ; aliunde vero quoti sunt Turcae v. g. et Sinenses, apud quos spes est certa promptae mortis, nulla vero aut pene nulla prosperi successus. » Cfr. tom. I, pag. 316. De istis omnibus late scripsi in op. Princ. *dogm. mor. univ. theol. sacr.*

Q. 29. *An* et *quomodo* peccet minister sacramenti, illud ministrando *indignis?*

R. Minister, per se loquendo, peccat mortaliter, sacramentum scienter ministrando certo moraliter *indignis*, i. e. talibus, qui carent dispositione ad gratiam sacramenti recipiendam. Quod peccatum virtualiter est duplex : nempe, tum contra religionem seu reverentiam debitam sacramento, dicente Christo (Matth. VII, 6) : « *Nolite dare sanctum canibus.*

neque mittatis margaritas ante porcos; » tum contra charitatem, cooperando peccato alterius.

Explanatur. Dixi **A**) : **per se loquendo**; quia *per accidens* quandoque excusant infamia suscipientis, damnum ministrantis, aliorum scandalum et sigillum confessionis. Dixi **B**) : **certo moraliter indignis**; quia in dubio quilibet praesumendus est bonus.

Resolvitur. 1°) Peccatori **publico**, i. e. cujus delictum est evidens vel *evidentia juris*, dum de delicto constat in judicio ex propria rei confessione, ex depositione testium aut sententia judicis; vel *evidentia facti* aut *famae*, hoc est : quando tam multis et talibus est notum, ut nulla tergiversatione posset celari, sive *publice*, sive *occulte* petat, denegandum est sacramentum, quousque non dederit signa poenitentiae. Ita DD. communiter cum S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 6). Quod confirmatur ex Bulla Bened. XIV « *Ex omnibus* » (16 Oct. 1756) et ex Rit. Rom., quod loquens de eucharistia, publice indignos praecipit arcendos. Excipe : **A**) Sacramentum **matrimonii**, in quo ipsi contrahentes sunt ministri. Patet ex eo quod interdum Ecclesia dispensat, ut catholici contrahant cum haereticis obstinatis et persistentibus in peccato; unde supponit catholicum posse licite et sancte contrahere, quamvis alter cum peccato contrahat. A fortiori poterit parochus, saltem justa et gravi interveniente causa, assistere matrimonio quod ab indigno et peccatore contrahitur : quia tantum assistit ut judex et testis publicus matrimonii, non ut est sacramentum, sed ut est contractus. Secus tamen dicendum, si utraque pars in contemptum Religionis seu Ecclesiae se indignam praeberet. **B**) **Casum mortis**, ut cum peccator sensibus est destitutus; tunc enim praesumitur quod, quantum in se est, se ipsum poeniteat, ideoque gratia sacramentorum adjuvandus, ne forsan pereat, qui per sacramenta salvari potest. Idem *probabiliter* dicendum, si peccator publicus alioquin minitaretur mortem vel alia gravissima mala, dummodo tamen sacramentum non petatur ab *incapaci*, aut in odium fidei vel in contemptum religionis : sacrilegium enim suscipientis non tenetur minister cum tanto suo incommodo impedire. **Resol. 2°**) **Occulte indigno, occulte** petenti, pariter negandum est sacramentum: potest enim fieri sine ipsius infamia, nullumque sequitur incommodum et negatio inservit pro correctione. Excipe nisi : aut **A**)

mortem aliudve grave malum alioquin minitaretur, juxta modo dicta; aut **B**) indignitas petentis sit nota *ex sola confessione sacramentali;* esset enim tacite exprobrare crimen confessum. Constat ex prop. damnata ab Innoc. XI (18 Nov. 1682) : « *Scientia ex confessione acquisita uti licet,... cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multo majus gravamen ejusdem poenitentis ex non usu sequeretur.* » **Resol. 3°) occulte** indigno, **publice** petenti, non potest negari sacramentum, si non possit repelli absque gravi ejus infamia, ut si cum aliis accedat ad sacram mensam. Sic enim ex S. Thom. (p. 3, q. 81, a. 2) docemur exemplo Christi, qui Judam occulte indignum non repulit a communione. Adde, si secus esset, plura inconvenientia evenirent : nam etiam boni retraherentur timentes, ne odio vel imprudentia sacerdotis rejiciantur; unde orirentur dissensiones, pastorum sacramentorumque despectus. Excipe : **A**) **Ordinem**, (modo indignitas non noscatur ex confessione), idque ob publicum bonum, quod debet praeferri privato, salva tamen, quantum fieri potest, conservatione famae, quod hic non est difficile, quia multi ejiciuntur propter defectus physicos, v. g. titulum, aetatem, etc , et si quae sit infamia, bonum Ecclesia praevalet. **B**) **Poenitentiam** : tum quia absolutio non datur nisi secreto : tum quia dignitas petentis est pars essentialis istius sacramenti; jam vero, nullo unquam casu, etiam mortis incusso metu vel periculo, licet ministrare sacramentum *incapaci*, i. e. qui nequidem *valide* illud potest suscipere, ut si quis minatur te occidere, nisi baptizes judaeum invitum; rebaptizes jam rite baptizatum; certo indispositum cognitum absolvas; aut des extremam unctionem infanti aut sano. Ratio : quia sic non tantum nulliter confertur sacramentum, sed etiam patenter falsificatur forma; falsum autem scienter loqui est intrinsece malum et in materia sacramentorum mendacium graviter perniciosum. Excipe : **C**) quandoque etiam **matrimonium**, cui parochus assistere prohibetur, si vel impedimentum aliquod cognoscat, extra confessionem; vel sciat sponsos rudimenta fidei ignorare. **Resol. 4°)** Licet probabilius administrare sacramenta peccatori **publice** petenti, tum si crimen ejus non est simpliciter publicum, quamvis notum plerisque praesentibus; tum si crimen ejus non est publicum in loco in quo petit, quamvis sit publicum

in alio, nisi notitia illius criminis facile sit in eum locum perventura. In utroque enim casu talis comparatur *indigno occulto* publice petenti. Cfr. S. Lig. (VI, 45 seq.).

Q. 30. An *absolvi* possit juvenis in *peccato carnis habituatus* si, nondum a tali vitio curatus, ascendere cupiat sive ad *SS. Ordines*, sive ad *statum religiosum?*

R. 1°) Negative *per se*, si agatur de *SS. Ordinibus*, praesertim si curam animarum deinde sit suscepturus. Potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere, et ideo dixi : *per se*. R. 2°) Affirmative *per se*, si agatur de *statu religioso* amplectendo, quia dispar est ratio ob novitiatum professioni religiosae praemittendum. Hoc enim elapso, vel emendatus ad professionem poterit admitti; secus, si in pravo habitu perseveraverit, erit dimittendus. Unde nullum erit obstaculum, quominus, aliunde rite dispositus, a confessario absolvi queat. Dixi : *per se;* nam aliter foret dicendum, si statum religiosum amplecti vellet in ordine in quo regularis observantia non vigeret.

Q. 31. *Quaenam* a ministro *observanda* sint in negatione *publica* sacramentorum?

R. Generatim loquendo, servandae sunt leges *charitatis* et *prudentiae.*

Resolvitur. 1°) Si casum praevideat, indignum suaviter inducere debet, ut sacrilegio proposito renuntiet et seria emendatione vitae se dignum reddat. **Resol.** 2°) Plerumque consultum erit, viri prudentis consilium exquirere et, si fieri potest, ipsius Ordinarii. **Resol.** 3°) In ipsa sacramenti denegatione cavere debet, ut nihil publice faciat aut dicat, quo petentem offendere vel ejus famam laedere, et ita litem etiam sibi accersere possit. Cfr. Stat. *dioec. Mechl.* n. 217; Gouss. (*Théol. Mor.* tom 2, n. 52).

Q. 32. Dic : 1°) Quid proprie sit *simulare* sacramentum; quid vero *dissimulare;* et 2°) an utrumque aliquando *liceat*, ne indigno conferatur?

Praenotandum. *Simulatio* summopere differt a *dissimulatione*

(tom. I, p. 477). — Ex S. Thoma (2. 2. q. 111, a. 1) **simulatio** proprie est *mendacium facti*, et locum habet : « *quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid quod non est*; » seu, est positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud quod habetur in mente. **Dissimulatio** vero est mentis seu veritatis occultatio. Hoc posito :

R. Ad 1^{um}) Ex communi DD. doctrina, proprie SIMULARE sacramentum est ponere actionem sacramentalem, ita ut exterius non appareat illius fictio seu defectus ob quem sacramentum redditur nullum; ut si quis ponat ejus materiam et formam, sine intentione sacramentum conficiendi. Et quidem, si minister *directe* intendit decipere, est SIMULATIO *formalis*; si vero *non directe* intendit decipere, sed ex alio motivo ad simulandum inducitur, v. g. si ex gravi metu cogatur, etc., dicitur SIMULATIO *materialis*. At DISSIMULARE sacramentum est omittere partem ejus essentialem, materiam scilicet seu formam, vel ejus loco aliud substituere ad veritatem occultandam, ita ut fiat aliquid aliud a sacramento ejusque fictio possit exterius agnosci.

R. Ad 2^{um}) SIMULATIO sacramenti, etiam *materialis* tantum *nunquam licet* : continet enim gravem irreverentiam contra sacramentum, cum sit abusus rerum sacrarum et quaedam illusio Dei; et insuper est mentiri facto in re gravi, cum exercite et facto dicat : se baptizare, absolvere, etc., cum sciat haec omnia non fieri. Constat ex prop. damnata ab INNOC. XI sub n. 29 : « *Urgens metus gravis est justa causa sacramentorum administrationem simulandi.* » — DISSIMULATIO e contra, secluso scandalo et contemptu, *cum causa licita est* : non enim fit injuria sacramento, cum illud non frustretur, neque mendacium committitur, sed simpliciter veritas occultatur, quod justa accedente causa permittitur.

Resolvitur. 1°) Peccat graviter qui ex metu mortis profert verba consecrationis super panem sine animo consecrandi; formam absolutionis super indispositum sine animo absolvendi **Resol 2°**) Licet confessario super indispositum recitare orationem cum signo crucis loco absolutionis, aut dicere : ego te *non* absolvo, vel *ab-*

solvam, vel *absolvo?* ne adstantes cognoscant ipsum dimitti inabsolutum, aut ut confessarius sese expediat ab injusta ejus vexatione, non intendendo deceptionem, sed illam permittendo. **Resol. 3°)** Ut communiter docent DD., non est illicitum, si quis matrimonium contrahit vel ex gravi metu injuste incusso, vel cum scientia impedimenti dirimentis juris ecclesiastici, urgente necessitate, quia v. g. jam omnia sunt parata : nam tunc, cum desit verus contractus, deest et materia et forma, et ideo proprie non *simulatur* sacramentum, cum, non ponendo contractum, nec actio sacramentalis ponatur; et vox, qua consensus enuntiatur, intelligenda est quatenus consentiens tunc possit. **Resol. 4°)** Ex S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 6 ad 2) peccaret graviter sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigeret etiam *scienti* et *consentienti*. Tunc enim, licet non *simuletur* sacramentum, quod ibi non est; tamen exponitur panis adorationi : tum *adstantium*, tum *ipsiusmet* etiam scienter *recipientis* cum reverentia externa; quae reverentia idololatriam externam et materialem, ac proinde aliquid intrinsece malum, constituit. Hoc autem permitti nequit. (Mazz; Suar.; Lacroix). Quod si scandalum populi vel infamia non potentis se disponere ad communionem posset vitari per hoc, quod sacerdos ex conventione diceret tantum illa verba : *Corpus Domini*, etc., et transiret hominem, hostiamque occulte reponeret in ciborio hoc non videtur illicitum (Mazz.) : quia tunc revera non simulatur sacramentum (S. Lig. VI, 61). Aliunde per se licitum est, etiam peccatori benedicere cum sacra hostia (Lacr.). **Resol. 5°)** Similiter ex Innoc. III Cap. *de homine*, 7 (de cel. miss.), ob eamdem rationem, graviter peccat sacerdos qui, in mortali constitutus, missam celebrare se fingens, verba consecrationis omittit. **Resol. 6°)** Ad evitandum scandalum, a S.C. Univ. Inquisit. (6 sept. 1625) cautum fuit sacerdotes qui coguntur a Turcis baptizare eorum filios, non ut christianos eos efficiant, sed pro corporali salute, « *non posse... eos baptizare adhibita materia sine forma.* » Ita testatur Bened. XIV, Const. « *Postremo mense* » § 21 (28 Febr. 1747). **Resol. 7°)** Nunquam liceret *dissimulare* sacramentum, si peteretur in contemptum religionis.

Q. 33. An liceat *accipere* vel *dare* aliquid pro administratione sacramentorum?

R. *Sub distinctione*, juxta principium enuntiatum a S. THOM. (2. 2. q. 100, a. 3) : « *Vendere quod* SPIRITUALE *est in hujusmodi actibus aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid* PRO SUSTENTATIONE MINISTRANTIUM *spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam, licitum est.* »

Resolvitur. 1°) Non licet **accipere** aliquid *tanquam pretium* rei sacrae aut laboris *intrinseci* ipsiusmet administrationis ; secus vero *extrinseci*, v. g. si sacerdos celebratum iturus esset in locum longinquum, aut in hora aut tempore incommodo. Et quamvis non esset labor *extrinsecus*, licet accipere temporale, non tanquam pretium, sed tanquam *stipendium* sustentationis ministri : qui enim *servit altari, de altare vivit* ; idque licet aliunde sit dives : nemo enim dives tenetur militare suis stipendiis. Quare merito a PIO VI damnata est, ut « *falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa* » propositio PISTORIENSIUM 54ª : « *Quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum* STOLAE *et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur ; quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur.* » — Imo, in sententia probabiliori, quam tuentur SYLVIUS, SOTO, SALM., SUAR., SANCH., aliique apud CROIX, qui sacramenta ministraret, missam celebraret, etc., *principaliter* ob emolumentum temporale, nihilominus excusatur a SIMONIA, quae ex S. THOMA (l. c.) tunc tantum habetur, cum temporale accipitur per modum pretii pro spirituali, non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem ministri, « *secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam,* » sive principaliter, sive secundario accipiatur. — Nec **obstat** propositio ab INNOC. XI damnata sub n. 46 : « *Dare temporale pro spirituali non est simonia,... etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale ;* » cum ibi nomine *motivi* intelligatur *pretium ipsius rei*

spiritualis, ut notat Viva, et patet ex contextu. In casu autem nostro hoc nomine non intelligitur pretium rei, sed stipendium personae in gratiam alterius elaborantis, cui honesta debetur vitae sustentatio. Quae veritas ut clarius innotescat, animadvertere oportet, dupliciter heic accipi posse *lucri* vocabulum : vel ut *finis operis*, vel ut *finis operantis*. Cum porro lucrum intenditur ut *finis operis*, adeo ut opus ipsum spirituale intendatur tradi vel accipi, certe committitur simonia. Quo sensu intelligendus est S. Thom (*quodlib.* 8, q. 6, a. 11) inquiens : « *Simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere intendit.* » nempe « *si distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum.* » Secus vero dicendum, si lucrum intenditur ut *finis operantis*, scilicet ratione operationis personae laborantis in gratiam alterius : quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis et simonia non est; sic licet eodem sensu pecuniam tradere pauperibus ad modum stipendii, ut scilicet orent pro nobis. Neque obstat, quod talis neque concionaret, neque caneret, neque celebraret, etc., sine lucro; id enim non probat quod ponet impretiabile sub pretio; sed solum lucrum esse *conditionem sine qua non* operaretur, deficiente nempe congrua sustentatione. « Ceterum, addit S. Lig. (III, 55) ex Salm., qui sacra ministeria peragunt principaliter ob emolumentum temporale, non facile excusari possunt a culpa veniali, cum sit quaedam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia. » **Resol. 2°)** Licet ex communi sententia cum Alb. Magn., S. Bonav., Caj., Spor., Suar., Less., Vasq., aliisque, absque ullo simoniae reatu *in necessitate* pecuniam **dare** sacerdoti sine illa nolenti administrare sacramenta. Idque ex S. Lig. (III, 103) licitum est : « non tantum in sacramento baptismatis et poenitentiae; sed etiam in aliis sacramentis... Et non tantum in casu *gravissimae* necessitatis; sed etiam necessitatis *gravis*, puta : si quis impleturus esset praeceptum paschale confessionis et communionis; vel peteret viaticum aut extremam unctionem; vel esset in peccato mortali; vel carere deberet frequenti usu sacramentorum; vel quotiescumque aliquis non posset sine gravi incommodo aliquo sacramento carere. » Hoc enim non est dare pretium temporale ad emendum spirituale, seu emere sacramentum : sed injustam vexationem redimere, nempe removere impedimentum pravae voluntatis, vel potius permittere alterius peccatum justa

de causa. Quod licitum est, dicente S. Thom. (2. 2. q. 78, a. 4) : « *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est : quia et Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum.* »

CAP. 5. De subjecto sacramentorum.

Q. 34. *Quisnam* sit SUBJECTUM capax recipiendi sacramenta N. L.?

R. SUBJECTUM capax sacramentorum, *de lege ordinaria*, est *solus homo viator*. Et quidem *Baptismi* quilibet homo viator est SUBJECTUM capax : est enim sacramentum regenerationis spiritualis, omnibus hominibus viatoribus ad salutem necessarium, dicente Christo (JOAN. III 5) : « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* » At respectu *aliorum sacramentorum* solus homo viator baptizatus validum est subjectum, cum Baptismus sit janua omnium sacramentorum. Excipitur *Eucharistia*, quae, cum sit sacramentum permanens, non pendet ullo modo, quoad valorem, a suscipiente. Si tamen eam susciperet non baptizatus, diceretur suscipere *materialiter*, non *sacramentaliter*, non secus ac, si eam comederet aliquod animal irrationale. Non tamen omnis homo baptizatus est capax *cujusvis* sacramenti : nam feminae non sunt capaces *Ordinis* ; et infantes, ratione nondum utentes, et perpetuo amentes, non sunt capaces *Poenitentiae*, *Extremae Unctionis* et *Matrimonii*, utpote quae peccatum actuale vel praesupponunt, vel proprium suscipientis actum includunt.

Explanatur. Cur *solus homo* **viator**, de lege ordinaria, sit capax sacramentorum, ratio est : tum Christi *voluntas*, nobis sufficienter declarata per perpetuam Ecclesiae Traditionem et Sacram Scripturam ; tum *finis* sacramentorum, qui est vel primae gratiae sanctificantis collatio, vel illius augmentum ; quae in hac Dei providentia non conveniunt, nisi solis hominibus viatoribus. Et vere nec angelis, cum incorporei sint, signa sensibilia gratiae applicari possunt ; nec creaturis ratione carentibus, cum sint incapaces gratiae ; nec hominibus mortuis, quia cum in termino sint, proficere in

gratia non possunt, nec proinde percipere sacramentorum fructum; multo minus sunt capaces damnati, utpote a Deo jam exterminati. Quam ob causam Conc. Trid. (sess. VI *in prooem.*) de Ecclesiae sacramentis ait : « *Per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.* » Dixi : **de lege ordinaria**; quia sicut possent beati et angeli de potentia *absoluta* sacramenta ministrare, ita et quaedam recipere, cum nulla appareat contradictio.

Resolvitur 1. Eucharistia dicitur *panis angelorum :* non quia angeli Christum sacramentaliter suscipiunt; sed quia in coelis Christo fruuntur ejusque visione saturantur. **Resol. 2.** Qui non est baptizatus non est proxime capax alterius sacramenti sacramentaliter suscipiendi : quia sacramenta instituta sunt pro Ecclesia; baptismus autem est janua, per quam in Ecclesiam ingredimur, definiente Conc. Flor. : « *Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae.* » Deinde per baptismum regeneramur : nemo autem potest roborari, crescere, nutriri, nisi generatus. **Resol. 3.** Infidelium matrimonium, etsi fieret juxta ritum Ecclesiae, semper esset merus contractus; et etiamsi judaeo eucharistia ministraretur, ipse reciperet quidem corpus Christi, sed *materialiter* tantum, sicut in pyxide recipitur. **Resol. 4.** B. Virgo non fuit proxime capax sacramenti poenitentiae et, juxta probabiliorem sententiam, extr. unctionis : quippe quae nunquam, nequidem venialiter peccavit. Fuit tamen capax baptismi, etsi concepta sine originali peccato : quia capax erat characteris et augmenti gratiae sanctificantis de se deletivae peccati, sicut et qui ante baptismum per contritionem perfectam fuit justificatus. Unde habet sententia « *communis* » ex Bened. XIV (*de can. SS.* l. 4, p. 2, c. 21, n. 14), quod B. V. fuerit baptizata, ut aggregaretur Ecclesiae Christi et capax esset eucharistiae, quam suscepit de manu S. Joannis. Christus autem baptismo non eguit : quia non tantum ab omni peccato fuit immunis, sed nec Ecclesiae, cujus ipse est caput, debuit incorporari. Quia tamen ut docet S. Thom. (p. 3, q. 81, a. 1), « *Christus ea, quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit*; » inde deducit angelicus, quod :

« *Et ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret, secundum illud* (Act. I, 1) : Coepit Jesus facere et docere ; » et quod : « *Primo ipse corpus suum et sanguinem sumpsit et postea discipulis sumendum tradidit.* » Quod ultimum ut confirmet, addit (*ibid.* ad 3) : « *Dicendum, quod effectus hujus sacramenti* [eucharistiae] *est non solum augmentum habitualis gratiae, sed etiam quaedam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione hujus sacramenti, habuit tamen quamdam spiritualem delectationem in nova institutione hujus sacramenti. Unde ipse dicebat* (Luc. XXI, 15) : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum ; *quod* Eusebius *exponit de novo mysterio novi Testamenti, quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter manducavit et similiter sacramentaliter, in quantum corpus suum sub sacramento sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit et disposuit ; aliter tamen quam ceteri sacramentaliter et spiritualiter sumant, qui augmentum gratiae suscipiunt et sacramentalibus signis indigent ad veritatis perceptionem.* » **Resol. 5.** Mulieres, quae olim *episcopae*, *presbyterae* aut *diaconissae* dicebantur, nullo Ordine erant insignitae, sed sic vocatae fuerunt varias ob causas, ut dicetur (Tract. *de Ordine*, Q. 9). Quod vero narrationem attinet de *Joanna papissa*, quae Leon. IV inter et Bened. III in cathedra Petri sedisset duobus annis et quinque mensibus, manifesta fabula est ab ipsis inter heterodoxos sapientioribus Blondello, Leibnitio, Boxhornio, Cavaeo, aliisque rejecta (*ibid.*).

Q. 35. An requiratur *intentio* seu *consensus* in *subjecto* ad validam susceptionem sacramentorum ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **infantibus** ratione nondum utentibus et **perpetuo amentibus** ; vel de **adultis**, qui aliquando usum rationis habuerunt.—Si **primum** : ut suscipiant valide et cum fructu sacramenta, quorum sunt capaces, non requiritur intentio vel alia dispositio : cum enim propria voluntate non peccaverint, etiam sine proprio actu justificantur per baptismum ; et cum ad salutem suam cooperari nequeant, sufficit illis intentio Christi et Ecclesiae. Sunt autem capaces baptismi, ut est de fide, confirma-

tionis, eucharistiae et ordinis; non vero poenitentiae, unctionis et matrimonii, cum haec supponant hominem doli capacem. Nam materia remota poenitentiae sunt peccata actualia commissa et proxima sunt actus liberi poenitentis; materia remota extr. unctionis sunt peccatorum reliquiae seu peccata venialia; sacramentum denique matrimonii fundatur in contractu, qui habetur per liberum contrahentium consensum —Si **secundum**: ad valide suscipiendum sacramentum, excepta *eucharistia*, requiritur *intentio* seu consensus positivus, quo velint sacramentum suscipere, saltem in *confusa* ratione sacramenti : quia, sicut Deus hominem adultum nonnisi per proprios actus libere cooperantem salvat, ita nec ei nisi libere consentienti vult applicare media salutis, juxta illud S. Aug. (Serm. XV *de verb. apost.* c. XI) : « *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te.* » Deinde pleraque sacramenta inducunt gravem obligationem : sed aequum non est hanc imponi sine praevio consensu. Excipitur *eucharistia*, quae, cum consistat in re permanenti, a quovis sive inscio sive invito, percipi potest, quamquam sine fructu.

Resolvitur 1. « Si contingeret fortasse ab episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores, sed etiam sacros ordines **infanti** conferri, concordi TT. et CC. suffragio definitum est, *validam*, sed *illicitam* censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in episcopo ordinante. Aeque tamen certum et exploratum est, per hanc ordinum collationem non subjici promotos obligationi servandae castitatis nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis : cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena vota reddere teneamur. » Ita Bened. XIV, Bull. « *Eo quamvis tempore* » (4 Maii 1745). Ad normam autem Conc. Tolet. II praecipit idem Pontifex (*ibid.*), ut ita ordinatorum postea exploretur voluntas, additque pro diaconis : « *Haec porro interrogatio et inquisitio fiat, postquam diaconi decimum sextum aetatis annum excesserint.* » Subdit denique, quod ipsi post ratihabitionem invalide contrahunt matrimonium et tenentur ad officium divinum.

Resol. 2. Quod de baptismo dicit S. Thom. (*suppl.* q. 45, a. 4) : « *Si aliquis ablutionem exteriorem susciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptiza-*

tus ; » id quoque dicendum est de aliis sacramentis, excepta eucharistia. Non requiritur tamen intentio *explicita* suscipiendi veri nominis sacramentum ; at sufficit intentio *implicita*, ut diximus de ministro (pag. 397) ; « nempe ut quis sincere id velit suscipere quod eo ritu praestat Ecclesia, licet illud inane credat. » Ita Scav. **Resol. 3.** Adultus *omnino* reluctans invalide recipit sacramentum *transiens*. Constat ex Innoc. III cap. « *Majores* » (de bapt.) ubi expresse ait : « *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti.* » Dixi : *omnino* reluctans seu invitus ; quia si tantum sit invitus *secundum quid*, i. e. habeat quidem velleitatem susceptioni contrariam, quatenus mallet non recipere, si non timeret v. g. patris indignationem aut quid aliud, et interim recipit, valide tunc recipit, si saltem matrimonium excipiatur. Cujus ratio est, quod equidem de facto consentiat in receptionem, ut vitet malum sibi imminens, sicut consentit mercator in projectionem mercium, mortem vitaturus. *Excipitur* matrimonium : nam metus gravis ab extrinseco agente libero injuste incussus in ordine ad extorquendum matrimonium, irritat illud, saltem jure positivo. Hinc ex Bened. XIV. Bull. « *Postremo mense,* » si plane constat « *adulto baptismum recipienti nullam prorsus fuisse voluntatem aut intentionem, nihil restat aliud, quam eumdem et hortari et admonere, ut rite id faciat, quod jam irrito fecit et suscipiat absolute ac libere sacramentum ; ac si obstinate repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit nec ne, adultus tum retinendus baptizandusque sub conditione.* **Resol. 4.** Adultus nec consentiens, nec dissentiens positive, sed habens se *mere negative*, invalide etiam suscipit sacramentum transiens. Quare opinio Cajet. asserentis in suscipiente baptismum sufficere intentionem *neutralem*, nempe quod non consentiat, neque dissentiat, « *communiter reprobatur a* DD., » ait S. Lig. (VI, 84), estque contra expressam doctrinam S. Thom. (p. 3, q. 68, a. 7) de baptismo edicentis : « *Sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitae, requiritur... in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat ; ita requiritur voluntas qua intendat vitae novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti ; et*

ideo ex parte baptizati requiritur voluntas sive intentio suscipiendi sacramentum. »

Q. 36. *Qualis* debeat esse INTENTIO in adultis ad *validam* susceptionem sacramentorum?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. INTENTIO suscipientis considerari potest vel ex parte **objecti**, vel ex parte **subjecti** seu **modi**, quo fertur in objectum.—Si **primum** : requiritur saltem generalis INTENTIO recipiendi id quod Ecclesia tradit seu sacramentum saltem in confuso notum, ut supra dictum fuit (pag. 420). Hinc qui intenderet recipere rem profanam, aut simulare vel ludere, non intenderet recipere sacramentum. Hinc quoque si quis casu comederet hostiam consecratam, putans esse panem alium, non foret sacramentalis sumptio, ideoque nec satisfaceret praecepto communicandi in paschate, nec acciperet gratiam; nam nullam videtur habere intentionem sumendi, nisi sumat more catholico, i. e. loco, tempore et more debito; consequenter non voluit sumere tum, quando putaret se profanum panem sumere, sicut nec tum, quando dormiret (LACROIX; LUG.).—Si **secundum** : non sufficit INTENTIO *indirecta* seu in causa, sed debet esse *directa*, qua sacramentum in se sit volitum : cum *indirecta* enim potest stare voluntas contraria; et ita judaeus praevidens se in somno baptizandum potest velle somnum et nolle baptismum. At, excepto sacramento *matrimonii*, sufficit INTENTIO **habitualis**, i. e. habita et non revocata. Constat ex CC. CARTHAG. III (can. 34) et ARAUSIC. I (can. 11), quae praecipiunt baptismum et absolutionem dari amenti aut aegro destituto sensibus, modo constet de praeterita ejus voluntate non retractata. Ratio dispar a ministrante est : quia minister conficiens sacramentum debet se habere *active*, et in eo requiritur intentio, quae de se sit causa actionis sacramentalis, et consequenter in se actu vel virtute exsistens, quando conficitur sacramentum; at suscipiens sacramentum se habet solum *passive*, ideoque in eo non requiritur intentio quae sit causa actionis sacramentalis; sed solum quae sit dispositio ad recipiendum effectum sacramentalem, qualis etiam esse potest intentio habitualis. Excipitur **matrimonium**, ad quod requiritur intentio saltem *virtualis* in suscipiente, non *per se* seu

quatenus est suscipiens, sed quatenus simul est minister ejusdem sacramenti. — Et quidem *in aliquibus sacramentis* sufficit INTENTIO *habitualis* **implicita** seu **generalis**, aut *confusa*, quam alii vocant *interpretativam*, quae nempe includitur in voluntate christiane vivendi et moriendi, seu aliis verbis, in eo posita est, quod aliquis animo ita comparatus existimetur, ut adhibere velit necessaria salutis media, eo saltem tempore, quo urget necessitas. Sic sufficit : **1°**) ad *extr. unctionem* et *confirmationem*, ut patet ex praxi Ecclesiae, quae fidelibus repentino casu correptis, absque ullo rationis usu superstite, ultro ea sacramenta administrat. Et quidem speciatim de extr. unctione haec habet RIT. ROM. : « *Infirmis autem qui, dùm sana mente et integris sensibus essent, illud petierint seu* VERISIMILITER *petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.* » Sufficit **2°**) ad *eucharistiam* cum fructu suscipiendam ; et ita de facto datur iis qui vi morbi subito correpti rationis usum amiserunt, atque amentibus in eodem mortis articulo, quando antea rationis usum habuerunt et non constat eos esse in statu peccati. Interim, ut monet RIT. ROM. : « *Id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur a quibus ob phrenesim sive ob assiduam tussim aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti sacramenti timeri potest.* » Probabiliter etiam ad *baptismum*, si quis habuisset voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria, quamvis de baptismo nil audivisset. Unde graves DD., quos inter DE CONINCK, DICAST., SPOR., alii, inferunt, judaeum vel ethnicum in articulo mortis baptizandum esse sub conditione, si capax ; modo prudenter judicetur habuisse saltem attritionem : quia in hac includitur voluntas servandi omnia Dei praecepta, et recipiendi media ad salutem necessaria, ideoque et suscipiendi baptismum. Imo, ex JANSEN et SASS., id valde probabiliter in casu fieri potest, « *etiamsi dicat se nolle baptismum* » : quia intentio opposita est minus efficax. Si enim sciret esse necessarium, utique illum vellet. Cui tamen sententiae adversari videtur RIT. ROM. (titul. *de bapt. adultorum*) requirens, ut adultus « *nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizetur.* » Praeterea haec doctrina adeo generalis rejicitur a DE LUG. : « quia ex ea sequitur *primo*, judaeos omnes, qui legem Moysi servabant, antequam illis

evangelium praedicaretur, potuisse dormientes valide baptizari, quia habuerant propositum servandi omnia praecepta divina, quorum unum erat jam de suscipiendo baptismo. *Secundo*, eos infideles, qui habent ignorantiam invincibilem verae fidei, posse etiam dormientes, vel certe si in phrenesim inciderint, baptizari ; habuerant enim fortasse desiderium procurandae salutis suae et faciendi quod ad ipsam necesse esset, quae tamen absurda esse constat. Non ergo sufficit sola illa voluntas generalis contenta in actu attritionis ad valorem baptismi ei qui nihil unquam de lege christiana aut baptismo audivit. » Tum addit Luc. : « Valeret tamen baptismus, si aliquis religionem christianam corde amplexus esset, licet nihil de baptismo aut ejus necessitate audisset ; hic enim, licet morbo oppressus sensibus destitueretur, baptizaretur valide : quia voluit absolute hanc religionem amplecti ejusque ritibus, quicumque illi essent, gubernari. »

Resolvitur. 1. Ubi asseritur ad **poenitentiam** requiri intentionem **virtualem**, res non ita intelligenda est, quasi haec intentio tunc adesse necessario debeat, quando sacramentum perficitur, i. e. quando confertur absolutio : potuit enim quisquam prius sacramentum petiisse, quod tamen multo postea ipsi jam sensibus destituto conferatur ; sed ideo hoc a nonnullis asseritur quia, cum in sacramento poenitentiae actus poenitentis sensibiliter expressi sint illius sacramenti materia, non sufficit quod aliquando praecesserit voluntas illud suscipiendi, nisi adsint isti actus ex quibus constituitur sacramentum. **Resol. 2.** Ut constat ex dictis (p. 401), non requiritur **attentio** in ministro ad valide conficiendum sacramentum ; ergo *a fortiori* non requiritur in subjecto ob easdem rationes. Praeterea, si excipias matrimonium, sacramenta, ut valide suscipiantur, ne requirunt quidem intentionem *virtualem* ; ergo *a fortiori* non requirunt attentionem ex parte subjecti.

Q. 37. *Quaenam* in *adulto* requirantur dispositiones ad LICITAM ac FRUCTUOSAM sacramentorum receptionem ?

R. Ut *adultus* compos rationis licite et cum fructu sacramentum suscipiat, praeter *intentionem*, requiruntur *debitae* dispositiones, per quas fiat capax gratiae sanctificantis aut ejus augmenti suscipiendi.

Explanatur. Ratio est : quia finis per sacramentorum institu-

tionem ita a Christo est intentus, ut noluerit ea conferri aut suscipi ab adulto sine dispositionibus debitis; quem finem frustrat et gravis, per se loquendo, se sacrilegii reum facit, qui debite se non disponit : quia sacra indigne tractat et quodammodo illudit Christo. Imo sacramentum indigne suscipere, ex S. Lig, (VI, 86) peccatum est gravius, quam illud indigne ministrare. Nam ex indigna susceptione, sacramentum privatur principali suo effectu : quia Christus instituit sacramentum primario ideo, ut absolute practice significaret gratiam, quando susciperetur.

Resolvitur. 1°) Ad recipiendum digne et cum fructu **baptismum** et **poenitentiam,** praeter voluntatem recipiendi sacramentum, non requiritur status gratiae; sed sufficit actus fidei et spei supernaturalis, saltem virtualis, et attritionis pariter supernaturalis, quae tamen ad baptismum non requiritur, si illum suscepturus nullum personale peccatum commiserit, sed solo originali sit inquinatus. Quod **A**) *non requiratur status gratiae*, ratio est : quia haec sacramenta sunt per se et primario instituta ad dandam primam gratiam, adeoque ad justificandos peccatores, et idcirco dicuntur *sacramenta mortuorum* (pag. 369 seq.). Quod **B**) *requiratur actus fidei et spei supernaturalis*, saltem virtualis, eruitur ex Apostolo (Hebr. XI, 6) dicente : « *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* » Si ergo credere debet et Deum esse, et remuneratorem esse, debet spem remunerationis habere, quia ob hanc spem Deum remuneratorem credit. Quod **C**) requiratur *attritio*, constat ex Trid. (sess. XIV *de poenit.* cap. 1), ubi dicit : « *Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petiissent.* » Sunt, qui putant cum Escob., ad baptismum fructuose suscipiendum posse per accidens sufficere dolorem *virtualem*, contentum scilicet in spe salutis aeternae in eo, qui esset invincibiliter oblitus peccati antea commissi, vel non cogitaret de obligatione praemittendi dolorem *formalem ;* sed Suar., Vasq., aliique cum Palao communius contradicunt. Quod tandem **D**) in adulto baptizando, qui *solo originali peccato* est inquinatus, non requiratur attritio, ratio est : « *quia*, dicente S. Thoma (*suppl.* q. 2, a. 2), *peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitia-*

tae naturae origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo, sed displicentia tantum vel dolor. » Quae displicentia requiritur, cum peccatum originale sit offensa Dei, et hominem constituat Dei inimicum. **Resol. 2°)** Ad **reliqua sacramenta**, *per se loquendo*, requiritur status gratiae. Ratio est : quia, cum sint sacramenta primario instituta ad dandum augmentum gratiae, qua de causa dicuntur *sacramenta vivorum;* debent supponere in suscipiente gratiam, cujus augmentum debent conferre. Dixi: *per se loquendo;* nam ex dictis (pag. 369 seq.) probabile est, ea posse per accidens causare primam gratiam in accedente ad ipsa cum invincibili oblivione peccati commissi et cum attritione supernaturali. — Utrum vero aliquando licitum sit in mortali suscipere *sacramenta vivorum*, si casus extemplo contingat, ut si v. g. jam-jam sit hostia ab haeretico profananda, inter DD. *disputatur.* Alii *negant* cum Suar. : quia ex una parte illico contritionem elicere quis potest, si ad Deum recurrat; ex alia, nulla est impurior cloaca immundo corde. Alii, teste S. Lic. (VI, 86) « communius » *affirmant* cum Croix et Lug., idque pro rarissimo casu non videtur improbabile, si subito irruat hostis : « nam difficillimum est, ait Scav., contritionem extempto elicere. Et tunc in mortali exsistens reflexe non intendit sumere eucharistiam uti sacramentum; sed vult illam abscondere in corpore suo sicut in pariete ad majorem cavendam injuriam. Idem dicunt de laico accumbenti in scamno communicantium, qui mortalis recordaretur et subito conteri nequeat. Illi tamen susciperent sacramentum sine fructu. » **Resol. 3°)** Ad **omnia autem sacramenta** ut dispositio requiritur observatio eorum, quae vel ex natura rei, vel ex speciali Dei aut Ecclesiae praecepto necessaria sunt. Sic **A)** ad fructuose suscipiendum sacramentum *eucharistiae*, per se loquendo, requiritur cum jejunium naturale a media nocte ex praecepto ecclesiastico, tum absolutio directa sacramentalis ab omni mortali, cujus habetur conscientia; idque ex praecepto divino juxta sententiam communiorem, ut supra dictum est de ministro (pag. 405). Pro *reliquis* autem *sacramentis vivorum*, si quis in mortali fuerit, sufficit status gratiae per contritionem : quia non constat de praecepto, et ex nullo alio capite ostendi potest praerequiri absolutionem sacramentalem. Quod si aliquis non possit conteri, per accidens in eo praerequireretur con-

fessio. Satius vero est, quantum fieri potest, confessionem omnium *sacramentorum vivorum* receptioni praemittere. Sic **B**) suscipiens sacramentum debet esse liber ab *excommunicatione* et *interdicto personali;* et ordinem suscipiens etiam ab *irregularitate*. Unde etiam, qui est in gratia, committeret grave sacrilegium, si sacramentum susciperet, non remota prius *censura* aut *irregularitate :* quia ageret contra prohibitionem Ecclesiae positam ex fine reverentiae erga res sacras et divinas. Posset tamen excusari ratione ignorantiae aut gravis metus (Reut., Mazz.).

Q. 38. An suscepturus sacramentum possit illud *licite* petere a ministro *indigno*?

Praenotandum. Minister potest esse indignus ex **triplici** causa : vel propter **defectum potestatis** valide conferendi : sive quia deest illi ordo et potestas necessaria, sive quia non est exhibiturus ritum substantialem ; vel propter **peccatum mortale**, in quo versetur, sive publico, sive occulto, quod tamen a suscipiente certo scitur ; vel propter **censuram**, ut si sit excommunicatus sive suspensus. Hoc posito :

R. 1°) *Nunquam licet* petere sacramentum ab eo qui non potest illud valide dare, v. g. absolutionem a sacerdote qui caret jurisdictione ; ordinationem ab episcopo haeretico qui non servat substantialem ritum illius sacramenti. Ratio : quia petens sic induceret ministrum ad actum instrinsece malum et sacrilegum, et ipsa susceptio esset mala utpote ficta.

R. 2°) *Peccat mortaliter*, qui sine justa causa petit aut accipit sacramentum a ministro notorie indigno propter peccatum mortale : quia ex lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi, dum id commodo possumus ; ergo non dare occasionem ministro peccandi, quod fit petendo ; non cooperari ejus peccato, quod fit recipiendo. Et hoc verum est, licet sit parochus et aliunde jam sit paratus : quia hic et nunc non peccaret saltem actu externo. Excipe : si quis sumeret Eucharistiam a sacerdote indigno, qui eam actu aliis ministraret, juxta sententiam, quod unum tantum sit peccatum pluribus eam administrare, et supposito quod hoc sit mortale.

Explanatur. Dixi : **A) sine justa causa**; si enim haec adsit et non adsit alius qui possit aut velit ministrare, licitum est etiam petere : quia aliena malitia nemini in suo jure nocet, et cum ille sine peccato conferre possit, si per contritionem se disponere velit, malitia ipsi, non petenti, imputatur. Sic, subsistente legitima causa, possum petere juramentum a juraturo per falsos Deos, aut rem meam ab eo quem video ideo blasphematurum (Bill. ; Henno). Hinc aiunt DD. apud S. Lig. (VI, 89), licite recipi sacramenta a ministro peccatore : **a**) si urgeat praeceptum confessionis vel communionis; **b**) si gravis tentatio sine confesssione vinci non possit ; **c**) si nimis diu exspectare deberes; imo si peccator nolit, neque ad horam, in mortali manere; **d**) si occurant indulgentiae plenariae lucrandae; **e**) si indigeas sacro pro defuncto amico, etc. Imo **f**) Suarez cum aliis putat ipsam sacramenti *utilitatem ordinariam*, quae consistit in augmento gratiae, esse sufficientem, ut, deficiente alio, petatur a malo ministro, modo hic ad ministrandum *ex officio* sit obligatus, vel *actu* paratus sive expositus ad tale sacramentum ministrandum. Dixi : **B) notorie indigno**; si enim sit *occulte* malus, ita ut ejus vita populo non sit scandalosa, non solum quis potest, sed subditus vel parochianus etiam debet ab eo recipere v. g. communionem paschalem, ejus missas audire; quamdiu enim est occulto malus, manet in possessione suae famae, qua sine injuria non potest spoliari ante notorietatem facti vel juris, abstinendo ab ejus sacramentis vel missis, esto tu privatim certo scias (Spor.). In dubio autem an minister sit malus, potest peti sacramentum : quia in dubio debet praesumi bonus. Et quamvis viderim heri aut ante horam illum peccasse mortaliter, praesumi potest se disposuisse aut dispositurum, saltem per contritionem, nisi certo constet esse consuetudinarium aut versari in occasione proxima voluntaria. Tunc enim sine gravi causa peti non possunt sacramenta (Sass.).

R. 3°) *Extra articulum vel morale periculum mortis*, non licet petere et recipere sacramenta a ministris *non toleratis* seu *vitandis*, quales sunt *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti et *publice*, ut tales, denuntiati : quia Ecclesia gravissime prohibet cum his communicare praesertim in sacris; neque ab *haereticis* et *schismaticis* notoriis, uti docent, teste Bened. XIV (*de Syn.* l. VI, c. V, n. 3), praxis et

instructiones S. Sedis; neque ab *intrusis* et *refractariis* ecclesiasticae potestati (occasione juramenti in Ecclesiae jurium praejudicium, quod, gubernio gallico praecipiente, emiserunt quidam presbyteri), uti constat ex *Collect. Brev.* Pii VI, signanter : Brev. « *Novae litterae* » (19 Mart. 1792); Brev. «*Charitas*» (13 April. 1791); Instr. «*Laudabilem*» (27 Sept. 1791).— *Urgente vero mortis articulo seu periculo*, licitum est, deficiente alio, ab iis petere et recipere *quaedam* saltem sacramenta, dummodo : 1°) omnis vitetur *haereseos* seu *schismatis simulatio*, et 2°) absit *perversionis periculum*.

Explanatur. Hujusmodi sacramenta sunt : **1°) Baptismus,** uti expresse habetur in jure, cap. « *Si quem forte* » 40. **2°) Poenitentia**, uti constat ex Trid. (sess. XIV *de poenit.* cap. VII) ubi statuit : « *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo* omnes sacerdotes *quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* » Dicendo autem : « *omnes sacerdotes*, » nullum excludit, quantumvis excommunicatum et praecisum (Suar.). Hinc ad dubium : « *Num licite fideles in articulo vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote* jurato et a parocho intruso?» respondit Pius VI (1 April. 1794): « *Non esse improbandam rationem quam inierunt nonnulli gallicani praesules, qui in articulo vel periculo mortis poenitentiae sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus* juratis *ac etiam a parochis* intrusis *recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote.* » **3°) Eucharistia,** in casu quo moribundus non posset absolvi ; et *probabiliter* etiamsi fuerit absolutus : quandoquidem praeceptum ecclesiasticum vitandi certos ministros videatur cedere praecepto divino communicandi in extremo vitae discrimine. **4°) Extrema Unctio**, ubi poenitentia et viaticum non possent administrari; et probabiliter etiam, si moribundus absolvi non potuit, licet muniri potuerit viatico. Denique **5°**) quod **Matrimonium** attinet, licite petitur assistentia a sacerdote *vitando*, notorie *haeretico* seu *schismatico*, si moraliter necessarium sit, vel ad spiritualem salutem hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, ut in articulo mortis uxorem ducat quam usque ad illum in concubinam habuerat. Ita

Suar. (*de cens.* disp. XI, sec. I, n. 24 seq.), qui et addit : « De **ordine** vero accidere posset in aliqua provincia esse magnam necessitatem sacerdotum seu clericorum, et non esse nisi unum episcopum excommunicatum. Qui casus et similes sunt rarissimi, et ideo in specie a DD. non tractantur. » — Dixi : **dummodo omnis vitetur** etc. ; et ideo S. Hermenegildus merito recusavit eucharistiam suscipere ab episcopo ariano, cum ejus pater hoc exigeret in signum professionis arianae, ut patet ex illis verbis Brev. : « *Perfidus pater arianum episcopum misit, ut de ejus manu sacrilegae consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.* » Addo cum Suar. (l. c. n. 20) : « ibi non fuisse oblatam Hermenegildo eucharistiam ab haeretico tanquam viaticum, seu ut necessariam in articulo mortis, quia tum non supponebatur Herm. in illo articulo constitutus. Solum ergo fuit illi oblata eucharistia, ut in paschate communicaret. »

R. 4°) Licitum est, in quovis casu, etiam absque causa, petere et accipere sacramenta a ministro censurato *tolerato*, ubi praesumitur administraturus in statu gratiae : quia Conc. Constantiense absolute concessit fidelibus privilegium communicandi cum *toleratis*.

Resolvitur 1. « Post Conc. *Const.* eodem modo possum me gerere, etiam in sacris, cum excommunicato tolerato, ac cum alio peccatore ; sed ubi prudenter existimo peccatorem reconciliatum aut reconciliandum Deo ante administrationem, possum ab eo sacramentum petere. Ergo. » **Resol. 2.** Quum autem hoc privilegium solis *fidelibus*, non vero *censuratis* faveat, sequitur talem ministrum sacramenta ministrare licite, si sit a fidelibus *requisitus* ; illicite et quidem sub poena irregularitatis, si *non requisitus*.

CAP. 6. De caeremoniis et sacramentalibus.

Q. 39. An ministri teneantur observare *caeremonias* seu *ritus* in administratione sacramentorum *praescriptos?*

R. Ministri, etiam secluso scandalo et contemptu, tenentur sub peccato servare caeremonias, sive ab Ecclesia universa, sive a sua particulari dioecesi praescriptas, in administratione sacramentorum, nisi necessitas excuset.

Explanatur. Constat : 1°) ex Trid. (sess. VII *de sacr. in gen.* can. 13) : « *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libitu omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* » 2°) Tenemur sub peccato, etiam seclusо scandalo aut contemptu, obedire superiori legitime praecipienti. 3°) Si quilibet pastori privato liceret pro libitu caeremonias sacramentorum innovare aut novas inducere, foret in Ecclesiae disciplina maxima confusio et deformitas (Bill.). Merito igitur S. Thom. (2. 2. q. 93, a. 1 ad 2) caeremonias praeterire « *pestiferum* » esse dicit. Quae obligatio, cum sit in re gravi, est gravis in gravi materia, et levis in levi materia. « Quaenam autem sit in hoc negotio censenda materia *gravis*, quae vero *levis*, prudenti arbitrio relinquendum est, potius quam certa regula definiendum. *Generaliter* tamen advertere possumus, caeremonias institutas propter sacram significationem esse graviores et culpabilius omitti, quam quae propter solum ornatum et decentiam ; et eadem proportione, quarum significatio est altior, graviores censentur, praesertim si cum significatione habeant aliquem spiritualem effectum. Ex his vero, quae ad decentiam pertinent, circumstantia loci et temporis praescripti, per se loquendo, solent graves existimari, quia hae circumstantiae multum spectant ad exteriorem ornatum et publicam solemnitatem et existimationem. » Ita Suar. (in 3, disp. 16, sect. 5, n. 3)

Resolvitur. 1°) Omissio vel variatio caeremoniarum est peccatum ex genere suo **mortale,** nisi excuset levitas materiae : peccatum enim contra religionem est ex genere suo mortale. **Resol.** 2°) Peccat, qui illas **perfunctorie** sine ullo pietatis indicio percurrit, non sine scandalo et vilipensione adstantium. Quapropter sacerdos, sacramenta administraturus, memor sit verborum Rit. Rom. : « *Ipse vero, antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi et caeremonias pro temporis spatio praevidebit... Dum sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte et pie, atque clara*

voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet ; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas vero caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat. Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit ; nec de aliis, quae ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur ; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi quod in eo facit Ecclesia. »

Resol. 3°) Peccant parochi, qui caeremoniarum significationem intelligere **non student** : tenentur enim ex Trid. (sess. XXII *de sacrif. miss.* c. 8 et sess. XXIV de *ref.* c. 7) significationem illarum fidelibus explicare.

Scholion 1. De *praecepto* est uti **Rituali Romano** in administratione sacramentorum, nisi *alii ritus alicubi concessi fuerint.* Constat ex Bulla Paul. V « *Apostolicae Sedi* » (17 Jun. 1614), in qua legitur : Rituale Rom. continere « *ritus qui... servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt.* » Item declaravit (7 Apr. 1832 et 32 Maii 1835) S. Rit. Cong., dicens : « *Illos solos libros adhibendos esse, et in illis tantum benedictionibus, quae* Rituali Rom. *sunt conformes ; nec alias adhibendas esse, dummodo non constet ab hac S. Congregatione fuisse approbatas.* » Nec licet episcopis praescripta Rit. Rom. ad libitum mutare ; et si forte episcopus mutationes statuisset, hoc non est pro sacerdotibus dispensatio, uti constat ex S. Rit. Cong. (10 Jan. 1852).— Dixi : **nisi alii ritus,** etc. ; nam S. Sedes, pro diversis dioecesibus, Ritualia a Rit. Rom. in pluribus rebus discrepantia approbavit. Praeterea, consuetudines *juxta* vel *praeter* legem retineri possunt, ut patet ex ipso Rit. Rom. et ex pluribus S. Rit. C. declarationibus. Consuetudines vero *contra* rubricas et decisiones S. Rit. C. eliminari debent. Si tamen abusus sint generales et inveterati, episcopus « *in istis corrigendis procedat cum omni patientia et doctrina ; et, juxta datam sibi opportunitatem ita illos eliminare satagat, ut nullum inde fideles scandalum patiantur* », uti declaravit S. Rit. C. (9 Maii 1857).—**Schol. 2**. Ut legitur in Rit. Rom., sacerdos « *in omni sacramentorum administratione* superpelliceo *sit indutus, et desuper* stola *ejus coloris, quam sacramenti ritus exposcit ; nisi in sacramento* poenitentiae *ministrando,*

occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat. » Usus autem *stolam* deferendi ceu signum *jurisdictionis* et praeeminentiae tanquam abusus reprobratur a S. Rit. C. (10 Sept. 1816; 11 Sept. 1847; 7 Sept. 1850). « *Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures* CLERICOS, *prout loci et sacramenti ratio postulabit, decenti habitu et* SUPERPELLICEO *pariter indutos.* »

Q. 40. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quot* sint SACRAMENTALIA ?

R. Ad 1^{um}) SACRAMENTALIA dicuntur quae cum sacramentis aliquam similitudinem habent : sunt enim res aut actiones ab Ecclesia institutae aut adhibitae ad quosdam effectus praesertim spirituales producendos. Differunt a *sacramentis* in eo praesertim : quod a Christo instituta non sint ; nec gratiam ex se seu opere operato producant.

R. Ad 2^{um}) Alii plura, alii pauciora enumerant. Communiter reducuntur ad *sex* genera, juxta versum :

« ORANS, TINCTUS, EDENS, CONFESSUS, DANS, BENEDICENS. »

Explanatur. 1°) Orans indicat preces Ecclesiae praesertim publicas, v. g. Rogationes. Huc reducitur ex S. THOMA (part. 3, q. 87, a. 3) « *Oratio in ecclesia dedicata.* » Unde melius est orare in templo consecrato quam extra, etiam ideo : quia in illo orans applicat sibi orationes Ecclesiae factas in consecratione templi aut ejus dedicatione. Juxta plures, quos inter MAZZ., HENNO, VOIT, SASS., GIRIB., FILL., S. LIG. (VI, 90), SCAV., alii, per **orans** etiam denotatur *oratio dominica*, de qua ait AUG. (*Ench.* c. LXXI) : « *Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata.* » « Verum cur... *oratio dominica*, nisi fiat nomine Ecclesiae aut in loco consecrato, recenseatur inter SACRAMENTALIA potius quam quodvis aliud bonum opus morale, non video, » inquit praeclarus BILL. Hinc scribit BERTI : « Improprie inter SACRAMENTALIA connumeratur oratio [dominica] et eleemosyna, quae potius opera moralia sunt, quam ritus ab Ecclesia instituti, habentes aliquam cum sacramentis *analogiam*, quod est proprium SACRAMENTALIUM. » **2°) Tinctus** denotat usum aquae benedictae, quae in universa Ecclesia adhibetur ad aspergendos homines, agros, pecora, cibos, etc. ; denotat quoque quam-

libet unctionem sacramentalem, quae non est sacramentum. Et quidem **aquae lustralis** seu benedictae usus antiquitate commendatur : ab apostolica enim traditione manasse semperque in Ecclesia floruisse docent eruditi. Aspersio aquae lustralis est symbolum interioris ablutionis, et per preces Ecclesiae sanctificata ex ejusdem Ecclesiae meritis ad salutares effectus habet efficaciam. Audiatur Alexander PP. I (cap. *Aquam sale*, 20 de consecratione, dist. 3), inquiens : « *Aquam sale conspersam populis benedicimus ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur. Quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulae sanguine aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et, si sale asperso per* Elizaeum *prophetam sterilitas aquae sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat atque mundat et purgat, et cetera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit, et a phantasmatum versutiis homines defendit* (1). » De *aqua benedicta* egregie scripsit Gaume in opere : « *L'eau bénite au XIX*e *siècle* », ubi refertur Breve Pii IX, in quo legitur : « *Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, saltem cordo con-*

(1) De mira efficacia **aquae benedictae** memorabile est testimonium, quod promit D. Thérésia (*Sa vie écrite par elle-même*, cap. XXXI), ap. Boux, *Œuvres de sainte Thérèse*, tom. I, pag. 379 seq., Paris 1867. « Je l'ai éprouvé bien des fois, inquit, rien n'égale le pouvoir de l'eau bénite pour chasser les démons et les empêcher de revenir: ils fuient aussi à l'aspect de la croix, mais ils reviennent. La vertu de cette eau doit donc être bien grande. Pour moi, je goute une consolation toute particulière et fort sensible, lorsque j'en prends: d'ordinaire elle me fait sentir comme un renouvellement de mon être que je ne saurais décrire, et un plaisir intérieur qui fortifie toute mon âme. Ceci n'est pas une illusion, je l'ai éprouvé un très grand nombre de fois, et j'y ai fait une attention fort sérieuse. Je compare volontiers une impression si agréable à ce rafraîchissement qu'éprouve dans toute sa personne celui qui, excédé de chaleur et de soif, boit un verre d'eau froide. Je considère à ce sujet quel caractère de grandeur l'Église imprime à tout ce qu'elle établit : je tressaille de joie en voyant la force mystérieuse que ses paroles communiquent à l'eau, et l'étonnante différence qui existe entre celle qui est bénite et celle qui ne l'est pas. »

tritis, qui in crucis formam, adjecta SS. *Trinitatis invocatione, cum* **aqua benedicta** *se signaverint,* **qua vice** *id fecerint,* **centum dies** *de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus; quas indulgentias etiam* **animabus** *Christi fidelium quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus.* » Quapropter, **in refrigerium animarum** satis commendari nequit, ut quisque in cubiculo *aquam lustralem* ad se pluries die signandum in promptu habeat. **3°) Edens** significat devotam manducationem panis benedicti vel aliarum rerum benedictarum, v. g. fructuum et aliorum esculentorum. Quoniam vero res ejusmodi non benedicuntur benedictione *constitutiva* sive *consecrativa*, i. e. per quam reddantur res in rigore consecratae; sed tantum benedictione *invocativa*, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa rerum illarum usum; ideo possunt adhiberi ad omnem usum ad quem poterant, antequam benedicerentur : nam etiam saepissime a sacerdote benedicuntur omnes cibi ante mensam, et tamen postea ex illis cibis datur canibus. Unde quoque ex Lacroix et S. Lig. (VI, 64) non peccat, si quis ossa agni, qui in paschate benedicitur, det canibus, aut putamina ovorum quae etiam tunc benedicuntur, projiciat in fimetum. **4°) Confessus** designat publicam confessionem culparum ex praescripto Ecclesiae faciendam in missa, prima, completorio etc., ad quam reducitur tunsio pectoris. **5°) Dans** comprehendit eleemosynam vel alia opera misericordiae corporalis et spiritualis, ab Ecclesia specialiter praescripta, v. g. in quadragesima aut in publica necessitate. Dixi : *ab Ecclesia specialiter praescripta*; secus non essent sacramentalia, sed opera moraliter bona, quae tamen imprimis valent ad speciales gratias, quibus peccata remittuntur juxta illud (Tob. IV, 11) : « *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat;* » et (Dan. IV, 24) : « *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* » **6°) Benedicens** plura comprehendit : **A**) benedictionem, quae manu, voce vel scripto datur a S. Pontifice, episcopis et sacerdotibus; **B**) benedictiones solemnes quarumdam personarum, ut regum, abbatum, virginum, quarum ritus in Pontificali Romano describuntur; **C**) benedictiones rerum et animalium. Et has inter benedictiones, aliae sunt **papa-**

les, seu Papae reservatae, v. g. benedictio *Palliorum*, *Rosae aureae*, et imaginum cerearum, quae *Agnus Dei* vulgo appellantur (1), quarum mirabiles virtutes hisce versibus comprehenduntur :

Pellitur hoc signo tentatio daemonis atri,
Et pietas animo surgit abitque tepor.
Hoc aconita fugat, subitaeque pericula mortis;
Hoc et ab insidiis vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne saeva tonitrua laedant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat, et ignis,
Ullaque ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera foetum
Incolumen mundo proferet atque Deo.
Unde, rogas, uni tam magna potentia signo?
Ex agni meritis, haud aliunde fluit.

Aliae sunt **episcopales**, quae de *jure* ad solos episcopos pertinent, quales sunt consecrationes ecclesiarum, altarium, calicum, campanarum, sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi, novae crucis et imaginum, si tamen crucis et imaginum benedictio fiat publice, cum solemnitate, non autem privatim absque apparatu; item benedictiones primarii lapidis, ecclesiae, coemeterii; aliae sunt **sacerdotales**, quae spectant ad sacerdotes, cum hoc quidem discrimine, ut quasdam *omnis sacerdos*, quasdam vero *nonnisi parochus vel ab ipso delegatus* dare possit. Quales sunt benedictio nuptiarum, benedictio fontis baptismalis, benedictio domuum in Sabbato Sancto, benedictio communis super fruges et benedictio agrorum, saltem si solemniter fiat; item benedictio mulierum post partum, ubi consuetudo vel statuta synodalia ita disponunt. Secus ex S. C. Rit. (13 Junii 1893) servanda est regula : « *Benedictionem* post partum *fieri debere* a parocho, *si expetitus ipse fuerit; posse autem fieri* a quocumque sacerdote, *si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiae.* Ap. N. R. T. (XXVIII, 640).

(1) De his egi in opere cui titulus : *De la Cour Romaine.* tome II, pag. 50, 128 et 350.

Hac de re tractat R. T. Française in art. *Bénédiction* POST PARTUM, (tom. II, 14 seq.) — Per transennam autem hic notandum est : *Benedictionem mulieris post partum non esse negandam*, si proles ejus mortua fuerit sine baptismo. Ita ex S. C. Rit (19 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 670). — De praecipuis benedictionibus quae a sacerdotibus fieri possunt, agit Bened. XIV in *Comm. de fest.* et Inst. XLVII.

Q. 41. *Quisnam* sit *valor* SACRAMENTALIUM ?

R. Valent ad producendos effectus ad quos sunt instituta. Ad id autem valent, non quidem ex opere *operato*, sed *operantis* : Ecclesiae scilicet, oratione sua hos effectus impetrantis; fidelium quoque, pie utentium SACRAMENTALIBUS.

Resolvitur 1. Non omnia et singula SACRAMENTALIA **eosdem** producunt effectus : non enim singula ad eosdem fines sunt instituta. **Resol. 2.** Non producunt suum effectum **infallibiliter** : non enim adest specialis Dei promissio. Plus tamen valent, quam alii actus boni, v. g. lectio libri spiritualis, quae etiam excitat pios motus : quia in usu SACRAMENTALIUM *impetrative* simul concurrit meritum et sanctitas Ecclesiae, et ideo non aequaliter prodest *aqua*, quae putatur *erronee* esse benedicta, quam quae *vere* est benedicta, quamvis in utraque eadem sit accipientis devotio. **Resol. 3.** Illud quod habet S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 3 ad 3) : « *Dicendum, quod ecclesia et altare, et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione* ADIPISCUNTUR QUAMDAM **spiritualem virtutem**, *per quam apta reddantur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur;* » illud, inquam, ex Sylvio « non sic est accipiendum, quasi spiritualem qualitatem recipiant; sed quia hoc ipso sortiuntur divinam praesentiam speciali modo ad excitandam fidelium devotionem, ad coercendos daemones, ad remittenda peccata venialia, ad faciliorem exauditionem et gratiarum impetrationem. » Aliis verbis, ex Suar. : « Solum intelligit propter orationes Ecclesiae Deum ibi speciale aliquod auxilium praebere. »

Q. 42. *Quinam* sint praecipui *effectus* SACRAMENTALIUM ?

R. Sunt praesertim *quinque* sequentes.

Explanatur. 1°) Excitatio piorum motuum gratiae. Quos pios motus seu gratias praevenientes non conferunt *vi sua* et ex *opere operato*, sed tantum per modum *impetrationis*, quae non habet omnino infallibilem effectum, juxta dicta. **2°) Remissio peccatorum venialium**; quae fit, non quidem *immediate*, sicut locum habet in sacramentis, sed *mediate*, i. e. mediantibus his piis motibus quibus homo excitatur ad contritionem sicque remissionem obtinet. Id aperte colligitur ex S. Thom. (p. 3, q. 87, a. 3) dicente : « *Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo* IN QUANTUM IN EIS INFUNDITUR GRATIA : *quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata... Et hoc modo per eucharistiam et extremam unctionem et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo modo* IN QUANTUM SUNT CUM ALIQUO MOTU DETESTATIONIS PECCATORUM ; *et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum. Tertio modo* IN QUANTUM SUNT CUM ALIQUO MOTU REVERENTIAE IN DEUM ET AD RES DIVINAS ; *et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si quae alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.* » **3°) Remissio poenae temporalis**, major vel minor, tum per modum *indulgentiae*, si sacramentalibus quaedam sit annexa, tum per modum *operis satisfactorii*. Ita colligitur ex S. Thom. (*ibid.* ad 3). **4°) Repressio vel effugatio daemonis**; idque non tantum per modum *impetrationis*, sed etiam per modum *imperii*, ex peculiari potestate Ecclesiae a Christo data adversus daemonem. Nam Christus (Luc. X, 17) dedit discipulis suis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici, ita ut daemonia iis subjiciantur; et (Marc. XVI, 17) eadem potestas promittitur fidelibus, et patet ex formis exorcismorum, quibus Ecclesia utitur. Hanc autem potestatem non solum convenire aliquibus ratione sanctitatis, sed etiam ratione ordinis et potestatis Ecclesiae vel inde manifestum est, quod multi suis exorcismis arceant vim daemonis, qui non ita sanctitate eminent; et aqua lustralis, a quocumque benedicta sit, eamdem vim habeat contra daemones. Hinc S. Alph. (*Praxis confess.* c. XI, § 5, n. 276) sacerdotem jure meritoque admonet,

ut, instante **agonia**, saepius infirmum aqua benedicta aspergat, praesertim si diabolicis tentationibus exagitatur, eumque crucis signaculo muniat. — Interim hic effectus non est ita absolute promissus, quin impediri possit vel propter privatam, vel propter publicam causam, v. g. in aliorum exemplum. Nam cum hic effectus non pertineat ad donum gratiae gratum facientis, sed ad liberationem quamdam a malo poenae, non solum ex proprio demerito seu obice impediri potest, sed etiam propter majorem utilitatem animae, vel in aliorum exemplum aut propter aliud Ecclesiae commodum. 5°) **Sanitas corporalis** vel aliud simile **beneficium temporale**. Id autem obtinetur : aliquando *directe*, per modum impetrationis, ratione scilicet precum Ecclesiae, quamvis interim Deus non semper hujusmodi beneficia conferat, sed prout judicaverit expedire; aliquando tantum *indirecte* seu removendo prohibens, scilicet coercendo vim nocentis daemonis. Sic, ut notat Sylv. ex S. Thom. (2. 2. q. 70, a. 1) : « exorcisantur aqua, sal, domus, locustae, mures, vermes, grandines, tempestates, invocando scilicet divinam virtutem, quae diaboli vim in talibus nos laedere cupientis coerceat, ipsique diabolo per eamdem virtutem jubendo, ut ab ejusmodi rebus abscedat, nec in iis vel per eas noceat. »

DE BAPTISMO.

PRAEAMBULUM. Cum S. Thom. (p. 3, q. 66) disputationem de sacramentis **in specie** exordimur a Baptismo, qui, ratione *necessitatis* pro individuis, et ordine *receptionis*, **primum** est sacramentum. Per baptismum enim quisque a peccato originali mundatur, supernaturaliter regeneratur atque fit adoptivus Dei filius, aliorum sacramentorum capax et corporis Ecclesiae membrum. Porro, ut notat Catech. Rom., « *perfectam Baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri,* » patet ex Apostolo qui « *adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis et spiritu Dei plenis, ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit.* » « *Quare*, addit Catech. Rom., *pastores nunquam se satis multam*

operam et studium in hujus sacramenti tractatione collocasse arbitrentur. » — Sub diversis **capitibus** dicemus : 1°) *de natura, necessitate et effectibus baptismi;* 2°) *de materia et forma;* 3°) *de ministro baptismi, tempore et loco quo administrandus sit;* 4°) *de subjecto baptismi;* 5°) *de rebaptizatione;* 6°) *de patrinis aliisque caeremoniis in baptismo servandis;* 7°) *de sectione caesarea.*

CAP. 1. De natura, necessitate et effectibus Baptismi.

Q. 1. *Quotuplex* distinguatur BAPTISMUS?

R. Ex S. THOM. (part. 3, q. 66, a. 11) *triplex* vulgo distinguitur BAPTISMUS : 1°) *fluminis* seu aquae; 2°) *flaminis* seu desiderii aut Spiritus Sancti; 3°) *sanguinis* seu martyrium.

Explanatur. Haec distinctio non solum a TT.., sed etiam a SS. PP. adhibetur, scilicet AMBR., GREG. NAZ., AUG., BERN., aliis, et fundamentum habet in Scriptura, quae nomen BAPTISMI tribuit : tum *charitati perfectae* cui conjungitur saltem virtualiter et implicite votum baptismi aquae, ut patet ex verbis (MATTH. III, 11) : « *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*; » et (ACT. I, 5) : « *Baptizabimini Spiritu Sancto;* » tum *martyrio*, juxta illud (MARC. X, 38) : « *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* » et (LUC. XII, 50) : « *Baptismo autem habeo baptizari.* » At trium horum BAPTISMORUM **primus tantum** est proprie dictum et verum sacramentum, juxta verba PAULI (EPH. III, 5) : « *Unus Deus, una fides, unum baptisma;* » et SYMBOLI APOST. : « *Confiteor unum baptisma.* » Alii vero non sunt sacramenta, cum non sint signa visibilia instituta a Deo, nec habeant materiam et formam, nec imprimant characterem, nec excludant necessitatem baptismi aquae, si hic haberi possit. Primus vocatur etiam baptismus **in re**; duo reliqui vocantur etiam baptismi **in voto**, in quantum possunt supplere vicem veri baptismi seu fluminis, dum hic suscipi nequit. Unde non solent vocari *baptismata*, nisi quando baptismum aquae praecedunt.

Q. 2. Dic : 1°) *Quid* sit sacramentum BAPTISMI; 2°) *cur* inter sacramenta *primo* loco numeretur: 3°) quomodo fuerit *praefiguratum;* 4°) *quandonam* a Christo institutum, et 5°) *quo tempore* lex de Baptismo coeperit obligare?

R. Ad 1um) Ex Cath. Rom. definitur : « *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* » Seu, paulo explicatius, est sacramentum a Christo institutum, quo, per ablutionem exteriorem corporis aqua naturali factam et invocationem SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur.

Nota. Variae insuper circumferuntur appellationes et definitiones baptismi. Sic a *materia* dicitur « *lavacrum aquae* » (Eph. V, 26); a *materia et effectu* vocatur « *lavacrum regenerationis et renovationis* » (Hebr. VI, 4); a *forma*, sacramentum *Trinitatis;* ab effectu, *sigillum et signaculum, ablutio peccatorum, sepultura hominis cum Christo, circumcisio non manufacta;* item sacramentum *illuminationis*, et ideo S. Cyril. Hier. orationes ad recens baptizatos habitas « *Catecheses illuminatorum* » inscripsit. Praeterea comparate ad alia sacramenta, nuncupatur a Trid. (sess. VI, c. 7) : « *sacramentum fidei*, » quia ejus receptioni professio fidei est praemittenda.

R. Ad 2um) *Primo loco* numeratur, cum sit primum, non quidem dignitate, sed necessitate et ordine receptionis. Nam est nativitas spiritualis seu principium illius vitae spiritualis, qua homo christianus crescere debet « *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* » (Eph. IV, 13), estque janua qua introitur in *regnum Dei*, i. e. tum in Ecclesiam militantem hic in terris, ad participandum reliqua sacramenta, tum postea in Ecclesiam cum Christo in coelis triumphantem, juxta dicta superius (pag. 417).

R. Ad 3um) *Praefiguratus* fuit arca Noe, columna nubis, maris et Jordanis transitu, lotione Naaman Syri in Jordane, lotionibus legalibus Judaeorum, et praecipue circumcisione atque baptismo Joannis. Cfr. S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 11 ad 3).

R. Ad 4um) De *tempore institutionis* est inter DD. magna opinionum diversitas. Communius et probabilius docetur cum S. Thoma (p. 3, q. 66, a. 2) et Catech. Rom. : Christum instituisse Baptismum, saltem ante suam passionem, et quidem ubi a Joanne baptizatus est in Jordane.

Explanatur. Dixi **A**) : **saltem ante suam passionem;** tum quia Christus (Joan. III, 22) baptizabat, saltem per suos disci-

pulos; sed non baptismo Joannis, alias non potuissent hujus discipuli querelam facere de baptismo quasi alieno; tum quia Christus ante passionem suam contulit Apostolis suis eucharistiam et sacramentum ordinis, ut testatur Trid. (*sess.* XXII cap. 1 et can. 2); non est autem credibile, ipsum hoc fecisse ante institutionem baptismi, cum hic de lege ordinaria sit janua ad reliqua SS.— Dixi **B**) : **in Jordane**; ubi Christus determinavit : tum *materiam* baptismi, scilicet aquam, quam contactu suo sanctificavit; tum *formam* : nam aderat Pater in voce, Filius in carne, Spiritus S. in specie columbae; tum *effectum* praecipuum, nempe apertionem coeli. Et hinc dicitur (Joan. III, 5) : « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* »

Resolvitur. Itaque cum S. Thom. (*l. c.*) « *dicendum quod sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit* **quantum ad ipsum sacramentum**. *Sed* **necessitas** *utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem : tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta novae legis; tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato et incipit novam justitiae vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni ejus.* »

R. Ad 5^{um}) Etsi lex de Baptismo suscipiendo data fuerit post resurrectionem Christi, cum dixit Apostolis (Matth. XXVIII, 19) : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.; non coepit tamen homines obligare, nisi post sufficientem promulgationem ipsius, quae facta est per Apostolorum praedicationem.

Q. 3. *Quanta* sit *necessitas* sacramenti Baptismi ad salutem?

R. « *Post evangelium promulgatum* » ut loquitur Trid. (sess. VI *dejustif.* c. 4), sacramentum Baptismi omnibus hominibus necessarium est ad salutem necessitate medii *in re vel*

in voto; solis vero adultis insuper necessarium est *necessitate praecepti* : tum *naturalis*, cum quilibet ex praecepto naturali charitatis erga se ipsum teneatur adhibere media ad salutem necessaria; tum *divini*, ut constat ex praecepto dato Apostolis baptizandi, et ex consequenti aliis baptismum suscipiendi; tum *ecclesiastici*, ut intelligitur ex traditione et praxi Ecclesiae.

Explanatur. Dixi 1°) : **post evangelium promulgatum**; interim DD. ancipites sunt in epocha hujus promulgationis definienda. Docent passim eam sufficienter fuisse factam quoad Palaestinam intra decem plus minus, et intra quadraginta annos quoad Romanum imperium; pro reliquis vero gentibus eam vario tempore contigisse, ita ut illi, apud quos evangelium nondum penetravit, in eadem conditione adhuc versentur, in qua versabantur universae gentes ante Christi adventum circa salutis media, sive respectu adultorum, sive respectu infantium. — Dixi 2°) : **in re vel in voto** (tom. I, pag. 284) : quare infantes et adulti salvari possunt per *martyrium* ; adulti vero insuper per baptismum *flaminis* seu desiderii. — Dixi 3°) : **solis vero adultis** etc. ; quare parvuli, si moriantur sine baptismo in re vel martyrio, damnabuntur non quidem propter transgressionem legis de recipiendo baptismo, sed propter culpam originalem, quae defectu baptismi non fuit in ipsis deleta. Similiter infideles *pure negativi* (tom. I, pag. 291) damnabuntur non quidem propter ignorantiam praecepti de suscipiendo baptismo, aut propter infidelitatem de Christo, quae in ipsis supponuntur invincibiles ; sed propter originale peccatum, quod remitti non potest nisi per baptismum, et propter alia, si quae forte commiserint, actualia peccata. Quod ultimum addo, quia juxta doctrinam D. Thomae (*de verit.* q. 14, a. 11) jam antea allatam (tom. I, p. 285), profitemur cum Suarezio (*de praedest.* l. IV, c. III, n. 19), quod : « *Quicumque non posuerit impedimentum, de facto illuminabitur seu vocabitur, vel exterius per homines, ita disponente Deo res humanas, ut id sine miraculo fieri possit, per aliud genus gratuitae providentiae ; vel certe interius illuminando ministerio angelorum, quod non est omnino miraculosum, sed pertinens ad supernaturalem providentiam.* »

Resolvitur. 1. Haud solidam esse sententiam quorumdam ca-

tholicorum, quos inter Durandus, S. Bonaventura et Gersonius, qui opinati sunt, parvulos sine baptismo **interdum** salvari ex misericordia Dei et speciali privilegio per aliud medium, v. g ex fide aut precibus parentum aliorumve piorum fidelium. Ratio est, ait Suarez (*de bapt.* disput. 27, sect. 3, n. 5) : « quia nobis constat de universali lege in Scriptura lata; non ergo potest a nobis dispensatio in tali lege aut speciale privilegium affirmari, nisi aut ex eadem Scriptura colligatur, aut alia sufficienti auctoritate vel revelatione constet, praesertim cum non soleat Deus his dispensationibus uti, et praeter legem ordinariam quasi miraculose operari propter privatas rationes seu personalia commoda aut necessitates aliquorum. » **Resol. 2.** A fortiori rejiciendam esse opinionem Cajetani asserentis : non interdum, sed **semper** salvari posse parvulos per aliud medium, quoties baptismi sacramentum non potest eis applicari. Quam sententiam S. Pius V a commentariis Cajetani expungi fecit in Romana impressione. **Resol. 3.** Cum Sylvio : « Non est petendum a Christo ut quempiam salvet **sine baptismo**; sed ut de remedio necessario tempestive illi provideat. » Quod orandi studium pro non natis, ut ad baptismum perveniant, in S. Philip. Ner. eximie refulsit; eamque pietatem promovit S. Fran. Sal. in speciali oratione a praegnantibus recitanda.

Q. 4. *Quid* sit Baptismus *flaminis*?

R. Baptismus *flaminis*, ex S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 11) sic dictus ab afflatu seu virtute Spiritus S., « *in quantum scilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum et poenitendum de peccatis*, » non est nudum desiderium seu voluntas suscipiendi Baptismum; sed est perfecta contritio vel amor Dei super omnia, cui conjungitur vel saltem implicite includitur haec voluntas, quatenus eliciens habet voluntatem servandi omnia Dei praecepta, ergo et suscipiendi Baptismum, si de hoc sciret vel cogitaret. Vocatur aliquando Baptismus *poenitentiae*, seu *charitatis*.

Resolvitur. 1. Quoniam perfecta contritio et quilibet actus charitatis perfectae cum voto baptismi *aquae* supplet ejus vices quoad effectum primarium, scilicet gratiam remissivam peccatorum,

dum hic suscipi nequit, uti patet exemplo Cornelii et aliorum, qui (Act. X, 44) leguntur accepisse Spiritum Sanctum antequam baptizarentur; hinc merito S. Pius V et Greg. XIII hanc 31 propositionem inter Baianas proscripserunt : « *Charitas perfecta quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, in catechumenis et poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* »—Nec **obstat** lex generalis de baptismo *aquae* suscipiendo : nam qui dixit generaliter (Joan. III. 3) : « *Nisi quis renatus fuerit* », non minus generaliter dixit (Joan. XIV, 21) : « *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* ». Praeterea dicitur (Ezech. XVIII, 21) : « *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis,.. vita vivet et non morietur*»; item (Rom. X, 11 et 13) : « *Omnis qui credit in illum non confundetur... Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* » Unde quoque Ecclesia cum Trid. (sess. VI, *de justif.* c. 4) hanc generalem Christi sententiam : « *Nisi quis renatus* » intelligit de baptismo aquae **in re** vel **in voto. Resol. 2.** Non omnis contritio, licet perfecta, dici potest baptismus *flaminis*; sed ea tantum, per quam remittitur peccatum originale in non baptizato, seu quae praecedit baptismum *fluminis*.

Q. 5. Dic : 1°) *Quid* sit Baptismus *sanguinis?* 2°) *Quid* autem martyrium?

R. Ad 1^{um}) Baptismus *Sanguinis* est *martyrium*, perpessum ante susceptionem Baptismi *fluminis*. Dicitur *sanguinis* : quia martyrium ordinarie fit per sanguinis effusionem.

Explanatur. Baptismum *sanguinis* supplere vices sacramenti baptismatis, tam in adultis quam in parvulis, dum illud in re suscipi nequit, patet ex verbis (Matth. X, 32 et 39) : « *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* » Quibus verbis clare indicatur Deo gratum esse, qui martyrium subit, adeoque gratiam et remissionem peccatorum accipere. Unde quoque Ecclesia pro martyribus nec preces nec sacrificia offert, quia eos plene coram Deo justificatos existimat. Hinc illud Innoc. III (cap. *Cum Marthae*, de celebr. Miss. l. 3 Decret. tit 41) : «*Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre* ». Quod desumptum est ex S. Aug. (serm. 159 *de verb. Apost.*), ubi ait : « *Injuria est pro martyre*

orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Nec dicas : infantes non posse confiteri Christum : nam licet ore non possint, opere tamen id faciunt, ut de SS. Innocentibus canit Ecclesia : « *Non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* » Nec dici potest, eos per circumcisionem jam fuisse justificatos antea : nam imprimis de singulis id non videtur credibile. Deinde nec, si hoc daretur, argumentum vim haberet : quia Ecclesia illos colit ut matyres, sive sanctos, sanctitate non ob circumcisionem, sed mortem pro Christo toleratam obtenta. Constat praeterea ex Const. Bened. XIV « *Beatus Andreas* » (22 Febr. 1755, § 10 seqq.), in qua variis rationibus ostenditur non solum SS. Innoc., sed omnes etiam pueros in odium Christi occisos veros esse martyres.

R. Ad 2^{um}) Martyrium autem est perpessio mortis vel cruciatus lethalis pro Christi fide aut virtute christianae fidei; seu ad mentem D. Thomae (2. 2. q. 124, art. 2 seqq.) definiri potest : « *Testimonium fidei divinae vel in se vel in opere alicujus virtutis morte firmatum.* »

Explanatur. Dicitur 1°) : **testimonium** ; nempe vel *formale*, voce aut signo aliquo a martyre expressum, vel saltem *virtuale*, quale est in infantibus, et in iis qui dormientes in odium Christi et fidei occiduntur. — Dicitur 2°) : **fidei divinae** ; per quod excluduntur haeretici, qui vere matyres esse non possunt, quia fidem divinam non habent, nec ullam virtutem christianam, quae essentialiter fidem praesupponit. Unde haereticus, etsi pro certo alias fidei articulo occumbat, haud tamen martyr est. — Dicitur 3°) : **vel in se vel in opere alicujus virtutis** ; quia non est necesse ad martyrium, ut mors inferatur propter fidem ; sed sufficit, si in defensionem seu testimonium alicujus virtutis christianae, v. g. pudicitiae, immunitatis ecclesiasticae, etc. : quia sub fide seu vera religione comprehenditur omnis virtus vel omissio peccati, quatenus a fide, religione vel a Deo commendatur vel remuneratur. Et ut dicit S. Thom. (2. 2. q. 124, a. 5) : « *Omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei.* » Hinc martyrum choro accensentur : S. Joan. Bapt. ob reprehensionem adulterii ; S. Thom. Cant. ob asserta Ecclesiae jura ; S. Joan. Nep. ob servatum confessionis sacramentalis sigillum ;

variae virgines, quae elegerunt potius mori, quam foedari. Nec refert, a quo inferatur mors vel cruciatus. Sic et judex necatus a catholico, quod a sententia justa decedere nollet, verus martyr est. Contra vero bonus latro cum Christo crucifixus verus martyr non est : quia nec propter fidem, nec veram virtutem passus; et si S. Aug. eum vocat martyrem, hanc vocem in sensu improprio et latiori sumere debemus, cum ipse dicat (*serm.* 2 in Ps. 34) : « *Martyres non facit poena, sed causa.* » Hinc quoque « qui moreretur pro confessione veritatis geometricae aut alterius scientiae profanae, non esset martyr; secus si pro vitando in ea re mendacio, quatenus id est contra doctrinam Christi et displicet Deo. Similiter si quis moreretur pro virtute morali, quia dedecet philosophum, non esset martyr, secus si quia dedecet christianum. » (Bill.). Dicitur 4°) : **morte firmatum**; i. e. morte vel in se, vel in sua causa, ex qua naturaliter sequeretur, nisi Deus impediret. Ita communis sententia cum Bened. XIV (*de beatif.* l. 3, c. 12, n. 3 seqq.) contra plures cum S. Thom. (2. 2. q. 124, a. 4) « *ad perfectam rationem martyrii* » requirentes, ut mors sequatur. Quare S. Joannes in ferventis olei dolium missus, sicut et tres pueri in fornacem ignis ardentis injecti, sunt veri martyres, licet non sint ideo mortui. Item S. Thecla colitur ceu martyr, licet ex cruciatibus lethalibus variis plane incolumis evaserit, ac tandem in aetate gravi, morte non violenta sed naturali, obierit.

Resolvitur. *Duae* in martyrio requiruntur **personae** : 1°) *Martyr*, seu persona mortem vel cruciatum naturaliter illativum mortis pro Christo patiens. 2°) Mortem vel cruciatum talem inferens et *persecutor* dicitur; nemo enim martyr se ipsum, propria auctoritate, occidendo fit; imo hoc nulla de causa licet, hocque graviter in Donatistis reprehendit S. Aug. et damnat Ecclesia. Dixi : *propria auctoritate*; quia ex S. Thom. (2. 2. q. 64, a. 5 ad 4) et S. Aug. excusantur Sanctae illae mulieres quae se in aquas projecerunt, ut insectatores suae pudicitiae vitarent, vel praevenientes manus carnificum sponte in ignem prosilierunt, ut fecisse legitur S. Apoll., cum id fecerint ex instinctu Spiritus S. latenter id suggerentis et jubentis. « Et merito, ait Bill., coluntur ut martyres, quia licet non sint occisae a persecutoribus; hi tamen sua perse-

cutione fuerunt causa, cur, ne a virtute deficerent, vitam suam perderent. » Cfr. dicta (tom. I, pag. 450).

Q. 6. *Quaenam* requirantur ad *essentiam* MARTYRII?

R. Ex dictis, juxta *communem* sententiam, duo saltem sunt de *essentia* MARTYRII : primum velut *materiale*, mors ipsa vel cruciatus illativus mortis; alterum velut *formale*, mortis illius vel cruciatus perpessio propter fidem divinam vel opus aut virtutem christianae fidei. De ceteris *controvertitur*.

Explanatur. Sic 1°) : utrum ad martyrium insuper requiratur, ut martyr **non reluctetur,** DD. *disputant*. Alii *affirmant* cum WIGG., LESS., LAYM., SASS., DENS : quia martyr debet imitari Christum qui ut agnus mansuetus passus est duci se ad mortem; unde de Christo dicitur (1 PETR. II, 23) : « *Cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste* ; » et (Is. LIII, 7): « *Quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* » Alii, et quidem probabilius, *negant* cum S. ANTONINO, SOTO, SYLVIO et BILLUART, modo non tam seipsos quam Christum et Ecclesiam defendant. In quam sententiam conspirat S. THOM. (2. 2. q. 124, a. 5 ad 3; et q. 188, a. 6 ad 2). Hinc christiani milites, qui contra infideles, fidei causa pugnantes, occiduntur, vere sunt martyres, quamvis tales ab Ecclesia non habeantur, quia non potest fieri de illis legitima inquisitio, cum in bello, ut notat BILL., « plures militent vel haeretici, vel schismatici, vel facinorosi, aut alii ex mero motivo humano absque ullo respectu ad Deum. » Imo, qui seposita causa fidei occiduntur in bello justo propter defensionem boni communis tantum, eos esse veros martyres, si tamen militent cum relatione ad Deum, puta ut satisfaciant debito justitiae legalis qua tenentur erga rem publicam, « *asserere videtur* S. THOM. » (2. 2. q. 124, a. 5 ad 3), ait BILL., et idem sentire videtur doctissimus ejus interpres SYLVIUS. — Sic quoque 2°) : utrum requiratur, quod mors seu vulnus lethale inferatur **in odium** fidei seu virtutis christianae, DD. *disputant*. Alii *affirmant*, quibus favere videtur MARTYROL. ROM., ubi de illis qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, dicit ad diem 28 Febr.: « *Quos* velut *martyres religiosa fides venerari consuevit,* » Alii *negant*, et ideo tales ut *veri nominis* martyres tenent : 12 Academiae, 13 Cardinales,

12 Episcopi et plusquam 300 auctores, uti testantur Lacroix et ex eo S. Lig. (VI, 100).

Q 7. Quaenam *dispositiones* requirantur, ut BAPTISMUS SANGUINIS, seu MARTYRIUM, suum consequatur *effectum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **infantibus,** vel de **adultis.**—Si **primum,** seu in *infantibus* nulla requiritur dispositio, cum hujus sint incapaces. Patet in SS. Innocentibus, quos juxta dicta (p. 445) ut martyres colit Ecclesia et de quibus dicit : « *Qui non loquendo sed moriendo confessi sunt.* » —Si **secundum**, seu in *adultis*, requiritur : **A**) *consensus* in mortem. Omnis enim actus virtutis debet esse moralis adeoque voluntarius; sufficit tamen consensus *habitualis* : et ideo si Petro v. g. verum Deum adoranti aut alium virtutis actum exercenti minetur quis mortem nisi desistat, et interim in eo perseveret Petrus, etiamsi de martyrio nullatenus cogitans, imo dormiens occidatur, martyr est. Quia qui vult id, ex quo praevidit effectum aliquem secuturum, censetur velle et effectum, nisi aliquid obstet. **B**) In adulto *peccatore*, qui peccati mortalis sibi conscius est, requiritur, ut habeat *dolorem* supernaturalem saltem *virtualem* : quia ex communi consensu de facto non remittitur peccatum personale saltem mortale sine propria retractatione. Sufficit autem *attritio*, quia haec sufficit ad BAPTISMUM, cui comparatur MARTYRIUM; et omnes tribuunt MARTYRIO vim conferendi gratiam primam, quod non esset, si contritio per se necessaria foret; jam enim haberetur per hanc, et sic tantum essent duo BAPTISMATA, nempe *fluminis*, et *flaminis*, cum tunc MARTYRIUM non justificaret, nec staret amplius distinctio *triplicis* baptismatis, quae cum S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 11) a TR. et SS. PP. adhibetur, juxta dicta (p. 439). Ita cum communi sententia docent DD. omni pondere gravissimi, quos inter Caj., Bill., Suar., Bell., Tourn. Nec **objicias** verba Apost. (1 Cor. XIII, 3) : « *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, CHARITATEM *autem non habuero, nihil mihi prodest;* » aut illa S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 12 ad 2 : « *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine* CHARITATE. *Ex quo patet, quod baptismus* SANGUINIS *includit baptismum* FLAMINIS *et non e converso.* » **Resp.** Haec verba non sunt necessario intelligenda de charitate

habituali praecedente martyrium, qua homo constituitur amicus et filius Dei; sed de charitate vel *habituali* vel *actuali*, hoc est sincera attritione, qualis requiritur in catechumenis et poenitentibus, quaeque, si voluntatem peccandi excludat, dici potest late charitas, quatenus attriti ad baptismum aut poenitentiam accedentes, vel martyrium sustinentes, Deum diligere incipiunt : ideo enim ad sacramentum accedunt, aut passionem sustinent, ut in amicitiam Dei recipiantur. Qui autem cum hac dispositione ad martyrium accedit, habet in termino charitatem habitualem cum gratia justificante, quam producit martyrium quasi ex opere operato, et de attrito fit contritus, sicque baptismus *sanguinis* baptismum *flaminis* includit. — Itaque, quamvis per se loquendo et attenta martyrii natura, peccator adultus non teneatur ad actum contritionis, sed sufficiat attritio; practice tamen necessaria est contritio ob majorem securitatem : tum quia plures antiqui, quos inter S. Bon., Scot., Alens., Palud., eam requirunt, idque, juxta S. Lig. (VI, 98), «*probabilius est* » ; tum quia in articulo mortis maxime urget praeceptum charitatis. Cfr. Bill., TT. Wirceb.

Q. 8. Dic : 1°) In quo *conveniant* baptismi *fluminis*, *flaminis et sanguinis?* 2°) In quo vero a se *discrepent?*

R. Ad 1^{um}) *Conveniunt* in effectu principali, scilicet in infusione gratiae remissivae peccatorum.

R. Ad 2^{um}) *Discrepant* a se invicem in sequentibus.

Explanatur. A) Quoad **modum conferendi effectus**, scilicet : baptismus *fluminis* effectus producit ex opere operato; *flaminis* ex opere operantis; *sanguinis*, in infantibus, quasi ex opere operato, et in adultis, quasi ex opere operato et simul etiam ex opere operantis. Dixi : *quasi* ex opere operato : quia non conferuntur effectus vi actionis ad hoc divinitus institutae, cum martyrium potius a Deo sit vetitum inferri; sed ex speciali privilegio, quatenus Deus effectus conferat intuitu operis seu ad ejus positionem. **B**) Quoad **effectus quosdam speciales**, scilicet : baptismus *fluminis* confert gratias sacramentales et characterem; baptismus *sanguinis* confert *aureolam* et majorem abundantiam gratiae sanctificantis, et uterque baptismus confert quidem remissionem omnis

poenae; dum baptismus *flaminis* confert quidem remissionem poenae aeternae, non vero *per se* omnis poenae temporalis. Contritio tamen tanta esse potest, ut omnis etiam poenae remissionem obtineat, et ideo dixi : *per se*. — Porro ex S. Thom. (*Suppl.* q. 96, a 1 in c.) **aureola** est *praemium seu gaudium quoddam accidentale ob excellentem victoriam de hoste in hac vita reportatam*. Duplicem namque victoriam reportant justi in hac vita : unam *communem* vi charitatis, et huic respondet *aurea* seu praemium essentiale; alteram *speciem* vi alicujus alterius virtutis, scilicet : vel fortitudinis vel virginitatis, vel zeli docendi viam salutis, contra triplicem hostem, mundum, carnem et daemonem. *Mundum* vincunt martyres contemptu mortis, quod est omnium malorum quae mundus potest inferre maximum. *Carnem* vincunt virgines, illius illecebris resistendo; *daemonem* vincunt, quotquot viam salutis docent. Et huic praecellenti victoriae respondet triplex **aureola** Martyrum, Virginum et Doctorum. *Martyr*, ut diximus, is est qui vel mortem vel plagas mortiferas passus est in testimonium fidei vel alterius virtutis. *Virgo* est persona alterutrius sexus servans firmo proposito integritatem carnis, omnis voluntariae libidinis expertem. Quod si consensu mentali in voluptates carnis sive licitas sive illicitas hoc propositum interrumpat et postea resumat, non amittit aureolam, secus si opere externo interrumpat, quia reparabilis est virginitas mentis voluntarie amissa non carnis. *Doctor* tandem est non solum qui doctorali laurea est insignitus, sed quilibet, sive vir, sive mulier, qui salutarem fidei et morum docet doctrinam, sive scripto, sive verbo, sive privatim, sive publice, juxta illud (Dan. XII, 3) : « *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* » Et sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est *aurea*, resultat quidam decor in corpore, qui est gloria coporis et dotes corporis gloriosi constituit quae quatuor assignantur, videlicet : *impassibilitas*, *subtilitas*, *agilitas* et *claritas*; ita pariter ex gaudeo *aureolae*, quamvis sicut *aurea* principaliter sit in mente, redundat tamen aliquis decor in carne. Probabile autem reputat Soto (in 4 Dist. 49, q. 5, a. 2) claritatem gloriae efformare in capite Virginum coronulam *album*, in capite Martyrum *purpuream*, in capite Doctorum *subviridem*. Cfr. Bill..

Resolvitur. Quamvis baptismus *aquae* ceteris praestet : tum in

ratione sacramenti, tum in modo causandi, tum quia solus imprimit characterem; ex triplici tamen baptismate, baptismus *sanguinis* est *potissimus* ratione **perfectioris conformitatis** cum passione Christi. Audiatur S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 12 ad 3) : « *Dicendum, quod baptismus* sanguinis *praeeminentiam habet non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus Sancti.* » Quod sic probat (in corp. art.) : « *Nam passio Christi operatur quidem in baptismo* aquae *per quamdam figuralem repraesentationem; in baptismo autem* flaminis *vel* poenitentiae *per quamdam affectionem; sed in baptismo* sanguinis *per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo* aquae *per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem* poenitentiae *per cordis commotionem; sed in baptismo* sanguinis *per potissimum dilectionis et affectionis fervorem secundum illud* (Joan. XI, 13) : Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Ex quo tamen non sequitur, ut constat ex dictis (pag. 448 seq.), quod acceptatio mortis in martyre imperari necessario a *charitate* debeat; sed sensus est : quod inter humanos actus nullus est quo magis demonstrari posset perfectio charitatis quando habetur, quam martyrio. Cfr. Bill.

Q. 9. *Quinam* sint *effectus* sacramenti Baptismi?
R. Sunt *septem* sequentes.

Explanatur. 1°) Imprimit **characterem** indelebilem juxta dicta (pag. 371 seq.). **2°)** Si non inveniat obicem, confert **gratiam sanctificantem** per se *primam;* hanc concomitatur omnium virtutum, tum theologicarum, tum moralium, infusio, ut docet Catech. Rom. **3°)** Per illam gratiam tollit peccatum **originale** et omne **personale** debite retractatum. Unde ait Trid. (sess. V *de. pec. orig.* can. 5) : « *In renatis nihil odit Deus.* » **4°)** Tollit simul omnem **reatum poenae,** tam *temporalis* quam *aeternae,* apud Deum luendae, ideoque baptizatis nulla imponitur satisfactio, fitque « *ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur,* » ut ait Trid. (*ibid.*). Non tamen aufert **poenalitates** hujus vitae, ut sunt concupiscentia, infirmitas corporis, morbi, dolores, moriendi necessitas, ceteraeque miseriae omnes, quae, quamvis in non renatis dici possint poenae peccati originalis, in renatis tamen non habent rationem poenae

proprie dictae, sed sunt effectus et conditiones naturales naturae corruptae, quas Deus, etiam peccato originali remisso, permittit ob justas causas, quas enumerat ac pulchre evolvit S. Thom. (p. 3, q. 69, a. 3), praesertim ad agonem et exercitium; iisque, excepta concupiscentia, obnoxia fuit etiam B. Virgo; imo, et quibusdam etiam ipsemet Christus. Virtute tamen baptismi suscepti auferentur a justis in resurrectione, et in hac vita etiam alleviantur et diminuuntur, praesertim concupiscentia. Hanc autem concupiscentiam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, non quidem, ut declarat idem Trid. (*ibid.*). : « *Quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.* » 5°) Confert **gratiam sacramentalem**, i. e. gratiae habitualis specialem vigorem cum jure ad auxilia actualia suo tempore conferenda, in ordine ad recipiendam doctrinam fidei, ad ducendam novam vitam Christo ejusque legi conformem et cetera sacramenta recipienda. 6°) Constituit hominem **membrum** corporis Christi mystici seu Ecclesiae, ideoque ejus jurisdictioni eum subjicit. 7°) Denique jure ecclesiastico inducit **cognationem spiritualem**.

CAP. 2. De materia et forma Baptismi.

Q. 10. *Quae* sit MATERIA *remota* Baptismi?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **validitate**, vel de **liceitate**.

Si **primum** : materia remota *valida* sacramenti baptismi est omnis et sola aqua naturalis seu elementaris, apta ad abluendum. Est *de fide*, ut constat ex variis Conciliis, praesertim Trid. (sess. VII, *de bapt.* can. 2) : « *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini N. J. C.* : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* » Quantum vero baptismi naturae et virtuti **consentaneum** fuerit ut ejus propria materia **aqua** institueretur, pluribus quidem rationibus ex SS.PP. demonstravit S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 3) : « **Primo** *quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus*

generantur omnia viventia, scilicet plantae et animalia, humida sunt et ad aquam pertinent. **Secundo,** *quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat, ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit baptismo in quantum est fidei sacramentum.* **Tertio,** *quia convenit ad repraesentandum mysteria Christi quibus justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus :* Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur et deinde novus rursus ascendit. **Quarto,** *quia ratione suae communitatis et abundantiae, est conveniens materia necessitati hujus sacramenti; potest enim ubique de facili haberi.* » Cfr. etiam Catech. Rom.

Resolvitur. 1°) Valet baptismus in aqua marina, pluviali, fontana, minerali, sive benedicta sive non; sive sit dulcis sive salsa; limpida vel turpida; calida, frigida, colorata, resoluta ex grandine, glacie, nive; in sudore pavimenti, parietis tempore pluvioso; in vaporibus in operculo ollae densatis et similibus : quia sunt aquae naturales. Item in aqua ore hausta et deinceps in caput effusa, cum ejus natura non mutetur haustu. **Resol. 2°)** E contra non valet in saliva, sudore, lacrymis, lacte, vino, oleo, urina, phlegmate, aqua supernatante sanguini extracto aut fluente ex corpore hydropici, succo pomorum : quia vel nunquam fuerunt aqua naturalis, vel per nimiam sui alterationem amiserunt naturam et nomen aquae. **Resol. 3°)** Dubius est baptismus in jusculo, atramento vel cerevisia *tenui*, lixivio, humore fluente ex vite, arbore, aqua resoluta ex sale, rosacea, aut quae per artem chimicam educitur ex aliis floribus, plantis et radicibus.

Si **Secundum** : extra casum necessitatis, *licita* materia est tantum aqua sacri fontis rite benedicta (1). Illam praetermittere in bap-

(1) Quocirca memoranda est *Instructio* S. C. de Prop. Fide (8 Sept. 1869) ad Vic. Apost. Ind., in qua legitur : « Decreta quae sequuntur quoad aquam baptismalem, a Pondicheriensi Synodo secunda edita, ad omnes Vicariatus Indiarum Orientalium extendi placuit: 1° *Aquam consecratam, aliquo decenti loco et vase, conservabit missionarius in ecclesia,*

tismo *solemni* est mortale, quod satis indicant : Ecclesiae solemnitas in consecrando, cura in asservando, et diligens hujus praecepti observantia; in *non solemni*, DD. *disputant* : juxta alios *libere* omittitur benedicta; juxta alios vero, est *veniale*, si sacerdos aut diaconus; *nullum*, si laicus vel clericus diacono inferior ea non utatur. Interim servanda sunt quae habet Rit. Rom. : « *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat,* » non benedictione communi, sed speciali, quae ad hoc inserta est in fine tituli : *de sacramento baptismi*. Dixi : **extra casum necessitatis**; nam in necessitate, ubi nequidem certa materia haberi valet, licite adhibetur sub conditione etiam omne id, de quo prudenter dici potest : *forte est aqua*; licet opinio pro sacramenti valore esset minus, imo tenuiter probabilis. Taliter autem baptizatus, habita materia certiore, est sub conditione rebaptizandus. **Postulatum** fuit : « 1°) *Utrum valide baptizatur cum aqua, quae etsi suam liquiditatem omnino servet, magnum tamen et valde injucundum* FOETOREM *exhalat?* 2°) *Utrum posita validitate baptismi cum tali aqua, et altera bona cum sacro chrismate foecundata non habeatur, melius sit uti aqua ista putida quam*

ubi ordinarie degit, et in collatione S. Baptismatis adhibebit : idem faciet in ecclesiis, in quibus per notabilem anni partem commoratur. 2° *Occurrente casu necessitatis utetur facultate aquam foecundatam conficiendi extra Sabbatum Sanctum et vigiliam Pentecostes.* 3° *In locis quae sacramenta administrandi causa inviset, utetur aqua consecrata quando illam in itineribus secum facile ferre poterit.* — Praeterea voluerunt EE. PP. omnibus Vicariis Apostolicis communicari decretum datum Vicario Apost. Tunkinensi die 10 Febr. 1806 : *Omnino tenentur missionarii in conferendo Baptismo omnia agere ad praescriptum* Rit. Rom. *vel in ea etiam parte quae respicit sacramentalia et usum aquae ad id in baptismali fonte asservatae. At ubi aquam praescripto ritu benedictam asservare gravis sit incommodi aut periculi, licebit in eo casu missionariis vel cuilibet alii qui ad hoc sacramentum conferendum pro temporum opportunitate aptus erit, uti aqua communi, praesertim si benedicta fuerit, pro aqua fontis baptismalis, quae nonnisi gravi cum incommodo aut periculo haberi possit.* » Ap. Acta S. Sedis (XXV, 265).

aqua pura et naturali chrismate non foecundata? S. Congr. Off. (17 April. 1859) **respondit** : « *Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis praeferendam aquam naturalem, sed providendum renovatione aquae fontis baptismalis juxta Rit. Rom.* »

Q. 11. *Quae* sit materia *proxima* Baptismi?

R. Est applicatio aquae naturalis sive ipsa ablutio corporalis.

Q. 12. *Qualis* ablutio sit necessaria ad *valorem* Baptismi?

R. Talis applicatio aquae ad valorem requiritur, qualis in aestimatione morali necessaria est, ut homo dicatur vere lotus seu ablutus.

Resolvitur. 1°) Ad valorem baptismi perinde est, sive ablutio fiat per *immersionem*, sive per *aspersionem*, sive per *effusionem*, qui modus posterior etiam *infusio* vel *affusio* dicitur. Et quidem, ut notat S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 7 ad 2) : « *In immersione* expressius *repraesentatur figura sepulturae Christi... Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur* aliquo modo, *licet non ita expresse; nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus, aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.* » Item, ut omnes docent ex S. Thom. (part. 3, q. 66, a. 8), ad valorem perinde est, an adhibeatur *trina* vel tantum *una* ablutio. In praxi tamen servanda est consuetudo cujuscumque dioecesis, quam praevaricando potest aliquis peccare etiam mortaliter, saltem ratione scandali. **Resol.** 2°) Non est necessarium, ut ablutio fiat in toto corpore aut majori ejus parte; sed certo valet baptismus factus in capite infantis, cum haec censeatur pars hominis praecipua, in qua ut docet S. Thom. (ibid. ad 3), « *vigent omnes sensus et interiores et exteriores.* » Idem communiter affirmatur de ablutione facta in scapulis, pectore vel alia hujusmodi parte notabili. At si pars minus notabilis, v. g. manus, pes, et multo magis si soli capilli, vel puer adhuc secundinis obvolutus abluatur, baptismus nullatenus est certus. Imo, in baptismo, in parte etiam notabili, praeterquam in capite, collato, aliquale dubium intervenire dicit S. Lig. (VI, 107); et licet in necessitate etiam horum modorum

aliquo conferendus sit, si alio certiore non possit, id tamen solum conditionate faciendum est, et, cessante necessitate, puer sub conditione rebaptizandus. Quod idem faciendum, si infans in utero matris adhuc **totaliter** haerens, etiam in capite baptizatus fuerit; eo quia magni DD., quos inter Card. Gotti et Tourn., cum Bill., negant valide baptizari nulla adhuc parte enixum, quibus suffragare videtur Rit. Rom. inquiens : « *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* » **Resol. 3°)** Ut sit vera corporis ablutio, debet aqua immediate et physice tangere corpus baptizandi : unde nullo modo valet, si uterus matris abluatur, vel aqua solummodo attingat fascias vel vestes baptizandi; sed de ablutione in capillis, in secundinis, ut dictum est, et in umbilico, per quem infans sugit alimentum a matre, dum est in utero, *dubitatur* a DD. Praeterea dicendum est, non sufficere attactum aquae, sed requiri contactum successivum sive quemdam fluxum aquae super corpus : quia alias homo proprie non dicitur ablutus, sed madefactus tantum. Unde sequitur, non sufficere aquam quantumcumque modicam, sed requiri tantam, ut possit fluere per corpus.

Q. 13. An valeat ABLUTIO *occisiva?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Dupliciter* potest intelligi ABLUTIO *occisiva :* una **ratione materiae,** seu quae, licet totum occidat, reputatur tamen adhuc moraliter ablutio : ut si infantem abluas aqua fervente aut venenata, unde per accidens moriatur; altera **ratione actionis,** seu quae ratione circumstantiarum videtur moraliter a ratione ABLUTIONIS deficere; ut si infantem projicias in fluvium vel puteum, ex quo non potest emergere. **Prima** ablutio sufficit ad valorem : quia vere est ablutio usualis, ad quam impertinens est, an aqua sit calida, an venenata. De **secunda** *disputant* DD. Alii *affirmant* baptismum valere, quia adhuc fit ablutio infantis. Ita Suar., Wigg., Laym., Gonet, Bertui, etc. Alii *negant*, quia non est verisimile, talem actionem a Christo fuisse institutam pro materia hujus sacramenti, quae est intrinsece mala et nunquam adhiberi potest sine peccato; nec in communi aestimatione est ablutio, saltem usualis. Ita Scotus cum suis, S. Anton., Sylvester, Soto, et plures alii. **Concludo** cum Bill. : «Quidquid sit de validitate hujus baptismi,

certum est, nunquam licere sic baptizare infantem, etiamsi sine baptismo moriturum : quia hoc esset occidere innocentem; nunquam autem licet facere mala, ut veniant bona. »

Q. 14. *Quae* sit FORMA legitima Baptismi?

R. FORMA legitima in Ecclesia *latina* est haec : « *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* » Vox *Amen* in RIT. ROM. non habetur, ideoque et omittenda est, ut constat ex S. C. RIT. (9 Jun. 1853).—Apud *Graecos* ac *Orientales* fere omnes, est haec : « *Baptizetur*, seu, ut alii volunt, *baptizatur servus* vel *serva Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* » Interim, licet utraquè forma sit sufficiens, singula tamen in sua respectiva Ecclesia servanda est; et ideo graviter peccaret latinus formam graecorum usurpando, quia ritum Ecclesiae suae violaret in re gravi.

Q. 15. *Quaenam* de *necessitate sacramenti* in FORMA sint *exprimenda?*

R. Ea omnia sunt exprimenda quae necessaria sunt ad substantiam sensus.

Explanatur. Debent exprimi : 1°) **Actio ministri baptizantis.** Hinc damnata est propositio ab ALEX. VIII sub n. 27 : « *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus* : IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; *praetermissis illis* : EGO TE BAPTIZO. » 2°) **Persona quae baptizatur**, et quidem *directe* seu *signate*, sive per particulam *te*, sive nomine proprio, sive alio modo : quia per hoc, ut docet S. THOM. (in 4, q. 3, q. 1) : « *determinatur actus ad hunc baptismum.* » Non item *directe* debet exprimi persona baptizantis, ut patet ex forma Graecorum, et ideo in nostra forma non est essentialis particula *ego*. 3°) **Unitas divinae essentiae.** Hinc si diceretur : *in nominibus*, sacramentum foret nullum, quia significaretur diversa virtus, et consequenter diversa essentia. Si diceres : *baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.*, dubius quibusdam, quos inter DAELMAN, apparuit baptismus; quia licet tunc non importetur diversitas, non equidem significatur indentitas. Sed BILL., SYLVIUS putant valere, et recte

quidem. Constat enim ex declaratione S. C. Inq. (15 Jan. 1882) ap. N. R. T. (XX, 116). Item dubium baptismum reputant aliqui si omittatur particula *in*, quia expressio unitatis divinae essentiae fit minus expresse. At omissio haec, quando constat eam non procedere ab errore circa fidem, non invalidam reddit formam, juxta Bill., Steyaert, et constat ex S. C. Conc. (12 Sept. 1801). Valeret quoque forma, si loco *in* dicatur : «*cum nomine Patris, etc.*» ut declaravit eadem S. C. C. (24 Maii 1825); item S. C. Inq. (23 Maii 1720) ap. N. R. T. (XX, 113). 4°) **Trinitas personarum sub propriis nominibus** secundum proprietatis personales. Hinc non valet baptismus sub his formis collatus : *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis ;* vel : *trium personarum divinarum ;* vel : *in nomine Dei unius et Trini ;* vel : *in nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni.* Nec probabilius valet ex S. Thom. (p. 3, q. 66, a. 5 ad 7), si conferatur : *in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque :* quia haec nomina non significant divinas Personas sub propriis rationibus, sed tantum quoad earum notiones et originationes. — Pariter, juxta nonnullos, dubia evadit forma, si omittatur particula *et :* quia, illa sublata, personarum distinctio non satis exprimitur. Contrarium tamen multis apparet probabilius, quia haec particula satis subintelligitur ; « nisi forte, ait Bill., omittatur in sensu Sabelliano, ad significandum haec tria nomina esse unam et eamdem personam tribus facultatibus instructam. » Et haec sententia confirmatur ex declaratione S. Cong. Conc. (12 Maii 1733) ap. N. R. T. (XX, 114). Quod si quis ad nomina trium personarum adderet nomen B. M. V., tunc, ex S. Thom. (p. 3, q. 60, a. 8), si hoc faceret mente haeretica, intendens baptismum conferre *in nomine virginis*, sicut in nomine trium Personarum, invalidus esset. Secus, si quis rusticus ob importunam tantum devotionem nomen Virginis adjiceret.

Q. 16. An Apostoli unquam baptizaverint *in nomine Jesu Christi* tantum?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Sententiam **affirmativam** tuentur inter alios : Petr. Lomb., Hug. Vict., Adrian. VI, Cajet., S. Bonav., Scot., Dur., Mastr., Victoria, Valent., Gonet, et praesertim Card. Orsi.

Sententiam **negativam**, quae, juxta TT. Mechl., « *communior est et multo probabilior* », propugnant : Sylvius, D. Soto, Suar., Bell., M. Can., Vasq., Est., Contens., Serr., Nat. Alex., Tourn., Berthi, Beelen Dr Lov., et praesertim Drouven, qui in speciali appendice argumenta Card. Orsi refellere aggressus est.—Card. Gotti utramque sententiam *probabilem* reputat ipsiusque vestigia pressit Bill., utriusque partis momenta expendens, at nihil concludens. Ad S. Thomam quod attinet, postquam docuerat (p. 3, q. 66, a. 6) : necessariam esse invocationem SS. Trinitatis «*sensibilibus verbis ;*» objicit sibi (Act. VIII, 12) dici : quod *in nomine Christi baptizabantur viri et mulieres ;* (quod saepius in iisdem Actibus repetitur, nec ullibi indicatur Apostolos baptizasse in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.) Respondit autem : « *Dicendum, quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant : ut nomen Christi, quod erat odiosum judaeis et gentibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.* » At *hypotheticam* dumtaxat responsionem affert, nec ad dispensationem confugit nisi *ex hypothesi* quod Apostoli in solius Christi nomine baptizarint ; cujus facti noluit expendere veritatem, scholasticae dumtaxat methodo intentus ; sicut in nonnullis aliis factis, quae sibi objicit, respondere solet hypothetice : quia ejus instituti non erat facta expendere quorum examen prolixiorem tractationem postulat. Ita mentem S. Thom. explicant Nat. Alex., Drouv., Patuzzi, TT. Wirceb., Puig et Xarrié.

Resolvitur. 1°) *In phypothesi* quod hoc fecerint, dicendum est cum S. Thom. et Catech. Rom. id factum fuisse ex speciali *dispensatione divina*, ut, initio nascentis Ecclesiae, Jesu Christi nomen, quod Judaeis erat scandalum, gentibus stultitia, redderetur gloriosum. **Resol.** 2°) Verosimilius videtur, nunquam in solo nomine Christi baptizasse Apostolos : quia non videtur mox ab initio in essentiali forma dispensatum, et nullibi de hac dispensatione legitur. Deinde cum Apostolus (Act. XIX 2-3) interrogasset quosdam : « *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* » et respondissent : « *Sed neque, si Spiritus Sanctus est, audivimus,* » subjunxit : «*In quo ergo baptizati estis?* » Ergo supponit baptismum non conferri sine expressione Spiritus S. **Resol.** 3°) Quod dicit Lucas (Act. II, 38; X, 48; XIX, 5) « *baptizasse Apostolos in nomine Jesu* », id

multis modis potest intelligi : nimirum, ut baptizasse dicantur *in fide*, i. e. in professionem (flandrice, *ter belijdenis*) nominis Jesu seu Christi religionis (graece : εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ) ; vel *super confessionem* nominis Jesu, i. e. praemissa confessione nominis Jesu (graece : ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ); vel *auctoritate* Domini Jesu (graece : ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ), i. e. baptismo a Christo instituto, qui est in remissionem peccatorum, non in baptismo Joannis, qui tantum disponebat ad baptismum Christi; vel denique in nomine Jesu non solius, verum adjuncto Patre et Spiritu S. ; fortasse enim ad magis commendandum nomen Christi, ita dicebant : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus* Jesu Christi *et Spiritus S.*

CAP. 3. De ministro Baptismi, tempore et loco quo administrandus sit.

Q. 17. *Quisnam* sit MINISTER Baptismi?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur **de validitate**, vel **de liceitate**.—Si **primum** : *valide* baptizat, adhibitis adhibendis, omnis homo ratione utens, sive vir sive mulier; sive catholicus sive haereticus; sive fidelis sive infidelis.—Si **secundum** : baptizat *licite*, extra casum necessitatis, solus sacerdos habens jurisdictionem saltem praesumptam, et ex commissione diaconus. In casu autem *necessitatis*, omnis, qui potest valide, baptizat *licite* ; servandus tamen est ordo in Rit. Rom. praescriptus, ita ut « *si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi.* » Et quidem est *mortale* praetermittere sacerdotem, licet de ipsius consensu : quia vi ordinationis suae est minister ordinarius hujus sacramenti, non valens sine hujus et ordinis sui injuria juri sua renuntiare. Ast si diaconus vel unus ex inferioribus praetermittatur, probabiliter peccatum est tantum *veniale :* cum enim nullus eorum sit proprius sacramenti minister, non violatur jus

cujuscumque, nec sacramento infertur injuria. Ceterum non est in hac materia scrupulose agendum, sed potius cavendum, ne moras trahendo, dum deliberatur quis praeferri debeat, moriatur aliquis sine baptismo:

Resolvitur. 1°) « *Curare debet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.* » Ita Rit. Rom. **Resol. 2°**) « *Legitimus minister baptismi est parochus vel alius sacerdos a parocho vel ab ordinario loci delegatus.* » Rit. Rom. **Resol. 3°**) Nec parochus, nec episcopus, absque commissione, licite baptizat extra suam dioecesim vel parochiam ; vel alienos intra eam, nisi rationabiliter praesumatur licentia, ut si proles aliena et incognita deferatur baptizanda, et deferentes nolint manifestare unde et cujus sit ; vel si mulier casu pariat in pago non suo, nisi forte parum distet a proprio, v. g. duobus aut tribus horis (S. Lig. VI, 114). Et quoniam per quasi domicilium quisque jam fit parochianus loci, ubi habitat, hinc proles baptizari poterit a parocho loci ubi traditur ablactanda a nutrice. Ap. N. R. T. (XIV, 668). **Resol. 4°**) Ex commissione licite baptizat diaconus, etiam solemniter ; quae tamen commissio dari nequit absque rationabili causa, in quo differt a sacerdote simplici, cui sine causa committitur. Causa rationabilis est, si parochus aegrotet aut aliud justum adsit impedimentum, desit alius sacerdos, et baptismus sine notabili incommodo differri non possit. Imo, urgente extrema necessitate, posset diaconus, juxta probabilem sententiam quam defendunt Suar., Spor., Heringx, alii, contra alios qui juxta S. Lig. (VI, 115) id « *communius* et *probabilius* negant, » etiam *solemniter* citra commissionem particularem baptizare, cum ad hoc sit specialiter ordinatus, sicque sufficiat commissio tacita seu rationabiliter praesumpta. Secus est dicendum de aliis clericis inferioribus, et multo magis de laicis, quibus non competit nisi potestas privatim baptizandi, sine solemnitatibus, non adhibendo patrinum, non nomen imponendo, etc. Animadvertendum quoque est, S. C. de Prop. Fide (21 Jan. 1789) edixisse : « *Sacerdotem* suspensum *et* interdictum *nullo unquam tempore administrare posse baptismum cum* solemnitatibus ; *sed, quando propter necessitatem urgentem debeat baptizare, baptizet* private. » **Resol. 5°**) Peccat graviter quicumque baptismum, in casu necessitatis, conferre omittit : quia, ut ait Tertull. (de bapt. c. 17), « *reus est perditi*

hominis.» —**Signa** autem periculi pro infante haec sunt praecipua ex S. Lig. (VI, 106) : « 1. Si puer oritur sine vagitu et lacrymis. 2. Si modice respirat. 3. Si apparet lividus, praesertim in facie aut capite. 4. Si nascitur post multum temporis aut laboris obstetricis. 5. Si nascitur ante septimum mensem. 6. Si cranium habet valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas. »

Q. 18. *Quo* TEMPORE administrandus sit Baptismus ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **infantibus,** vel de **adultis.** **1°** Si agitur de **infantibus,** hi ex Rit. Rom. baptizandi sunt « *quam primum fieri poterit.* » Hinc, juxta S. Lig. (VI, 118) « *communius* et *probabilius* » est grave differre baptismum infantium ultra 10 vel 11 dies sine gravi causa; imo et tamdiu si infanti metuendum sit. Ex gravi autem causa, juxta Laym., est grave differre ultra sesquimensem. —**2°** Si agitur de **adultis,** extra mortis periculum, hi sub gravi debent baptizari quam primum *digne* et *commode* possunt. Hinc aliquando licet differre baptismum, ut baptizandus melius instruatur, aut evitetur notabile damnum corporis vel fortunae, quod prudenti judicio determinandum relinquimus. *Adulti* porro, in ordine ad baptismum, intelliguntur ex Catu. Rom. (*de Bapt.* n. XXXV) : « *Qui adulta aetate sunt et perfectum usum rationis habent.* » Cfr. N. R. T. (XIV, 665). Dixi : *extra mortis periculum ;* hoc enim si urgeat, statim sunt baptizandi. Cfr. S. Thom. (p. 3, q. 68, a. 3).

Q. 19. *Ubinam* Baptismus sit administrandus?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1° **In necessitate** potest *ubique* administrari. **2°** **Extra casum necessitatis** debet regulariter sub gravi administrari *in Ecclesia*, in qua sit fons baptismalis. Dico : *regulariter* ; nam licet baptizare *domi* : **A**) filios regum et magnorum principum ; immo et procerum, ubi usus obtinuit (S. Lig. VI, 118) ; sed in eorum oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta, ut praescribit Rit. Rom. ; **B**) eos qui publice baptizari nequeunt sine matris infamia (S. Lig. VI, 144) ; **C**) baptizatos in ecclesia, si postea ne-

cesse sit iterare baptismum (S. Lig. VI, 136 in fin.). — Ad **dubium** : « *An ubi viget consuetudo, liceat baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia cathedralis?* » S. C. Rit. (16 Mart. 1861) **respondit** : « *Negative, nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda.* » Apud N. R. T. (1, 612).

CAP. 4. De subjecto Baptismi.

Q. 20. *Quis* sit SUBJECTUM capax Baptismi?

R. Est omnis et solus homo viator, nondum valide baptizatus, etiamsi careret peccato originali, quia Baptismus a Christo institutus est, non solum in peccati originalis remissionem, sed etiam ut quis per illum incorporetur Ecclesiae et capax fiat ad suscipienda alia sacramenta.

Resolvitur 1. *Infantes ante usum rationis* **capaces** sunt recipiendi baptismum, idque expresse definitum est a Trid. (sess. VII *de bapt.* can. 13) contra Anabaptistas, qui ex Lutherano placito de justificatione per solam fidem obtinenda intulerunt rebaptizandos omnes qui in infantia fuerunt baptizati, utpote fidei actualis incapaces. Nec **obstat,** quod sic eis imponantur onera quin ea acceptaverint : nam, praeterquam quod hujusmodi onera non sint gravia, dicente Christo (Matth. XI, 30) : « *Jugum enim meum suave est et onus meum leve;* » de lege naturali et divina omnes homines ea onera in se suscipere tenentur sub poena aeternae damnationis ; unde per baptismum infantibus nulla injuria, sed maximum beneficium confertur : sicut nihil obstat, quominus parvulus ab homine benefico haeres instituatur. Quod autem de infantibus, idem tenendum est de *perpetuo amentibus.* **Resol. 2.** *Infantes*, ante usum rationis baptizati, tenentur, cum **adoleverint**, vitam christianam ducere, neque interrogandi sunt, an ratum habeant quod patrini eorum nomine promiserunt. Si enim valide baptizati sunt, adeoque legitime coaptati in Ecclesiam seu societatem Christi, jure naturali tenentur illius leges observare. Praeterea lege divina statutum est, ut baptizati teneantur observare mandata a Christo tradita, ut patet ex verbis Christi qui praecepto baptizandi addidit (Matth. XXVIII,

20) : « *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* » Constat denique ex Trid., in quo expresse illud definitum fuit (*ibid.* can. 14) contra Lutherum qui, esto baptismum infantium retinendum esse contenderet, neque ipsos postea rebaptizandos; tamen, errorem Erasmi amplexus, docuit : « *parvulos baptizatos cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint : quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos.* » **Resol. 3. Possunt** et **debent** baptizari : **A**) Qui jam justificati sunt per baptismum *flaminis*, ut Cornelius (*Act.* X); **B**) Qui jamjam *martyrio* sunt afficiendi, ut S. Romanus in vita S. Laurentii; **C**) Nati sine peccato originali, veluti Joannes Bapt. in utero sanctificatus; imo **D**) concors est DD. sententia, B. M. V. fuisse baptizatam, ut advertit Bened. XIV (*de can. SS.* l. 4, p. 2, c. 21, n. 14). Christus autem baptismo non eguit, cum Ecclesiae, cujus ipse est caput, non debuit incorporari. Baptizatus tamen fuit ex S. Thom., juxta dicta (pag. 417 seq.).

Q. 21. *An* et *quomodo* baptizari debeat : 1°) infans totaliter inclusus in utero matris; 2°) foetus abortivus; 3°) ostentum; 4°) monstrum?

R. Ad 1^{um}) Infans adhuc totaliter inclusus in utero matris, in *necessitate*, potest imo debet baptizari, sub conditione : « *si es capax.* » Quod si dein vivus in lucem edatur, de novo baptizandus erit sub conditione : *si non es baptizatus*, » ut constat ex S. C. C. (12 Jul. 1794 et 16 Mart. 1897) Ap. N. R. T. (XXIX, 311 seq.) Cfr. Bened. XIV *de Syn.* l. VII, c. 6.

Resolvitur. Casu quo baptisma confertur infanti in utero exsistenti, adhibere debet aqua *calida*, cum frigida multum noceret matri; deinde baptizans frangere debet pelles secundinas, si infans eis adhuc sit involutus, ut aqua ipsum corpus, et si possit, caput immediate abluat; quod si pelles secundinas rumpere non posset, non ideo baptismus esset praetermittendus; quia juxta aliquos hae pelles sunt pars infantis pro hoc statu.

R. Ad 2^{um}) Quoad foetum abortivum, i. e. qui praemature,

ante nonum scilicet a conceptione mensem, in lucem editur, *distinguendum* est.

Explanatur. A) Si **sit plene organizatus,** adeoque humani corporis formam referat, baptizandus est : *absolute*, si certa vitae indicia praebeat ; *conditionate*, si dubia vel nulla vitae signa ostendat ; *nullatenus* vero, si certa mortis signa manifestet, ut si adesset putrefactio seu decompositio. Interim, ut optime notat Cangiamila, sedulo cavendum est : tum ne foetor ipsius matris aut sanguinis ejus aut alterius liquoris putrescentis habeatur ut foetor foetus, et consequenter ut ejus putrefactio ; tum ne gangrena foetus viventis habeatur pro ejus putrefactione. **B**) Si **non sit plene organizatus**, vel etiam sit tantum *embryo*, i. e. membrorum figura omnino destitutus, nisi mortis det signa indubitata, *sub conditione* baptizandus est, etiamsi paucis a conceptione diebus fuerit utero ejectus : quia practice tenenda est opinio, ceteroquin magis consentanea principiis non tantum philosophicis sed etiam theologicis, quae docet animationem foetus locum habere in ipso peractae conceptionis momento, i. e. simul ac animalculum spermaticum virile cum ovulo femineo perfecte fuerit conjunctum. Imo, si mulier enixa fuerit *massam carneam*, illa *sub conditione* baptizanda est, nisi appareat manifeste exanimis. Et quoniam, dum moritur femina gravida, praesertim primis et ultimis mensibus a conceptione, seu, ut dicit De Breyne, primis diebus a conceptione, exeunte mense tertio, et ad finem mensis ultimi, scilicet noni, saepe evenit, ut in agonia foetum ejiciat, et, nisi attendatur, suffocetur infans in lecto; idcirco pastoris est admonere obstetrices vel alias feminas quae aegrotae invigilant, ut ad hoc accurate attendant.

R. Ad 3^{um}) In ostento, si habeat plura distincta pectora et capita, unumquodque caput baptizari debet *seorsim* et *absolute*. Sin plura pectora, caput unum ; vel contra, plura capita, unum pectus ; uno capite *absolute* baptizato, cetera seu capita seu pectora, *sub conditione* sunt abluenda.

R. Ad 4^{um}) Monstrum *ex viro et muliere susceptum*, si speciem humanam praefert capite, *absolute ;* sin pectore, *sub conditione* baptizari debet ; item si nec capite nec pectore, sed reliquis membris ; at « *si humanam speciem non prae*

se ferat, baptizari non debet, » ait RIT. ROM. Quoniam tamen recentiores physici animadvertunt in MONSTRIS hujusmodi semper aliquod humani generis vestigium reperiri, quidni possint baptizari *sub conditione*, immo et debeant? Dixi : MONSTRUM *ex viro et muliere susceptum* ; quod enim mulier ex bruto possit concipere, ut veterum fuit opinio, id recentiores physici rejiciunt.

Q. 22. An *licite* baptizentur pueri ACATHOLICORUM, parentibus eorum *invitis?*

R. Ex S. THOM. (p. 3, q. 68 a. 10) *sub distinctione.*

Explanatur. Vel pueri **pervenerunt ad usum rationis,** vel **non.** — Si **primum** : licite baptizantur, si ipsi in baptismum consentiant : quia quisque in rebus ad salutem pertinentibus est sui juris. — Si **secundum** : quandoque *licite* baptizantur, quandoque vero *non*. Sic **1°**) licet eos baptizare, si sint : **A**) *morituri*, i. e. constituti in articulo vel moraliter certo imminentis mortis periculo ; vel **B**) *perpetuo amentes* aut idiotae, dummodo tamen in utroque casu id fieri possit sine vi, sine mendaciis, sine perturbatione ; (1) vel **C**) *ita a parentum custodia abstracti*, ut non sit spes reditus ad eos : quia in istis casibus nullum adest periculum perversionis. E contra **2°**) extra casus praecitatos, illicite, per se loquendo, baptizantur pueri *infidelium* : nam, ut argumentatur S. THOM. (2. 2. q. 10, a. 12), si baptizati parentibus reddantur, laeditur religio ; si non reddantur, laeditur justitia. Ita sententia ex S. LIG. (VI, 132) « *communior*, » quae confirmatur usu Ecclesiae et Const. BENED. XIV « *Postremo mense* » (28 Febr. 1747) et

(1) Ad proposita **dubia** : « 1°) *An possint baptizari filii infidelium in periculo non vero in articulo mortis constituti ?* — 2°) *An iidem possint saltem baptizari, quando non est spes, eos denuo revisendi ?* — 3°) *Quid si valde prudenter dubitatur quod ex infirmitate qua actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante aetatem discretionis?* — 4°) *An baptizari possint filii infidelium in periculo vel articulo mortis constituti, de quibus dubitatur, an attigerint statum discretionis, et non adest opportunitas eos docendi in rebus fidei ?* » **Responsum** fuit a S. C. S. OFFICII (18 Jul. 1892) : « Ad I, II, III, *affirmative*. Ad IV conentur missionarii eos instruere eo meliori modo quo fieri possit ; secus baptizentur sub conditione. » Ap. N. R. T. (XXIX, 95).

« *Probe te meminisse* » (15 Dec. 1751). Dixi : *per se loquendo;* nam *excipitur* : si unus parentum consentiat, vel, si mortuo patre, consentiat avus paternus, matre reluctante ; imo, reluctante utroque parente, si consentiat avus aut etiam avia. Cfr. N. R. T. (XXIV. 193 seq.) Et sicut generatim non licet, *invitis parentibus infidelibus*, infantes baptizari, ita etiam illicitum est, *iisdem insciis*, id facere, cum eaedem militare videntur rationes. Contradicunt tamen aliqui, in quorum sententiam propendet Collet. Ratio illorum est : tum quod in casu parentibus nulla fiat injuria, nec minima molestia inferatur; tum quod nullum adsit periculum profanationis *formalis* baptismi ; tum quod periculum perversionis compensetur per probabilitatem mortis infantium, cum constet in magnis civitatibus, praesertim apud infideles, fere medietatem puerorum mori ante usum rationis. Citant denique pro sua sententia epistolam 10 S. Franc. Xav. ; sed immerito, ut videtur : cum ibi loqui videatur de infantibus morti proximis et a parentibus derelictis. Demum 3°) quamvis parentes *haeretici* ratione baptismi Ecclesiae subjiciantur, et consequenter Ecclesia jus habeat eorum pueros baptizatos abstrahendi a cura parentum et christiane educandi ; infantes tamen *haereticorum*, invito utroque parente, baptizare non *solet* : quia hujusmodi separatio, in istis praesertim temporibus, ubi viget fere ubique *cultuum libertas*, nullatenus vel non sine maximis incommodis fieri posset ; et ideo regulariter illicitum esset tale baptisma. Interim S. C. de Prop. Fid. (29 Nov. 1672) declaravit : « *Licere parocho baptizare puerum consentiente* uno *e parentibus catholico, etiamsi certe sciat alterum postea curaturum, ut infans baptizetur a ministro haeretico ; sed conjux catholicus tenetur monere conjugem haereticum, filium jam legitime esse baptizatum.* »

Q. 23. An *licite* baptizentur ante usum rationis filii *acatholicorum*, rogatu eorum parentum ?

R. Regulariter *negative*, nisi probabilis spes effulgeat quod hujusmodi pueri baptizati possint suo tempore in vera fide instrui. Ita constat ex variis decisionibus S. Congr. S. Officii ap N. R. T. (XVII, 601 seq.) ; quae (10 Jul. 1828) declaravit hujusmodi spem reperiri in promissione matrinae et episcopo serio et sincere facta, quod parentes nullum apposituri sint

obstaculum catholicae prolis educationi. Dixi : *regulariter* ; nam excipiantur casus supra (pag. 466) relati.

Q. 24. *Quaenam* in ADULTIS requirantur *dispositiones* ad *validam* et *fructuosam* susceptionem Baptismi ?

R. Ad 1^{um}) Ad VALIDAM susceptionem in adultis habentibus usum rationis vel qui aliquando habuerunt, requiritur *intentio* seu voluntas saltem *habitualis* suscipiendi sacramentum in confuso notum ; immo probabiliter sufficit *implicita* tantum, contenta in contritione vel attritione (pag. 422 seq.).

R. Ad 2^{um}) Ad FRUCTUOSAM susceptionem, ultra dictam *intentionem*, requiritur ex TRID. (sess. VI *de justif.* c. 6) ut, excitati et adjuti divina gratia, credant, sperent, Deum diligere incipiant et proin de *propriis* peccatis poeniteant. Interim actus ille charitatis et contritionis non debet esse charitas perfecta, neque contritio perfecta, sed sufficit charitas imperfecta et attritio.

Explanatur. Ita DD. communissime cum S. THOM. (in 4. d. 6, q. 1, a. 3 ad 5). Et *verius* quidem : cum enim baptismus institutus sit ad delenda etiam actualia peccata ante ejus susceptionem commissa, si praeexigeret contritionem, quae operit multitudinem peccatorum, praeexigeret effectum ad quem producendum est institutus. Dixi : *de* **propriis** *peccatis ;* quia si solo *originali* quis esset inquinatus, non requireretur attritio, sed sufficeret quaedam displicentia illius utpote offensae Dei (424).

CAP. 5. De rebaptizatione.

Q. 25. *An* aliquando Baptismus ITERARI *possit* vel *debeat?*

R. 1°) Fide certum est ex CONC. TRID. (sess. VII, *de Sacr. in gen.* can. IX et *de bapt.* can. XI), nullo casu iterari posse Baptismum, quem constat semel esse valide susceptum. Et quidem Baptismum valide collatum scienter iterato suscipere vel conferre, etiam tantum sub conditione, gravissimum est sacrilegium, et poena quae hujusmodi reiterationi annectitur est *irregularitas*, tum in ministro, tum in suscipiente. R. 2°) Sub conditione : « *si non es baptizatus* » potest et

debet repeti, quoties adest dubium fundatum seu non spernendum de ejus valore (pag. 387 seq.): tum quia est necessarius necessitate medii; tum quia nisi fuerit in re susceptus, etiamsi suscipiatur in voto, manet tamen homo perpetuo privatus omnibus reliquis sacramentis et ipsorum fructu; nec in his bona fides vel minimum suffragatur. Idque observandum est sub gravi : tum in dubio *juris*, quando nempe constat baptisma fuisse collatum cum materia, vel forma vel intentione dubia, aut de cujus valore est controversia; tum in dubio *facti*, quando prudenter dubitatur an baptismus sit datus, an vero non : quia, in utroque dubio, aeque periclitatur salus hominis.

Scholion. Cur baptismus *iterari* **nequeat**, has quatuor rationes adfert S. THOM. (p. 3, q. 66, a. 9) : « PRIMO *quidem, quia baptismus est spiritualis regeneratio...* SECUNDO, *quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato et resurgimus in novitatem vitae. Christus autem semel tantum mortuus est...* TERTIO, *quia baptismus imprimit characterem qui est indelebilis et cum quadam consecratione datur; unde sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus...* QUARTO, *quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur.* »

Q. 26. *An* sub conditione *rebaptizandi* sint : 1°) baptizati ab OBSTETRICIBUS, vel aliis MULIERIBUS aut VIRIS; 2°) baptizati ab HAERETICIS; 3°) pueri EXPOSITI?

R. Ad 1^{um}) *Negative*, nisi, re diligenter examinata, adsit probabilis ratio dubitandi de defectu substantiali.

Resolvitur. Ad normam doctrinae CATECH. ROM. et BENED. XIV (*de Syn. dioec.* l. 7, c. 6) recte jubent STAT. DIOEC. MECHLIN. : « *Si infans, qui ad solemne baptisma defertur, domi ob necessitatem a laico baptizatus fuerit, hac sola de causa minime licet sacram ablutionem etiam sub conditione repetere, cum certum sit, baptismum a laico valide conferri posse; sed casus cum circumstantiis diligenter considerandus est. Et quidem, si certo constet, omnia essentialia fuisse adhibita, caeremoniae unice supplendae sunt. Si e contra certo constet, aliquid essentiale fuisse omissum, baptismus absolute conferendus est, non secus ac si nihil actum fuisset. Si vero prudens*

dubitatio adsit, an omnia essentialia fuerint adhibita, ad sacramenti administrationem sub solitis precibus et caeremoniis procedi debet, et formae adjecta conditione : SI NON ES BAPTIZATUS, EGO TE BAPTIZO. »

R. Ad 2um) *Per se* loquendo *negative*, cum sit de fide, Baptismum ab haereticis collatum esse validum, si omnia requisita ad sacramentum adhibeantur. *Per accidens* tamen saepe fit, ut rebaptizari debeant sub conditione : quia saepe ab illis committuntur defectus circa materiam aut formam aut debitam intentionem.

Resolvitur. Ex haeresi neo-conversi *non sunt* **indiscriminatim** *rebaptizandi* sub conditione, sed SINGULI CASUS IN PARTICULARI SUNT EXAMINANDI, ita ut conditionatae baptismi iterationi tunc solum locus sit, quando post diligentem investigationem de ejusdem validitate certitudo obtineri non potuit. Constat ex declaratione S. C. OFF. (29 Nov. 1878). Ap. N. R. T. (XI, 371 seq.). Nam ad **dubium** : « *An baptismus sub conditione conferri debeat* HAERETICIS *qui se convertunt ad religionem catholicam, a quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant?* » **Respondit** : « NEGATIVE. *Sed in conversione* HAERETICORUM *a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum primo de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tum sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei.* » Praeterea in eadem sessione, S. C. OFF. contemplata est casum conscientiae a GURY propositum pag. 373 edit. Melitae, 1878, in quo traditur, haereticos ad veram fidem conversos communiter sub conditione esse rebaptizandos ex more generali Ecclesiae, et constituit eumdem casum corrigendum esse juxta terminos praefati decreti. Unde quoque id quod advertit PERRONE : nimirum receptum esse, ut passim non solum in Anglia, Gallia, Germania, verum etiam Romae, sub conditione iis, qui ex diversis sectis

redeunt ad Ecclesiam catholicam, iterum baptisma conferatur, id, inquam ad tramitem ejusdem decreti est exponendum. Ad quod decretum pariter remittit S. C. Off. (24 Febr. 1883), in responsione sua ad novum dubium propositum de haereticis conversis in Anglia et in Italia. Ap. N. R. T. (XVI, 363 seq.). — Quid vero in casu rebaptizationis observandum sit quoad **confessionem**, dicetur postea (Tract. *de Poenit.* Q. 15).

R. Ad 3^{um}) *Affirmative*, etiamsi collo gererent testimonium Baptismi, nisi certa habeatur notitia personae a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis rite collati. Ita S. C. C. (15 Jan. 1724) apud Bened. XIV (*Inst. eccl.* VIII, n. 8).

Resolvitur. Ad normam doctrinae Ecclesiae recte tradunt Statuta dioec. Mech. (n. 223) : « *Pueri expositi et inventi sub conditione baptizandi sunt, etiamsi sal sit appositum, aut schedula apud puerum reperta testetur, baptismum ei administratum fuisse, nisi persona, a qua schedula conscripta est, fidem mereatur, aut constet aliunde baptismum valide fuisse collatum.* »

CAP. 6. De patrinis aliisque caeremoniis in Baptismo servandis.

Q. 27. Dic : 1°) *Quare* patrini et matrinae sic dicantur, et 2°) *quomodo* adhuc vocentur?

R. Ad 1^{um}) Patrini et matrinae nominibus diminutivis sic dicuntur, relative ad *filiolos* et *filiolas* : quia ad spiritualem generationem baptizandorum concurrunt, eosque circa fidem et vitam christianam instruere tenentur, si parentes id facere negligant aut non valeant.

R. Ad 2^{um}) Vocantur etiam : tum *susceptores* et *levantes*, quia prolem suscipiunt de manu baptizantis et levant de sacro fonte, praesertim quando Baptismus fit per immersionem; tum *offerentes* et *tenentes*, quia baptizandum offerunt et tenent; tum *sponsores* et *fidejussores*, quia pro baptizando spondent et fidejubent, deque collato Baptismo testantur.

Q. 28. *An* ritus adhibendi PATRINOS in Baptismo sit *necessarius?*

R. Licet non sit necessarius ad *valorem* sacramenti, est tamen de necessitate *praecepti* ecclesiastici in Baptismo *solemni*, et quidem sub mortali.

Explanatur. Rationem hujus institutionis, quae ab ipsis apostolorum temporibus descendit, tradit S. THOM. (p. 3, q. 67, a. 7) : « *Quod spiritualis generatio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatioue baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice* NUTRICIS *et* PAEDAGOGI, *informando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam.* » Dixi : **solemni**; quia in baptismo **privato** patrinus adhiberi non *debet*. Si enim puer statim moriatur, illo non indiget; si supervivat, designabitur, dum solemnitates supplebuntur. Immo, declarationi S. C. RIT. (23 Sept. 1820) *conformius est*, patrinos in baptismo privato non admittere. Dicit enim : « *In casu necessitatis, juxta* RIT. *praescriptum, omnia sunt omittenda, quae baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit.* » Si tamen adhibentur, certum est contra sententiam quae a S. LIG. (VI, 149 vocatur « *communior* et *probabilior*, » etiam ab ipsis contrahi cognationem spiritualem, ut constat ex declaratione S. C. CONC. (5 Martii 1678 , quae asservatur in archivio ejusdem Congr. Etenim ad **quaesitum** : « *An dispositio Concilii cap. 2, sess. 24* de reform. matrim. *decernens in sacramento baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem et matrem suscepti, habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem sequuto?* » S. C. C. **respondendum** censuit « AFFIRMATIVE. »

Q. 29. *Quot* assumi possint in PATRINOS?

R. Ne impedimenta *cognationis spiritualis* multiplicarentur, statuit TRID. (sess XXIV *de reform. matrim.*, cap. 2) : « *ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant.* » Hinc si paro-

chus plures quam duos patrinos admitteret, graviter peccaret : quia laederet praeceptum Ecclesiae sub gravi impositum. Addit RITUALE ROM. : « *Simul non admittantur duo viri aut duae mulieres.* » Quod si unus tantum patrinus adhibeatur, perinde est cujus sit sexus, cum TRID. dicat : « *unus tantum*, SIVE VIR, SIVE MULIER. »

Q. 30. *Quinam* sint *effectus* validae susceptionis in PATRINO?

R. Sunt *duo*.

Explanatur. 1°) **Cognatio spiritualis** quae, sicut a baptizante, ita etiam a patrinis contrahitur erga baptizatum et baptizati parentes; unde peccato luxuriae inter ipsos commisso addit malitiam incestus spiritualis; estque impedimentum dirimens matrimonium. 2°) **Gravis obligatio** curandi, ut filiolus in fide et vita christiana recte instruatur, si parentes huic muneri deficiant : quia hoc pertinet ad officium *paedagogi*, quod susceperunt. Ex S. THOM. (p. 3, q. 67, a. 8) haec obligatio maxime urget : « *Si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco in quo baptizati* INTER INFIDELES *nutriuntur. Sed ubi nutriuntur* INTER CATHOLICOS *christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent* CONTRARIUM, *tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.* »

Q. 31. *Quaenam* requirantur ad *validam* SUSCEPTIONEM?

R. Requiruntur haec quinque sequentia.

Explanatur. Requiritur : 1°) Ut suscipiens **usum rationis habeat** et ipse sit **baptizatus**. Ratio : quia susceptio est implicitus contractus, et expers vitae spiritualis non potest alterius curam spiritualem suscipere, nec cognationem spiritualem contrahere. 2°) Ut *per se* vel *per alium*, i. e. procuratorem, baptizatum **tangat,** saltem in vestibus, sive id fiat in ipso actu baptizationis, sive paulo ante, eum porrigendo baptizanti, vel paulo post, recipiendo e manu baptizantis. Interim *procurator* non contrahit cognationem spiritualem, sed ipsemet *mandans*, ut declaravit S. C. CONC. (15 Martii 1631, et 13 Sept. 1721). 3°) Ut assistat in baptismi collatione **cum intentione saltem virtuali**

patrinum agendi. Non tamen requiritur intentio contrahendi cognationem spiritualem, neque scientia ipsius impedimenti. Quod si putet se levare filium Titii, et levet filium Caji, probabiliter non contrahit impedimentum, nisi habeat intentionem levandi praesentem, quiscumque sit : cum intersit scire cum quo quis contrahat cognationem spiritualem. 4°) Ut sacramentum **reipsa conferatur,** dicente S. Thom. (*suppl.* q. 56, a. 2) : « *Spiritualis cognatio non contrahitur nisi per aliquod sacramentum.* » Et hinc qui munere patrini fungitur in suppletione caeremoniarum, non contrahit cognationem : quia vere non est susceptor in baptismo et aliunde cognatio spiritualis contrahitur ex spirituali generatione, quae tota per baptismum, non vero per caeremoniarum suppletionem perficitur. Ita pluries declaravit, S. C. Conc. (13 April. 1669 et 2 Oct. 1687). Immo, probabiliter non contrahitur, dum baptismus sub conditione iteratur : quia dubium est, an revera conferatur. Unde quoque, uti monent TT. Mechl., in registro baptismali distincte adnotandum est, quis fuerit patrinus sive in suppletione caeremoniarum, sive in rebaptizatione conditionata. 5°) Ut **non sint extra numerum designatorum,** si modo designati adsunt et munus patrini gerunt. Constat ex Trid. (sess. XXIV *de reform. matrim.* cap. 2) dicente : « *Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* » Et quoniam ex Trid. (ibid.) *ad summum unus et una* debeant baptizatum de baptismo suscipere, hinc si plures personae quam istae designatae pro patrinis se ingererent, solum primus vir vel prima mulier, vel primus vir et mulier baptizatum suscipiens contrahunt hoc impedimentum. Interim, etsi Trid. prohibuerit, quominus plures quam duo munus patrini gererent; fieri tamen potest, ut *valide* plures patrini sint sicque etiam cognationem spiritualem contrahant. Quod quidem in duplici casu obtinet, scilicet: **A**) Si plures contra Ecclesiae ordinationem designati sunt, iique omnes vere munere patrini funguntur; **B**) Si, nullo designato, plures sponte se pro patrinis ingerunt et alias essentiales conditiones adimplent.

Q. 32. *Quinam* EXCLUDANTUR ab officio *patrini*?

R. Excluduntur ii omnes, qui ad officium illud implendum idonei non sunt.

Resolvitur. Hinc ex Rit. Rom. non admittuntur : 1°) « *Ipsius baptizandi* **pater** *aut* **mater,** » quia adhibentur patrini, ut pro ipsis suppleant adeoque ab ipsis diversos esse oportet. 2°) « *Sciant praeterea parochi ad hoc munus non esse admittendos* **infideles,** *aut* **haereticos',** *non publice* **excommunicatos** *aut* **interdictos,** *non publice* **criminosos** *aut* **infames,** [v. g. publicos concubinarios aut civiliter junctos] *nec praeterea qui* **sana mente** *non sunt, nec qui* **ignorant** *rudimenta fidei.* » Ratio : quia ab istis omnibus nequit sperari finis ob quem munus patrini fuit institutum. Interim, ut recte monent Statuta dioec. Mechl. : « *Si indignus se inopinato ad patrini munus praesentet, sacerdos ipsi urbanis et suavibus verbis significabit, leges Ecclesiae non permittere, ut admittatur. Facile tamen sinet, ut ceu testis assistat, tuncque infantem cum uno vel cum una baptizabit.* » 3°) « *Praeterea ad hoc etiam admitti non debent* **monachi** *vel* **sanctimoniales,** *neque alii cujusvis ordinis* **regulares** *a saeculo segregati.* » Et quoniam ratio legis militat etiam ubi agitur de regularibus et monialibus improprie dictis, lex videtur ad quoscumque regulares et sanctimoniales extendenda. Excipiuntur tamen regulares facti episcopi, et juxta aliquos, ex usu contrario, Abbates, in certis locis.—Imo alicubi, ut in dioecesi Mediolanensi, ex decreto S. Car. Borr., sacerdotes saeculares prohibentur esse patrini, a paritate fere rationis, ob quam monachis est interdictum, ne scilicet familiaritatem contrahant cum matrinis et matribus puerorum. Et quamvis non detur lex generalis id prohibens, consultius tamen est, ut sacerdotes, ubi fieri potest, officium patrini declinent; et quidem, ut recte observant TT. Mechl., specialis militat ratio quare illud parum conveniat parocho respectu suorum parochianorum : cum enim ad ipsum spectet cura totius parochiae, omnes pueros aequaliter instruere debet, nec adeo convenit ut peculiarem contrahat obligationem. 4°) S. C. Officii pluries decrevit (14 Oct. 1676 et 10 Mart. 1770) catholicis *absolute* illicitum esse, sive per se, sive per alios, fungi officio patrini *in baptismis*, qui haereticorum filiis **ab haereticis** ministrantur : esset enim communicare in ritibus propriis sectae haereticae. Nec pariter catholicis id licet *in baptismis* collatis a presbytero vel parocho **jurato** seu **intruso,** ut constat ex declaratione Cardinalium (1 April. 1794) *in Coll. brev. Pii VI*, tom. I, pag. 333.

Q. 33. Dic : 1°) Quomodo *distinguantur* CAEREMONIAE in Baptismo solemni adhibendae, et 2°) *quale peccatum* sit eas omittere?

R. Ad 1^{um}) Ex CATECH. ROM. (p. 2, c. 2, n. 61) aliae *antecedunt* Baptismum, aliae *concomitantur*, aliae *subsequuntur*. Praeterea in RIT. ROM. distinguuntur : *Ordo baptismi* PARVULORUM, *Ordo baptismi* ADULTORUM, nec non *Ritus servandus cum Episcopus baptizat*; unde praeter caeremonias in Baptismo *parvuli* praescriptas, speciales quaedam caeremoniae adhibendae sunt tum in Baptismo *adulti*, tum quando *episcopus* baptizat, et hae ultimae praesertim describuntur in PONTIFICALI ROM.

Explanatur. A) Caeremoniae **antecedentes** sunt, quae ipsam baptismi collationem praecedunt ac fiunt ante fores baptisterii, ut significetur baptizandum adhuc esse indignum qui domum Dei ingrediatur. Huc pertinent : **1°**) impositio nominis; **2°**) interrogationes patrino faciendae; **3°**) triplex exsufflatio in faciem baptizandi; **4°**) impressio crucis in variis partibus corporis infantis; **5°**) benedictio salis et ejus impositio in os infantis; **6°**) exorcismus. —**B**) Caeremoniae **concomitantes** sunt, quae fiunt immediate ante baptismum ac in ipso baptisterio. Huc pertinent : **1°**) introductio baptizandi in baptisterium sub praescriptis precibus; **2°**) exorcismus; **3°**) linitio aurium et narium sputo accepto de ore sacerdotis; **4°**) interrogationes circa abrenuntiationes satanae, operibus et pompis ejus. Hujusmodi abrenuntiationes non sunt *vota propie dicta*, ut quidam existimant : cum non contineant promissionem proprie dictam, sed tantum declarationem voluntatis acceptandi et observandi legem christianam. Haec tamen declaratio et subsequens susceptio baptismi implicitam continent promissionem observandi legem Christi, et ideo latiori sensu recte *votum* nuncupatur; **5°**) unctio cum oleo catechumenorum in pectore et scapulis baptizandi; **6°**) catechismus seu interrogatio circa fidem.— **C**) Caeremoniae **subsequentes** sunt, quae post collatum baptismum peraguntur. Huc spectant : **1°**) unctio cum sacro chrismate in vertice capitis; **2°**) traditio vestis candidae; **3°**) tandem traditio cerei ardentis. — Cum autem, ut diximus, praeter caeremonias in Baptismo *parvulorum* adhibitas, speciales quaedam caeremoniae

adhibendae sunt in Baptismo **adultorum**, hinc ad **dubium** : « *Quum in dioecesi Portus Aloysii usus hucusque praevaleat in baptismo* ADULTORUM *ritum adhibendi pro baptismate* INFANTIUM *designatum ; Episcopus orator postulat, ut ex gratia liceat hunc usum servare praesertim ob paucitatem sacerdotum, quorum unicuique in ipsa dioecesi incumbit cura quinque vel sex et amplius millium catholicorum cum eodem numero paganorum ; ac proinde temporis angustiae ex hoc proveniunt.* » S. C. RIT. (9 Maii 1857) **respondit** : « *Negative in omnibus.* » Ap. N. R. T. (I, 640). Quoniam vero « *accidit quandoque, quod aliquis* **adultus** *e parentibus catholicis ortus et in fide catholica instructus, omnique sectae vel impiae pravitati alienus, baptizandus sit, eo quod incuria parentum infans non fuerit baptizatus, vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate Baptismi,* » hinc a Vic. gen. dioec. AMBIANENSI propositum fuit **dubium** : « *Utrum in eo casu adhibendus est ordo Baptismi* PARVULORUM *primo loco positus in* RIT., *vel potius ordo Baptismi* ADULTORUM? » Huic dubio **non respondit** S. C. RIT., sed (31 Aug. 1867) rescribere rata est, ut Orator « *recurrat ad* S. UNIVERSALEM INQUISITIONEM. » Hujus autem S. Congregationis nondum nota est hac de re declaratio. Interea nonnulli censent, si omittantur monita « *Horesce* » etc. danda peculiaribus catechumenis, nihil occurrere in Ordine hujus baptismi, quod non consonum audiret pro adulto circa quem dubium fuit propositum.

Scholion. Ad **dubium** : « *Utrum in administrando sacramento Baptismi licite sacerdos uti possit stola* BICOLORI, *ex una parte* VIOLACEA, *et ex altera* ALBA, *juxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum?* » S. C. RIT. (26 Mart. 1859) **respondit** : « *Affirmative.* » Ap. N. R. T. (I, 641).

R. Ad 2^um^) Etiam secluso scandalo et contemptu, est ex genere suo mortale notabilem partem harum caeremoniarum omittere, imo unam notabilem, nisi necessitas excuset (p. 429 seq.), v. g. unctionem chrismatis, unctionem olei catechumenorum, aquam benedictam : quia, praeter significationem, habent specialem effectum.

Scholion 1. Interrogationes a RIT. ROM. praescriptas, *lingua* **latina** faciendas esse, neque mutationem in RIT. inducendam,

S. Rit. Cong. constanter respondit. Sic ad **dubium** : « *An in administratione baptismi, interrogationes, quibus respondere debet patrinus infantis, fieri possint* VERNACULA LINGUA, *quandocumque dictus patrinus latinam ignorat; an saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert Rituale, illico in vulgarem transferri possit?* **Respondit** (31 Aug. 1867) : « *Negative ad utrumque, juxta decretum in Molin.* » (12 Sept. 1857). Ap. N. R. T. (I, 642). « *Ceterum* **nihil obstat** *quominus lingua vernacula explicentur ea omnia quae pertinent ad ipsum sacramentum baptismi* » Ita S. C. DE PROP. FID. (30 April 1808). Similiter ad **quaesitum** : « *Utrum liceat in baptismatis collatione interrogationes lingua vulgari facere, vel saltem dictas interrogationes primo latine factas dein in vulgarem linguam vertere, ut ab adulto baptizando intelligantur vel a patrinis et matrinis, si agatur de baptismo infantium?* » S. C. Inq. (25 Aug. 1880) **Respondit** : « *Quoad primam partem :* NON EXPEDIRE ; *quoad secundam :* AFFIRMATIVE. » — Nuperrime vero, scilicet (12 Sept. 1891) archiepiscopus Parisiensis a S. Sede indultum obtinuit, « *ut tolerari et continuari queat* » invecta praxis *utendi gallico seu vernaculo idiomate in interrogationibus quae fiunt patrinis atque in responsionibus, quando baptismi sacramentum sive infantulis sive adultis administratur.* » Ap. N. R. T. (XXIV, 176 seqq.). Quod simile indultum jam antea (5 Jun. 1862) concessum fuerat episc. Bellovacensi in Gallia. — Nec cuiquam mira videatur hac in re S. Sedis severitas, cujus ratio est : tum quia Rit. Rom. aeque inviolate servandum est in administrandis sacramentis, ac Missale in celebranda Missa ; tum quia ad conservandam in tota Ecclesia uniformitatem et ad praecavenda schismata, in functionibus liturgicis non nisi lingua liturgica adhibenda est. Sicut ergo in Missa ministrans latine et non vernacule respondere tenetur, sic etiam in Baptismo patrini.

Scholion 2. Quoad sacra olea **consecranda**, quorum usus est in Baptismo, et quae eodem anno ab Episcopo de more benedicuntur feria V in Coena Domini, propositum fuit sequens **dubium** : « Quoties deficiat prorsus S. Oleum, tum Chrismatis, tum cathecumenorum, vel pars quae remanet tam exigua sit, ut non sinat aliud oleum non consecratum in vase olei consecrati infundi, et attentis peculiaribus facultatibus Episcopis in locis Missionum a

S. Sede tributis, peragendi scilicet alia die per annum consecrationem Sanctorum Oleorum, quaeritur : 1. *Quinam ritus observandi sint in ejusmodi consecratione?* 2. *Quaenam missa celebranda sit in casu?* 3. *Debente Olea consecrari juxta rubricas in Missa Feriae V in Coena Domini praescriptas?* » S. C. Rit. (19 Maii 1881) **Respondit** : « Ad 1 et 3. *Servandum Pontificale Romanum.* Ad 2. *Missam celebrandam de festo occurrente.* » Ap. Acta S. Sedis (XXV, 263).

Scholion 3. Denique quod **usum** et **renovationem** SS. **Oleorum** attinet, ex Rit. Rom. notentur sequentia : 1°) In administratione Baptismi utendum est SS. Oleis quae « *eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria V in Coena Domini.* » 2°) « *Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur.* » Secus veteri utendo, graviter peccaretur. 3°) Curet parochus, ut noviter consecrata olea « *quam primum habeat,* » saltem ante Sabbatum Sanctum, cum tunc in benedictione fontis baptismalis de eis infundi in Fontem debet. Si tamen parochus ex rationabili causa, qualis censetur locorum distantia, viarum difficultas, aeris intemperies, etc., nequit in promptu habere Sabbato Sancto S. Olea praecedenti Feria V in Coena Domini consecrata, benedictionem Fontis celebrabit omittendo SS. Oleorum infusionem et subinde recepta nova Olea privatim ac separatim opportuno tempore in aquam mittet. Si tamen ipso *sabbato sancto* baptismus solemniter foret administrandus, tunc in ipsa fontis benedictione solemni vetera olea essent infundenda. Atque ita servari mandavit S. R. C. (31 Jan. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 431) hisce verbis : « *Parochus curet, ut presbyter vel clericus, si possibile sit in sacris constitutus, nova olea recipiat. Quod si aliquod adhuc exstet impedimentum, idem parochus vel per se vel per alium sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiat : nisi aliquem baptizare debeat, tunc enim in ipsa benedictione solemni vetera olea infundat.* » 4°) Parochus Olea « *vetera in ecclesia comburat.* » Seu, ut habent Stat. dioec. Mechl. : *Quidquid ex veteribus superfuerit, si liquidum, infundatur lampadi quae coram Sanctissimo lucet; quod autem in bombacio aut in simili re servatum fuerit, comburatur, et cineres in sacrarium mittantur.*» 5°) Intra annum « *si deficere videantur, et*

Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate. »

Q. 34. *Quid* dicendum de NOMINE in Baptismo *imponendo?*

R. De hoc habet RIT. ROM. : « *Curet parochus, ne obscoena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quantum fieri potest, Sanctorum.* »

Resolvitur. Hinc patet, *per se* non esse **praeceptum**, sed tantum **consilium**, de imponendo nomine alicujus Sancti. Primi christiani e gentilismo conversi, nomina pristina etiam inanium deorum quandoque retinuerunt, ut SS. BACCHUS, SATURNINUS, DIONYSIUS, IOVITA, NYMPHA, alii. Dixi : **per se** ; quia plura concilia provincialia et dioecesana hujusmodi praeceptum imposuerunt. Sic jubent STAT. DIOEC. MECHL. (n. 221), ubi additur : « *Quod si baptizandus infans sub profano aliquo nomine in registris status civilis inscriptus jam fuerit, nomen alicujus ex coelitibus ei imponatur. Nomen tamen profanum simul cum alio vel aliis in libro baptismali notetur, ne ex nominum diversitate postea dubium oriatur de infantis identitate.* »

Notat LACROIX : nomen in baptismo impositum licite posse privata auctoritate **mutari**, cum hoc nullo jure prohibeatur. Ex S. LIG. (VI, 145) id procul dubio licet in **confirmatione**. Quod constat ex S. R. C. (20 Sept. 1749). Imo, ex *Instr.* S. C. DE PROP. FID. (4 Maii 1774) « *si quis ex confirmandis turpe nomen vel christiano homini non conveniens haberet, aliud in confirmatione* ASSUMAT. » Cfr. N. R. T. (XIII, 406).

Q. 35. An *omissae* caeremoniae sit *supplendae?*

R. *Affirmative*, etiam quacumque ex causa fuerint omissae. Praescribit enim RIT. ROM., ut « *omissa omnia suppleantur.* » Idque valet etiam quoad haereticos adultos ad catholicam Ecclesiam venientes, sive valide jam baptizati sint, sive sub conditione sint baptizandi. Addit tamen RIT. ROM. : « *nisi rationabili de causa aliter episcopo videatur.* » Ex quibus verbis concludimus, episcopo non denegandam esse facultatem permittendi in *casibus particularibus*, ut, justa de causa, omissa non suppleantur.

Nota. Ex S. Rit. C. (27 Aug. 1836) si caeremoniae supplendae sunt super adultum *catholicum*, tunc « *caeremoniae et preces serventur quae in Rituali assignantur pro baptismo* INFANTIUM. » Si vero adultus *haereticus* ad fidem catholicam conversus rebaptizandus est sub conditione, tunc caeremoniae « *illae supplendae sunt quae pro* ADULTORUM *baptismo sunt praescriptae.* »

CAP. 7. De sectione caesarea.

Q. 36. *Quid* 1°) sit sectio CAESAREA? 2°) *An*, mortua matre gravida, sit *faciendа?* 3°) *Cuinam* incumbat *cura* eam faciendi? 4°) *Liceat*ne eam facere, dum mulier gravida adhuc *vivit?* 5°) *An* haec *teneatur* sectionem pati?

R. Ad 1um) Operatio seu sectio CAESAREA in hoc consistit, quod uterus matris gravidae aperiatur, ut foetus ex eo extrahatur. Ideo vocatur *caesarea*, quod JULIUS CAESAR hac operatione ex utero matris defunctae excisus est. Sic etiam S. RAYMUNDUS ex utero matris secatus est, et ideo NONNATUS dicitur.

Resolvitur 1. Certum est itaque, foetum animari diu ante partum : unde merito damnata fuit ab INNOC. XI propositio sub n. 35 : « *Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur.* » **Resol. 2.** Certum est, foetum in utero matris non semper exstingui cum matre, sed saepe supervivere matri defunctae, imo sat diu. Testatur enim CANGIAMILA in sua *Embryologia sacra*, quod ex 60 sectionibus quas fecit, 5 aut 6 tantum fuerunt mortui; reliqui vixerunt et baptizati sunt; tamen inter eos erant ex omni aetate, et unus 40 diem nondum exceperat. **Resol. 3.** Sectio *caesarea* non debet omitti, propterea quod mater jam a pluribus horis sit mortua : docet enim experientia, infantem diu posse supervivere, imo 15, 24 aut etiam 48 horas.

R. Ad 2um) Sectionem CAESAREAM, *mortua* matre gravida, faciendam esse, hisce verbis praescribit RIT. ROM. : « *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute*

extrahatur ; ac, si vivus fuerit, baptizetur ; si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. »

Resolvitur 1. Quoniam vero de tempore, quo foetus anima informetur, DD. *disputant* : aliis contendentibus cum SS. Basilio, Greg. Nyss., Caesario, aliisque veteribus, id fieri ab initio conceptionis, vel saltem immediate post, ut saeculo elapso contendit Hier. Florent. ; aliis vero cum Aristotele existimantibus animam non infundi nisi prius corpus fuerit organizatum, quod fit in masculis circa diem 40, in femellis vero circa diem 80 ; idcirco Cangiamila cum aliis dicit, se in praxi neminem sub graviditatis exordiis obligare, additque : « *Usquequo Deus rei clariorem lucem non affundat ac aliud Ecclesia non praecipiat, curandae incisionis obligatio ante 40 diem imponenda non erit.* » Verum, cum juxta dicta (pag. 465) practice tenenda sit opinio, ceteroquin probabilior, quae docet animationem foetus locum habere in ipso peractae conceptionis momento ; rectius dicendum videtur, sectionem faciendam esse, quam citissime fieri potest, etiamsi conceptio a brevi tempore facta sit. **Resol. 2.** Non facile fidendum est medicis et chirurgis infantem mortuum esse testantibus, siquidem id raro omnino certo sciant. Praeterea si jura maritum vivum semper praesumunt, etsi nimis diuturna fuerit ejus absentia, et secundas prohibent uxori nuptias ; quanto magis vivi praesumendi sunt infantuli, ut eis baptismum conferre studeamus? Praesertim quia non raro divina Providentia, quae illos ab aeterna morte per baptismum liberare contendit, eosdem, contra omnium physicarum rationum apparentia argumenta, custodit incolumes.

R. Ad 3^{um}) Cura faciendi sectionem matris mortuae incumbit chirurgis, medicis, aliisque personis peritis ; idque charitas exigit erga prolem in extrema necessitate praesertim spirituali constitutam. Utrum vero, in defectu aliorum, ad hoc teneatur etiam *parochus* aut alius *sacerdos*, DD. *disputant*. Alii *affirmant*, quibus assentire videtur Card. Dechamps (1) ; alii

(1) Lettre de S. G. Mgr l'Archevêque de Malines à l'occasion du projet de loi annoncé sur l'opération césarienne. Ap. Revue générale, année 1869, p. 341.

negant cum GOUSSET ob duplicem quam adfert rationem : « *Cette opération convient peu à notre caractère ; il* [le curé ou autre prêtre] *s'exposerait d'ailleurs à être inquiété par les magistrats* » (II, 83).

Resolvitur. Ad minus laudandi sunt sacerdotes qui modum sectionem caesaream faciendi sedulo addiscunt, ut vel operationem per alterum faciendam dirigere, vel, in defectu aliorum, si gravissima incommoda timenda non sint et animum habeant, ipsimet eam practicare valeant.

R. Ad 4^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant** : dicunt enim subesse semper periculum causandi mortem matris, adeoque sectionem esse de se occisivam ; alii rectius **affirmant**, si chirurgus ita sit peritus et mater ita robusta, ut cum fundata spe conservandi matrem possit ex illius utero proles extrahi alioquin sine baptismo moritura ; idque affirmant praesertim in casu quo sectio unicum medium sit non tantum baptizandi prolem, sed etiam conservandi matrem.

Resolvitur. Casu occurrente, ex circumstantiis dijudicandum est, an sectio matris vivae probanda vel improbanda sit.

R. Ad 5^um^) *Controvertitur.* Interim *probabile* est, quod mater non teneatur eam pati, ut puer baptizetur. Nemo enim tenetur cum vitae periculo succurrere proximo in necessitate extrema spirituali, nisi sit spes moraliter certa salvandi proximum (tom. I, pag. 316) : jam vero incertum est, an puer vivus educi et baptizari poterit.

Resolvitur. 1°) Pro **praxi** itaque audiatur GOUSSET : « *Si l'opération est jugée nécessaire pour sauver la mère de l'enfant, on exhortera cette femme à s'y soumettre avec confiance et résignation, en mettant en avant les motifs les plus capables de l'y déterminer. Mais un confesseur prudent, quelle que soit son opinion sur une question si délicate, ne l'y obligera pas sous peine du refus de l'absolution : car en supposant même qu'elle fût obligée de subir l'opération, il faudrait la laisser en bonne foi.* » **Resol. 2°)** Ex dictis **sequitur, quid agendum sit confessario, qui in confessione puellae**

moribundae audit eam esse gravidam, idque omnino esse **occultum. A**) Debet eam inducere, ut extra confessionem praegnationem suam alicui declaret, ut, si forte moriatur, foetus secreto possit extrahi et baptizari. Ipsa enim tenetur baptismum, in quantum fieri potest, proli procurare etiam cum detrimento propriae famae. **B**) Si ita monita nolit assentire, caveat confessarius ne, foetus animam liberare cupiens, matris animam incaute damnet. Unde non statim pronuntiet negandam esse absolutionem : nam plerumque erit concedenda, ut si signa conceptionis non sint omnino certa, aut non sint ultra 40 dies a conceptione : « *quia tunc,* ut scribunt TT. Mechl. (*de poenit* n. 114, q. 111) *obligatio est incerta nec propterea urgenda ;* » sed quid de hac sententia sentiendum sit, liquet ex dictis (pag. 482) ; aut si puella bona fide putet, foetum esse mortuum aut non posse sibi supervivere, ita saltem ut detur spes fundata baptismi ei conferendi ; imo si putet bona fide, se non teneri ad prodendam famam propter spem remotam procurandi salutem prolis. In his enim casibus, saltem ut dubie disposita, in periculo mortis erit absolvenda. **C**) Si denique unice ex confessione statum puellae cognoscat, sive ante sive post mortem, ita se gerere debet, ac si nihil sciret, adeoque non potest rem aliis indicare ; secus violaret sigillum.

Ad **praecavendas difficultates,** recte monet Braunman cum aliis : confessarium vocatum ad puellam moribundam, cujus vivendi ratio suspicionem ingerit, ne forte sit gravida, priusquam se accingat ad confessionem ipsius audiendam, nisi sit periculum in mora, provide a parentibus aliisve, praesertim vero a medico sciscitari, quae fuerit illius conversatio, quae morbi causa, etc., ut si gravidam esse intelligat, facilius in confessione et post eam procedere valeat.

DE CONFIRMATIONE.

PRAEAMBULUM. Ut docet S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 6), « *ita se habet* **confirmatio** *ad baptismum, sicut augmentum ad generationem* » Nimirum, ut rem explicat (*ibid.* a. 1) : « *Vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae.... In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam,* » contra hostes fidei, « *ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteamur* » (*ibid.* a. 9), « *sicut patet,* ait (*ibid.* a. 5), *exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae.* » Eo igitur **utilius** est hujusmodi sacramentum, quo homo quilibet in statu naturae lapsae debilior est et inconstantior; praeterea, ut habet Catech. Rom., « *nunc certe opus est illud quam maxime illustrare, cum in Sancta Dei Ecclesia hoc sacramentum a multis omnino praetermittatur, paucissimi vero sint qui divinae gratiae fructum, quem deberent, ex eo capere studeant.* » Agemus in diversis **capitibus** : 1°) de *quidditate* et *effectibus* confirmationis, ubi de *donis* et *fructibus* Spiritus Sancti; 2°) de hujus sacramenti *materia* et *forma;* 3°) de *ministro, subjecto* et *necessitate* confirmationis; 4°) de *patrinis* confirmationis, *tempore* et *loco* quo administrari possit; 5°) de ejus *caeremoniis* earumque *mystica significatione.*

CAP. 1. De quidditate et effectibus Confirmationis, ubi de donis et fructibus Spiritus S.

Q. 1. *Quid* 1°) sit Confirmatio; 2°) *quomodo* adhuc *vocetur;* 3°) *quandonam* fuerit instituta, et 4°) sitne verum *sacramentum?*

R. Ad 1^um^) Confirmatio, sic dicta a primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem intrepide profitendam, definiri potest : « *Sacramentum N. L., quo, per manus impositionem et unctionem chrismatis sub praescripta verborum forma, datur robur gratiae ad profitendam tuendamque fidem in Baptismo susceptam.* »

R. Ad 2^{um} Vocatur etiam a materia proxima : *Chrismatio, Unctio, Manuum impositio* ; a forma : *Signaculum* seu *Sigillum* ; ab effectu : *Perfectio, Consummatio,* seu, ut habet S. THOM. (p. 3, q. 72, a. 1 ad 2), *Sacramentum plenitudinis gratiae.*

Explanatur. Confirmatio ab *effectu*, scilicet a *gratia habituali* quae confertur vi hujus sacramenti, vocatur **Perfectio, Consummatio** seu sacramentum **plenitudinis gratiae,** «non quasi, ait DAELM., nulla major dari posset, vel eadem non posset augeri ; nam si quis rite dispositus immediate post susceptam Confirmationem sumeret sacramentum Eucharistiae, talis indubie majorem gratiam perciperet, quam si solam Confirmationem suscepisset. Ideo igitur gratia habitualis, quae confertur per hoc sacramentum, vocatur *plenitudo* Spiritus S., quia est quasi complementum, quod hominem taliter in gratia perficiat, ut ab eo vocari possit et sufficienter sit **perfectus christianus.**» Audiatur S. THOM. (*l. c.* a. 1 in cor.). rem explicans similitudine deducta ex iis quae in vita corporali aguntur : « *Manifestum autem est*, ait, *quod in vita corporali specialis quaedam perfectio est quod homo ad perfectam aetatem perveniat et perfectas actiones hominis agere possit ; unde et Apostolus dicit* (1 COR. XIII, 11) ; cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli ; *et inde est etiam quod praeter motum generationis, quo aliquis recipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam aetatem. Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio ; in confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae.* »

R. Ad 3^{um}) De *tempore* ejus institutionis DD. *disputant.*

Explanatur. Alii eam institutam dicunt in ultima coena, quando Christus promisit Apostolis Spiritum S., ipsis dandum in die Pentecostes, his verbis (JOAN. XVI, 7) : « *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.*» Et ideo Ecclesia, inquiunt, quotannis adhuc eadem die novum chrisma conficere et benedicere, vetusque comburere solet. Quam sententiam fundant in *Epist.* 2 FABIANI Papae *ad Episcopos Orientales* (cap. 1), ubi dicit : « *In illa die Dominus, postquam coenavit*

cum discipulis suis et lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis praedecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit. » Et subdit : « *Lavatio pedum significat baptisma, quod Sancti Chrismatis unctione perficitur.* » Sed haec Fabiani epistola non secus ac aliae decretales ante Siricium Papam, passim ab eruditis censentur supposititicae ob varias rationes quas adfert Emm. Schelstraete fol. 447-459.—Alii dicunt institutam fuisse post resurrectionem, cum Christus loqueretur Apostolis de regno Dei, et iterum ipsis promisit Spiritum S.; vel, cum contulit illis plenitudinem potestatis episcopalis, dicens (Joan. XX, 21) : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* »—Alii autumant hujus sacramenti institutionem inchoatam quidem fuisse in ultima Coena per designationem materiae et formae, sed completam et ultimatam post resurrectionem (Joan. XX, 21) per designationem et institutionem ministri, ut docent Bonac., Conin., Fill., Henriq.

Resolvitur. Placet sententia S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 1 ad 1) : « *Dicendum quod Christus instituit hoc sacramentum,* non exhibendo, *sed* promittendo, *secundum illud* (Joan. XVI, 7) : Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem secundum illud* (Joan. VII, 39) : Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Christus itaque hoc sacramentum instituit **non exhibendo**, i. e. non administrando illud alicui, prout administravit Eucharistiam et Ordinem; **sed promittendo** illius effectum. « Imo, ut scite notat Daelm., nec Apostoli, antequam in die Pentecostes Spiritus S. plenitudinem accepissent, cuipiam hoc sacramentum administrarunt : mittendus enim erat Spiritus S. loco Christi, prout ipse testatur (Joan. XVI, 7) dicens : *Si autem abiero, mittam eum ad vos*; et ideo in civitate sedere jubebantur, donec induerentur virtute ex alto. Promissum igitur Patris Spiritum repentino sono et linguis igneis ipso Pentecostes die Apostoli acceperunt sine sacramento Confirmationis, idque per potestatem **excellentiae**; eodem modo, sicut Apostolos in ultima Coena sacerdotes et episcopos creaverat his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, sine manuum impositione, et sine ulla instrumentorum traditione, ita etiam hic effectum Con-

firmationis illis sine sacramento contulit. Aderant quidem in effusione Spiritus S. super Apostolos sensibilia signa, ut sonus et linguae ignitae, sed deerant verba; praeterquam quod ea sensibilia signa stabiliter non essent frequentanda, et proinde Sacramenti rationem obtinere non possent. Ex quo autem Apostoli induti erant virtute ex alto, coeperunt et ipsi mundum jugo Christi subdere, et plenitudinem Spiritus S. aliis elargiri. »

R. Ad 4^um^) CONFIRMATIONEM esse verum et proprium N. L. sacramentum de fide est, definitum in TRID. (sess. VII, *de conf.* can. 1-2).

Explanatur. Colligitur : Tum ex **Scriptura**, quae narrat (ACT. VIII, 15-17) : quod Petrus et Joannes missi Samariam ad fideles a Philippo diacono jam baptizatos, « *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum ;* » et « *tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* » Tum, et quidem praecipue, ex **Traditione**, quam praeter testimonia SS. PP. aliaque instrumenta, luculenter exhibent : **A**) sensus et praxis Ecclesiae ; **B**) perpetuus Ecclesiae utriusque occidentalis et orientalis in septenario sacramentorum numero consensus, cujus universalis omnium consensionis causa alia afferri non potest, quam primigenia atque apostolica doctrina, juxta tritam AUGUSTINI regulam : « *Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* » Cfr. supra (pag. 339 seq.).

Q. 2. *Quinam* sint *effectus* CONFIRMATIONIS?

R. Sunt hi *quatuor* sequentes.

Explanatur. 1°) Imprimit **characterem** indelebilem (p. 371). 2°) Si non inveniat obicem, confert **gratiam sanctificantem**, per se *secundam*, quae annexam habet **majorem abundantiam** virtutum et septem donorum Spiritus S., de quibus ISAIAS (XI, 2-3) : « *Et requiescet super eum Spiritus Domini : Spiritus* SAPIENTIAE *et* INTELLECTUS, *Spiritus* CONSILII *et* FORTITUDINIS, *Spiritus* SCIENTIAE *et* PIETATIS, *et replebit eum Spiritus* TIMORIS *Domini.* » Imo, in initio Ecclesiae, huic gratiae saepe conjungebatur donum miraculorum, linguarum, prophetiae, etc. 3°) Confert **gratiam sacramenta-**

lem, i. e. gratiae habitualis specialem vigorem et robur ad fidem alacriter et fortiter etiam in vitae discrimine propugnandam, cum ordine et jure ad auxilia his actibus necessaria. 4°) Jure ecclesiastico inducit **cognationem spiritualem.**

Scholion 1. Ad majorem eruditionem, juvat de **donis Spiritus S.** sequentia adnotare. 1°) « Sicut cum **gratia sanctificante**, quae confertur *ex opere operantis*, velut vi contritionis perfectae, infunduntur simul supernaturales virtutum tum theologicarum tum moralium habitus; ita etiam, docente Trid. (sess. VI, c. 7), quando confertur gratia *ex opere operato Sacramenti*, iidem simul infunduntur habitus : quoniam qui dat formam, etiam proprietates ad illam consequentes dat; habitus vero illi se ad gratiam sanctificantem instar proprietatum habent » (Theol. Wirceb.), eamque « sequuntur et comitantur, ut reginam » (Mazz.); ita quidem, ut si gratia *prima* infundatur, simul infundantur virtutes; si autem infundatur gratia *secunda*, etiam proportionate ad gratiae augmentum virtutes augeantur, sicut ad productionem et augmentum ignis producitur et crescit calor. Imo cum gratia sanctificante ipsa *persona Spiritus S. cum suis donis* interiori missione justis donatur, eosque per quamdam substantialem sui conjunctionem facit sanctos et filios Dei adoptivos, conformiter ad doctrinam S. Thom. (p. 1, q. 43, a, 3 ubi dicit : « *In ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem.* » Quam inhabitationem substantialem, ut diximus (tom. I, 309) Patres et latini et graeci professi sunt, quorum testimonia refert Petavius. 2°) Quoniam vero, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 1 in cor.) « *sacramenta novae legis ordinantur ad speciales gratiae effectus*, » hinc praeter gratiam *sanctificantem* quae est communis effectus omnium sacramentorum, datur gratia **sacramentalis** quae inest singulis sacramentis cujusque propria. Haec, ait (*ibid.* a. 7 ad 5) « *gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum;* » seu, ut supra (pag. 367) diximus ex Bill., est « novus modus intrinsecus perfectionis seu specialis vigor gratiae communiter dictae superadditus cum ordine, seu exigentia et jure ad auxilium actuale suo tempore conferendum, » ad finem cujuslibet sacramenti consequendum. Ex quo sequitur

gratiam sanctificantem, quae annexam habet *infusionem virtutum, collationem Spiritus S. et donorum*, in unoquoque sacramento habere vim propriam, novum modum intrinsecum perfectionis seu specialem vigorem ad diversos et speciales effectus cujuslibet sacramenti consequendos. Unde quoque, loquens de confirmatione, immediate subjungit S. THOM. : « *Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quae prius inerat, augetur. Si autem consideretur in quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa.* » 3°) Itaque in omni sacramento, si non adsit obex, datur **Spiritus Sanctus**, dantur et **dona**, sed **non eodem modo** nec in ordine ad eosdem effectus. Sic in Baptismo traduntur « *ad innocentiam* » ut habet MELCHIADES Papa apud S. THOM. (p. 3, q. 72, a. 1); i. e. « ad novam vitam in Christo instituendam, ad remissionem totius culpae et ad rite suscipienda alia sacramenta » (BILL.); at in Confirmatione « *datur Spiritus S.* AD ROBUR, *sicut datus est Apostolis in die Pentecostes*, » ut tradit CONC. FLOR. ex S. THOM. (*ibid.* a. 7). « *Qui enim*, ait CATH. ROM. n. XVII, *per Baptismum christiani effecti sunt, quasi* infantes modo geniti *teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent. At deinde, Chrismatis sacramento, adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus* robustiores *fiunt, et eorum animus* in fide omnino confirmatur *ad confitendum et glorificandum nomen D. N. J. C., ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit.* » Cujus divini roboris et fortitudinis, quae hoc sacramento confertur, exemplum longe omnium maxime illustre ab ipsis Sanctis Apostolis sumit idem CATH. ROM. illudque pulcherrime evolvit n. XIX. — Eadem doctrina elucet ex iis quae habet S. THOM. (p. 3, q. 79, a. 1 ad 1), ubi, comparationem instituens inter Confirmationem et Eucharistiam, de hac dicit : « *Ex efficacia virtutis ipsius est quod..., gratia augeatur et vita spiritualis perficiatur,* ALITER *tamen quam per sacramentum* CONFIRMATIONIS *in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra* EXTERIORES IMPUGNATIONES INIMICORUM CHRISTI ; *per hoc autem sacramentum* [scilicet EUCHARISTIAM] *augetur gratia et perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo* IN SEIPSO PERFECTUS EXSISTAT PER CONJUNCTIONEM AD DEUM. » 4°) Porro **dona Spiritus S.** ex S. THOM. (1.2.q.68,a.1 et 3) sunt :

« *Quidam habitus quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto ;* » seu paulo uberius, sunt *habitus supernaturales, quibus animae vires disponuntur ad bene et prompte obediendum motioni speciali Spiritus S.* Dicitur A) : *habitus supernaturales ;* et in hoc conveniunt cum virtutibus infusis et distinguuntur a virtutibus naturalibus. Dicitur B) : *quibus animae vires* etc. ; quibus verbis indicatur donorum specifica natura eorumque distinctio a virtutibus infusis. Nam, ut notat S. Thom. (1.2.q.68,a.2 in c.) : «*In ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio movet, secundum quod est aliqualiter et imperfecte informata per virtutes theologicas non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti, secundum illud* (Rom. VIII, 14) : qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt... et haeredes; *et* (Psalm. CXLII, 10) *dicitur* : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; *quia scilicet in haereditatem illius terrae beatorum nullus potest pervenire, nisi moveatur et deducatur a Spiritu Sancto. Et ideo ad illum finem consequendum necessarium est homini habere donum Spiritus Sancti.* » 5°) Quamvis de **septenario numero** donorum, ut notat Suar. (*de grat.* l. VI, c. X, n. 10), nihil certum habeatur, hunc tamen donorum numerum ex textu supra (p. 488) allato communiter inferunt SS. Patres et cum S. Thom. Theologi, retinetque consensus Ecclesiae. Cfr. S. Thom. (1. 2. q. 68. a. 4) et praesertim (2. 2. q. 8, a. 7), ubi de *septenario* numero donorum loquitur. Et quidem virtuti *fidei* respondet donum **intellectus** ; virtuti *spei* donum **timoris** ; virtuti *charitatis* donum **sapientiae** ; virtuti *prudentiae* donum **consilii** ; virtuti *justitiae* donum **pietatis** ; virtuti *fortitudinis* donum **fortitudinis** et virtuti *temperantiae* donum **scientiae**, quod tamen donum etiam virtuti *fidei* respondit. Nam per *scientiam* cognoscimus res creatas, quatenus nos vel ad Deum ducunt, vel a Deo retrahunt. Res creatae secundum quod nos ad Deum *ducunt*, considerantur a dono *scientiae* virtuti *fidei* annexo ; secundum quod vero nos a Deo *retrahunt*, donum *scientiae* annectitur virtuti *temperantiae* : quae enim nos fortius et vehementius a Deo elongant sunt delectabilia sensus quae virtute *temperantiae* regulantur, et quorum caducitatem ac vilitatem nobis ostendit donum *scientiae*. 6°) Loquendo de singulis, donum **intellectus** est habitus quo quis disponitur ut peculiari instinctu moveri

possit ad divina recte capienda, et juxta suam conditionem, vel penetranda vel assequenda. Sive, ut loquitur S. Thom. (2. 2. q. 8, a. 5), est « *illustratio mentis circa aestimationem rectam de ultimo fine.* » Donum **sapientiae** hominem disponit, ut sit prompte mobilis a Spiritu S. ad bene judicandum de rebus divinis, etiam excellentiori et extraordinario modo cognitis, et quomodo sit eis inhaerendum et ab oppositis recedendum. Sive, ex S. Thom. (2. 2. q. 45, a. 5), est « *rectitudo judicii tam in contemplatione divinorum, quam in ordinatione rerum humanarum, secundum divinas regulas, quantum est necessarium ad salutem.* » Donum **scientiae** hominem disponit ad hoc, ut ex speciali illustratione possit cognoscere de rebus humanis, non utcumque, sed quatenus nos ad Deum ducunt. Donum **consilii** est habitus quo disponimur et prompti reddimur ad bene deliberandum et resolvendum, quid in rebus difficilioribus, praesertim inopinatis, ad salutem aut ad Dei gloriam pertinentibus, optimum factu sit. Seu, ut ait S. Thom. (2. 2. q. 52, a. 1 ad 3), « *in quantum ratio a Spiritu Sancto movetur vel instruitur de agendis, competit filiis Dei donum consilii.* » Per donum **pietatis** ex S. Thom. (2. 2. q. 121. a. 1) prompte disponimur *ad exhibendum cultum et officium Deo ut Patri, et omnibus subinde hominibus, quatenus ad Deum pertinent.* Et sic differt a virtute religionis, qua Deum colimus ut Creatorem et Dominum; et a virtute pietatis, qua parentes carnis nostrae colimus. Per donum **fortitudinis** prompti reddimur vel ad forti animo toleranda adversa, maxime inexspectata, vel ad gravia ac insolita pericula aggrediendum. Denique donum **timoris** nos disponit ad prompte ac vehementiori et extraordinario modo recedendum a malis, praesertim a delectationibus et concupiscentiis; seu, ex S. Thom. (2. 2. q. 19, a. 9) est habitus supernaturalis quo « *Deum reveremur et refugimus nos ipsi subducere.* » — De **donis Spiritus S.** late tractat S. Thom. (1. 2. q. 68 in octo articulis); item (2. 2. q. 8, aa. 1-8; — q. 9. aa. 1-4; — q. 19, a. 9; — q. 45, a. 1; — q. 52, a. 1; — q. 121, a. 1; — q. 139, a. 1) Cfr. Nat. Alex. (II, 593-640), qui singula dona Spiritus Sancti effatis SS. Patrum erudite illustrat; Puig et Xarrié; praecipue *Mystica Theologia D. Thomae*, auctore R. P. Thoma a Vallgornera O. P. Nova editio P. Berthier. Augustae Taurinorum, Marietti 1881, 2 vol.

Scholion 2. Ex virtutibus et donis Spiritus S. suavissimi fructus consequuntur, qui vocantur **fructus Spiritus S.** Ad quorum intelligentiam praestat sequentia adnotare. 1°) Observandum est cum Sylv. (in 1. 2. q. 70. a. 1) : « quod **nomen fructus** in spiritualibus *dupliciter accipitur* : uno modo, fructus dicitur id quod homo producit; alio modo, id quod homo adipiscitur, non quomodocumque, sed ultimo et cum delectatione. Juxta posteriorem modum fructus non est actus, sed est ipse finis ultimus, nimirum Deus. Juxta priorem vero, fructus est actus. Sicut enim in corporalibus, hoc vocatur fructus arboris, quod ex arbore procedit, cum ipsa pervenerit ad perfectionem, ita ut neque flores neque folia proprie dicantur ejus fructus, sed ultimum quod ex ipsa percipitur cum delectatione; sic in spiritualibus fructus dicuntur operationes sive actus boni qui ab homine fiunt; et, si quidem fiant ab homine secundum facultatem suae rationis, dicuntur esse *fructus Spiritus*. Si vero procedant ab homine secundum altiorem virtutem, quae est virtus Spiritus Sancti, sic vocantur *fructus Spiritus Sancti*. » 2°) Hinc **fructus Spiritus S.** describi possunt : *Bona opera per gratiam Spiritus Sancti facta in quibus homo delectatur,* non sicut in ultimo fine; sed, ut notat S. Thom. (*l. c.* ad 2), propter honestatem quam continet id quod est delectabile in actibus virtuosis, ad modum quo infirmus delectatur in medicina suavi, etiam propter gratum saporem in ipsa contentum. 3°) Porro ex Apost. (Gal. V, 22-23) **duodecim** fructus Spiritus S. numerantur, videlicet : « *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* » Quos fructus fuisse ab Apostolo **convenienter** enumeratos, nitidissime explicat S. Thom. (*l. c.* a. 3). 4°) Ex dictis intelligi potest quod fructus Spiritus S. **distinguantur** ab habitibus virtutum et donorum, sicut eorum effectus, sive sicut actus distinguuntur ab habitibus. Praeterea, ut docet S. Thom. (*l. c.* a. 2) fructus differunt a **Beatitudinibus** (de quarum numero tractat 1. 2. q. 69. a. 3) : quia plus requiritur ad rationem *beatitudinis*, quam ad rationem *fructus*. Nam ad rationem *fructus* sufficit, quod sit actus bonus ab homine per Dei gratiam factus, habens rationem delectabilis; sed ad rationem *beatitudinis* ulterius requiritur, quod sit aliquid perfectum et excellens. Unde omnes beatitudines possunt dici fructus, sed non e

converso. Et hinc quoque, ut docet S. Thom. (1. 2. q. 70 a. 2) *beatitudines* ratione suae perfectionis « *magis attribuuntur* DONIS *quam* VIRTUTIBUS. » Quare *beatitudines* dici possunt quaedam opera eximia virtutum ac praecipue donorum, quatenus peculiari quadam ratione conducunt ad veram ac coelestem beatitudinem adipiscendam.

CAP. 2. De materia et forma confirmationis.

Q. 3. *Quaenam* sit materia *remota* CONFIRMATIONIS ?

R. Materia *remota* est partim *chrisma*, partim *manus* ministri.

Explanatur. Dixi : 1°) *partim* **Chrisma**. Et quidem CHRISMA conficitur ex *oleo olivarum*, quod proprie et simpliciter oleum dicitur, et *balsamo* cujusvis regionis. Unde adhiberi potest non tantum balsamum *Palestinae*, sed etiam « *ex Brasilia aliisque novi Orbis Indiarumve regionibus allatum* », ut constat ex BENED. XIV Const. « *Ex quo primum* » § 52 (1 Mart. 1756). Interim heic *disputatur* : utrum *balsamum* sit necessaria materiae pars. Alii *negant*; alii *affirmant* cum S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 3), quibus suffragatur Conc. FLOR. inquiens : « *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto.* » Quare haec sententia ad minus est *tutior*, ac proinde sequenda. Sufficit tamen in ea quantitate, quae satis est, ut sui odorem dare possit, nec est necessarium, ut omnibus olei partibus misceatur. Interim docet S. LIG. (VI, 162) ex LACR. et GOB., « quod in articulo mortis bene possit conferri confirmatio sub conditione *solo oleo*, si nequeat haberi chrisma ex balsamo quoque confectum : magna enim utilitas hujus sacramenti justa esset causa illud sub conditione ministrandi. » (Cfr. pag. 386 seq.). Similiter DD. *disputant* : utrum de necessitate *sacramenti* requiratur, quod chrisma sit *benedictum*. Cfr. N. R. T. (XIII, 405). Ast quidquid sit de *speculatione*, **practice** debet esse benedictum ab episcopo, vel ex commissione S. Pontificis a *sacerdote*; non enim dubitari potest, quin Pontifex, qui simplici sacerdoti committere potest sacramenti hujus administrationem, eidem

chrismatis confectionem committere quoque valeat. Interim fatetur Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. VIII, n. 2) : « *ut plurimum non aliter consuevisse a Summis Pontificibus simplices sacerdotes insigniri potestate administrandi sacramentum confirmationis, nisi sub expressa conditione adhibendi chrisma, non a se, sed ab episcopo consecratum.* » Praeterea de necessitate *praecepti* requiritur, et quidem sub gravi, ut chrisma sit illius anni. In hunc enim finem singulis annis novum chrisma consecratur in *Coena Domini*, vetere combusto.—Dixi : 2°) *partim* **manus** ; nam aliquam manus impositionem in confirmatione requiri, negare non possumus, quum hanc prae ceteris caeremoniis commemoret Scriptura (Act. VIII, 17; item XIX, 6). Et licet ex eo inferri nequeat, unctionem chrismatis ab essentia excludi, quod catholicae doctrinae prorsus adversatur, juste tamen infertur, impositionem manus etiam includi debere. Interim non requiri aliam impositionem manus quam quae fit per ipsam chrismationem, ex illico dicendis patebit.

Q. 4. *Quaenam* sit materia *proxima* Confirmationis ?

R. Est partim *chrismatio*, partim *manus impositio*, indistincta tamen ab ipsa chrismatione.

Explanatur. Aliis verbis cum Bill. : materia *proxima* adaequata et essentialis sacramenti confirmationis « *est conjunctive unctio chrismatis et manus impositio ab ipsa unctione indistincta.* » Haec est sententia communis quam docuit S. Thom. (p. 3. q. 72, a. 2; et lect. I in cap. VI Hebr.), estque omnino **tenenda**, ut constat ex Bened. XIV Const. cit. « *Ex quo primum.* » Memorata enim controversia quae agitatur in Ecclesia latina inter TT., an impositio manuum et unctio chrismatis sint materia *distincta* vel *indistincta* hujus sacramenti, docet Pontifex : « *Quod itaque* extra controversiam *est, hoc dicatur : nimirum in Ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate seu oleo olivarum, balsamo commixto et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat.* » Quibus verbis citatis, concludit S. Lig. (VI, 164) : « Ibi igitur **extra controversiam** esse docet, valide sacramentum conferri cum sola chrismatis unctione adhibita per manum episcopi, et unicam esse formam eam, quae unctionem

comitatur. Qui autem huic declarationi dogmaticae Pontificis in hac constitutione totam Ecclesiam docentis, in re quae ad fidem pertinet, acquiescere nollet, aliud objicere non posset, quam Pontificem, etiam ubi Ecclesiam docet, non esse infallibilem. » Ast hujusmodi oppositio jam foret aperte haeresis. Quare materia proxima non consistit partialiter, ut olim plures volebant, in *generali impositione manus*, quae nimirum fit, dum episcopus, antequam singulos per ordinem confirmet, manu extensa versus omnes confirmandos simul orat, ut in eos descendat Spiritus Sanctus. Secus in sententia eorum qui sustinent omnium sacramentorum materias et, quoad substantiam, etiam formas, fuisse a Christo *in specie* determinatas, sequeretur : sacramentum confirmationis haud amplius exstare apud graecos et orientales, qui illa manuum extensione non utuntur, quod admitti nequit. Sufficit itaque extensio manuum quam adhibet episcopus in chrismando; et ideo si confirmandus huic impositioni praeambulae seu generali praesens non adfuerit, *non est repetenda confirmatio sub conditione*, ut constat ex declaratione S. C. DE PROP. FIDE (6 Aug. 1840). Nam ad **dubium** : « *An praetermissa ab episcopo prima manuum impositione super confirmandos, repetendum esset sacramentum* sub conditione, *vel potius* tuta conscientia *sic confirmati in bona fide relinquendi essent?* » **Resp.** S. C. « *Non esse repetendam confirmationem sub conditione.* » — Et quidem de **necessitate sacramenti**, ut liquet ex modo dictis, chrismatio fieri debet *immediate* manu ministri, non mediante instrumento, v. g. penicillo : quia tunc deesset proprie manus impositio. Nec dicas, quod extr. unctio valide ministretur medio instrumento : nam in illo sacramento impositio manus non requiritur ad valorem, sicut in confirmatione. De **necessitate praecepti** debet insuper fieri tum *pollice dextro*, sed hoc videtur leve juxta S. LIG. (VI, 165); tum *in fronte* et *in forma crucis*, et quidem sub gravi; immo, juxta probabilem sententiam, de *necessitate* **sacramenti**, ut deducitur ex perpetua et universali Ecclesiae praxi, ab ipsa Christi institutione repetenda. « *Ideo* IN FRONTE, *ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur*, ait Conc. FLORENT., *ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem ejus, quae* Judaeis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia *secundum Apostolum* (1 COR. I, 23 ; *propter quod* SIGNO CRUCIS *signatur.* »

Quod latius jam evolverat S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 9). Ejusdem ritus significationes mysticas tradit Catech. Conc. Trid. (part II, n. XX), necnon Bened. XIV (*Instit. eccles.* Inst. VI, n. 15). Cfr. N. R. T. (XIII, 395 seq.).

Q. 5. *Quae* sit *forma* Confirmationis ?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. In Ecclesia **latina** *forma* haec est : « *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* » Constat ex Catech. Rom., ubi dicitur : « *hanc esse veram et absolutam hujus sacramenti formam;* » et additur, quod « *auctoritas Ecclesiae catholicae non patitur de ea re quidquam dubitare.* » Eamdem formam tradit Eug. IV (in decreto ad *Armenos* post S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 4), qui et docet in hac forma adaequate explicari quae in hoc sacramento continentur, nempe : 1°) Signum militiae Christi, cui adscribuntur confirmati per verba : *signo te signo crucis;* 2°) effectus sacramenti, i. e. gratia roborans per verba : *confirmo te chrismate salutis;* 3°) causa gratiae, scilicet SS. Trinitas, per verba : *in nomine Patris*, etc. Quae omnia verba sunt ad minus necessaria *necessitate* **praecepti** graviter obligantis in Ecclesia *latina*. Imo, plerique docent, ea omnia, vel iis aequivalentia, esse pariter de *necessitate* **sacramenti** ; quam sententiam, velut *tutiorem*, utique tenebitur minister latinus sequi in praxi.

In Ecclesia **graeca,** teste Bened. XIX, Const. « *Ex quo primum* » forma est haec : « *Signaculum doni* seu *donationis Spiritus Sancti.* » Subintellige, juxta proprietatem graeci sermonis, maxime in propositionibus practicis, *tibi donatur*, aut *applicatur*, aut *confertur meo ministerio.* Hancque formam velut illegitimam nunquam reprobavit Ecclesia, imo et approbavit sub Urbano VIII, uti refert Illsung apud Croix. Hinc *speculative* loquendo, probabile est, in forma latina, ea tantum : *Confirmo te*, substantialia esse. Priora enim characterem significant, quem forma significare non solet; posterioribus vero non utitur Ecclesia graeca. Ast etiam probabile est, quod Christus hujus sacramenti formam non instituerit in *specie*, sed tantum *in genere* (pag. 380 seq.), relinquendo scilicet Ecclesiae potestatem determinandi aliam formam pro *latinis* essen-

tialem, et aliam pro *graecis;* et ideo alii dicunt, omnia, quae in forma latina referuntur, esse essentialia, eo quod Conc. Florent. omnia simpliciter nomine formae recenseat.

Resolvitur. Preces et benedictiones **finales** quae dantur in confirmatione, sunt tantum **accidentales,** et non pertinent ad essentiam istius sacramenti. Constat ex decis. S. Off. (22 Junii 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 620 seq.).

CAP. 3. De ministro, subjecto et necessitate Confirmationis.

Q. 6. *Quisnam* sit *minister* Confirmationis?

R. *Distinguendum* inter ministrum ordinarium et extraordinarium.

Explanatur. Minister **ordinarius** hujus sacramenti est *episcopus.* Est de fide catholica definitum in Conc. Trid. (sess. VII *de conf.* can. 3) : « *Si quis dixerit, sanctae confirmationis* ordinarium *ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* » Accedit ex S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 11 in cor.) ratio congrua, quam et affert Cath. Rom., scilicet : Ultima cujusvis operis consummatio supremo servatur artifici. Confirmationis autem sacramentum est quasi ultima consummatio Baptismi : per Baptismum enim aedificatur homo in domum spiritualem juxta illud (1 Cor. III, 9) : *Dei aedificatio estis.* Sed per sacramentum Confirmationis quasi domus aedificata dedicatur in templum Spiritus Sancti. Ergo sacramenti hujus administratio ad solos episcopos, qui summam in Ecclesia potestatem habent, ordinario jure pertinet. Quod confirmat Bill. sequenti argumento : designare milites seu adscribere militiae non est quorumcunque, sed Regum tantum et Ducum, aliorum autem nonnisi ex commissione : atqui per Confirmationem homo designatur miles Christi seu ejus militiae adscribitur. Ergo. — At ex delegatione, hodie *solius* Romani Pontificis, quivis presbyter, potest esse hujus sacramenti minister **extraordinarius,** uti post S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 11 ad 1), declarat Conc. Flor. inquiens : « *Legitur tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa,* simplicem sacerdotem, *chrismate per episcopum confecto, hoc*

administrasse confirmationis sacramentum. » Quam dispensationem concesserunt plures Pontifices, ut refert Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, cap 7, n. 5 seq.), qui et ipse Bulla « *Eo quamvis tempore* » § 8 (4 Maii 1745) indulsit, ut sacerdotes missionarii darent Coptis, in casu necessitatis, confirmationem. Nec desunt exempla ad hanc usque diem : et ita an. 1884, grassante in Neapoli morbo asiatico, concessa fuit archiepiscopo facultas delegandi sacerdotes, qui hoc sacramentum moribundis ministrarent. Adhibendum tamen chrisma ab episcopo benedictum, nisi sacerdos facultatem conficiendi chrismatis a Papa simul accepisset. Praeterea, si qui presbyteri ex delegatione R. Pontificis confirmant, ex decreto S. C. de Prop. Fide (21 Mart 1774), a Clem. XIV confirmato, ac novissime in *Appendice* ad Rit. Rom. apposito, severe prohibetur, ne audeant insignia pontificalia assumere; sed, ut praescribitur in « *Instructione* » ejusdem S. C. de Prop. Fid. (4 Maii 1774), vestibus *sacerdotalibus*, vel saltem *alba* et *stola* induti confirmationem administrent, et antea vernacula lingua delegationem suam populo praelegant et explicent, ne doctrina : solum episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum, oblivioni tradatur. Dixi : *hodie solius Rom. Pontificis;* nam quidquid sit de quaestione inter DD. ventilata, num ex *jure divino* delegatio R. P. requiratur, num vero sufficere possit delegatio episcopi; « *omnibus in confesso est, irritum nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino, ex sola episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit,* » uti declarat Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. VIII, n. 7).

Resolvitur 1. Rectissime scribit Bull. ad mentem S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 11 ad 1) : « Confirmare *jure ordinario* esse actum ordinis *episcopalis;* confirmare autem *jure extraordinario* esse actum ordinis *sacerdotalis*, quatenus per illum confertur potestas inchoata et incompleta [seu radicalis] ad confirmandum, quae per legitimam dispensationem Ecclesiae perficitur et completur; eo ferme modo quo episcopus vi suae ordinationis est minister ordinarius Ordinum, et simplex sacerdos vi suae ordinationis habet quod possit delegari ad eos saltem aliquos conferendos. Dum autem conceditur sacerdoti facultas confirmandi, non ei committitur actus ordinis *episcopalis*, quia non instituitur minister ordinarius; sed committitur ei actus sui ordinis *sacerdotalis*, ut sit nempe minister

extraordinarius. **Resol. 2.** Quoniam igitur *episcopus* ex vi ordinis sui completam habet potestatem valide confirmandi ; *presbyter* vero ex sola delegatione completam potestatem habere potest, qua valide confirmet ; patet inter utrumque id discriminis esse : quod *presbyter* valide sacramentum conferat, si non excesserit fines mandati ; invalide vero, si delegationem suam sive quoad tempus, sive quoad locum, sive quoad personas excesserit. Contra *episcopus*, etiamsi esset depositus, degradatus, aut haereticus, valide sacramentum confert omnibus et ubique ; sed si extra suam dioecesim, gravi non caret. In sua vero dioecesi, licite confirmat etiam extraneos ; quod consuetudine et tacita episcoporum concessione est introductum. **Resol. 3.** Papa electus, nondum episcopus, potest simplici sacerdoti dare licentiam confirmandi, ideoque, si necessitas foret, sibi ipsi sacerdoti : quia talis concessio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, sicut a pari episcopus nondum ordinatus potest dare facultatem absolvendi (Sass.). **Resol. 4.** Cum Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. IX, n. 5 dicendum est : in locis « *in quibus chrismatio data a sacerdotibus* graecis, *non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro* valida *est habenda, ob* tacitum *saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum ; cujus quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia RR. Pontificum, qui praedictum* graecorum *morem scientes non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt.* » Contra confirmatio est *irrita* reputanda in locis in quibus talis facultas graecis alteriusve orientalis ritus sacerdotibus fuerit ab Apostolica Sede expresse *adempta*. Unde presbyteri Italo-Graeci invalide confirmant, cum a Clem. VIII severe ipsis interdictum fuerit, ne baptizatos chrismate consignare praesumant, cujus decretum confirmavit Bened. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » (26 Maii 1742).

Q. 7. *Quodnam* sit *subjectum* capax Confirmationis 1°) *valide* ac 2°) *fructuose* suscipiendae ?

R. Ad 1^{um}) Subjectum capax sacramenti Confirmationis *valide* recipiendi est quivis homo viator, baptizatus, nondum confirmatus, etiam infantes ante usum rationis et perpetuo amentes, et, si adultus sit, habens intentionem habitualem saltem implicitam illud recipiendi. Nihilominus infantes ante

usum rationis hodie apud Latinos, regulariter loquendo, confirmare non licet, ut constat ex Bened. XIV, Const. « *Eo quamvis* » § 6 (4 Maii 1745), » *nisi in gravibus et urgentibus circumstantiis, super quibus conscientia episcopi oneratur*, » ut declaravit S. C. Conc. (23 April, 1774), v. g. si metuendum sit, ne alias sine hoc sacramento vita decedant, aut si alias illud diutius iis esset differendum.

Explanatur. Dicitur 1°) **viator** : propter rationes supra (pag. 416 seq.) allatas. Dicitur 2°) **baptizatus** : unde, ut ait S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 6 in c.), « *si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum.* » Ratio est : tum quia baptismus est janua aliorum sacramentorum, neque quis fieri potest particeps Christi, nisi in ejus corpus mysticum sit cooptatus. Tum quia ex S. Thom. (*ibid.*) « *ita se habet confirmatio ad baptismum sicut augmentum ad generationem ;* » unde a Conciliis et Patribus confirmatio dicitur consummatio et perfectio baptismi ; « *manifestum est autem, quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi prius fuerit natus.* » Tum quia id constat ex continuata ab Apostolis praxi Ecclesiae, quae nunquam nisi baptizatis contulit sacramentum confirmationis. Legitur quidem (Act. X, 44) quod « *Cecidit Spiritus Sanctus* » super Cornelium et alios nondum baptizatos ; sed id factum non est virtute sacramenti confirmationis cujus erant incapaces quodque minime receperant, sed per miraculum aut per virtutem divinam, quae « *virtus divina non est alligata sacramentis. Unde*, ait S. Thom. (ibid.), *potest conferri homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis, sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius, quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.* » Dicitur : 3°) **nondum confirmatus** ; quia sacramentum confirmationis imprimit characterem, ex quo fit, ut iterari non possit. Meminerunt quidem aliqui ex Patribus *manuum impositionis*, quae priscis temporibus saepius *reiterabatur* ; « sed notandum, ait Daelm., quod olim ex diversis causis et capitibus manus

imponerentur fidelibus : una manuum impositio erat in collatione Ordinis Sacri, quae etiam vi characteris erat initerabilis et de qua agit Apostolus alloquens Timotheum (Epist. I, cap. I, 6) : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Alia erat curativa, de qua loquitur Christus (Marc. XVI, 18) : *Super aegros manus imponent et bene habebunt.* Tertia denique reconciliativa, qua olim peccatores, praecipue in haeresim lapsi, Ecclesiae reconciliabantur, et quibus quasi in signum pacis et amicitiae manus imponebantur; et de hac ut saepius reiterabili loquuntur SS. Patres. » Dicitur : 4°) **etiam infantes ante usum rationis**; « quia, ut ait Billuart, argumentationem S. Thom. (*ibid.* a. 8 in c.) sic breviter complectens, per hoc sacramentum homo promovetur *in aetatem perfectam spiritualem* : atqui anima ad quam pertinet spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio est immortalis, et sicut potest tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita potest tempore juventutis et infantiae consequi perfectam aetatem spiritualem, quia hujusmodi corporales aetates animae non praejudicant. » Unde quoque sequitur **perpetuo amentibus** statim, ubi est commoditas, conferri posse hoc sacramentum, quia in eis non exspectatur usus rationis et sicut infantes, quibus merito aequiparantur, capaces sunt majoris gratiae et gloriae qua alioquin privarentur. Verum licet, teste Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. X, n. III), per plura saecula consuetudo viguerit infantibus ante usum rationis confirmationem statim post baptismum administrandi, hanc tamen disciplinam, quae etiamnum apud Graecos usitatur, Ecclesia postea mutavit decrevitque in variis Synodis non esse conferendum hoc sacramentum nisi iis qui usum rationis adepti fuerint; idque justis de causis stabilivit : « 1° ob periculum iterationis; 2° ut cum majori reverentia et fructu susciperetur; 3° quia cum sit secunda fidei professio, convenit, ut qui primam per alios fecerunt, secundam per se faciant. » (Bill.). Dicitur : 5°) **Et si adultus sit, habens intentionem habitualem saltem implicitam** etc. ; quae omnia patent ex generaliter dictis supra (pag. 421 seq.). Unde quoque qui usum rationis semel assecuti, postea in amentiam inciderunt, confirmari possunt : quia sufficit in eis intentio habitualis *implicita* seu *generalis* aut *confusa*, quam alii vocant *inter-*

pretativam, suscipiendi tempore opportuno sacramenta ad animarum salutem a Christo instituta, quorum sunt capaces (Spor.).

Resolvitur 1. Ad tramitem Catech. Conc. Trid., de confirmatione sic scriptum legitur in Stat. dioec. Mech. (n. 233) : « *Quamvis* statim *a baptismo sacramentum hoc conferri possit, quod baptismi gratiam perficit, minus tamen expedit hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si* duodecimus *annus non exspectandus videatur, usque ad* septimum *certe hoc sacramentum differre maxime convenit. Nullus igitur puer septennio minor confirmanti praesuli offeratur, nisi particulari in casu aliter Nobis visum fuerit. Nullus etiam sine justa causa ultra annum circiter duodecimum differatur.* » **Resol. 2.** Haud laudari nequit quod in iisdem Stat. dioec. Mechl. declarat archiepiscopus (n. 241) : « *Cum* pueris *aliisque in periculo mortis versantibus confirmatio utiliter conferatur, prout cum* Doctore Angelico (p. 3, q. 72, a. 8 ad 4) *docet* Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. X, n. 6), *ut scilicet hujus sacramenti gratia roborati, in extremo vitae agone fortius contra diabolum luctari valeant, atque etiam* « confirmati decedentes majorem gloriam consequantur, » *ut ait idem* S. Doctor, *non gravabimur, quotiescumque convenienter fieri poterit, chrismatis sacramentum administrare moribundis, etiam in nosocomiis decumbentibus, qui illud suscipiendi votum manifestaverint.* »

R. Ad 2^{um}) Ad *fructuose* suscipiendum illud sacramentum, nulla in *infantibus*, ut patet, requiritur dispositio. In *adultis* vero, praeter intentionem illud recipiendi, requiritur : tum status gratiae, saltem per contritionem perfectam acquisitus, tum debita devotio et sufficiens instructio. Leges autem canonicae quae jejunium praescribebant, in desuetudinem abierunt. Unde quoque usus invaluit illud sacramentum conferendi quavis hora, etiam tempore vespertino.

Resolvitur 1. Nisi statuta particularia aliter praecipiant, **confessio** pro adultis confirmandis est tantum de *consilio*, etiam pro iis qui sibi peccati mortalis conscii sunt, modo contritionem eliciant. Quod confirmat Pontif. Rom., inquiens : « *Adulti debent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.* » Imo, ut docet S. Thom.

(p. 3, q. 72, a. 7 ad 2) : « *Si aliquis adultus in peccato exsistens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat* [putans nempe bona fide se contritionem perfectam habere, cum tamen non habeat], *per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.* » Ratio : tum quia gratiae non ponit obicem ; tum quia in religiosa sacramenti susceptione adest pia quaedam ad Deum conversio, et in ea virtualis attritio, juxta dicta (pag. 369 seq.). **Resol. 2.** Uti legitur in « *Instructione* » S. C. DE PROP. FID. (4 Maii 1774), « *sacro chrismate liniendi ante diligenter* **erudiendi** *sunt juxta doctrinas Catechismi Romani de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus ad digne sacramentum hujusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa fidei rudimenta, decalogi et Ecclesiae praecepta, actus virtutum theologalium ac orationem dominicam et apostolorum symbolum memoria teneant.* » **Resol. 3.** Etsi olim juxta canones hoc sacramentum susceptum fuerit et administratum a *jejunis*, quem usum sua adhuc aetate perdurasse testatur P. LOMB. ap. BENED. XIV (*Inst.* VI, n. 12) ; postea ex S. THOM. (p. 3, q. 72, a. 12 ad 2) « *propter multitudinem fidelium et propter pericula imminentia, sustinetur ut hoc sacramentum, quod nonnisi ab episcopis* [jure ordinario] *dari potest, etiam a* NON JEJUNIS *detur vel accipiatur : quia unus episcopus, praecipue in magna dioecesi non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur.* » Tum addit : « *Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est ut a* JEJUNIS *detur et accipiatur.* » Similiter JEJUNUM accedere, quando mane confertur confirmatio, PONTIFICALE non jubet, sed suadet. Unde quoque dicitur in « *Inst.* » S. C. DE P. F. (4 Maii 1774) : « *Juxta veterem Ecclesiae usum, confirmandi deberent esse* JEJUNI ; *optandumque propterea esset, ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.* » Cfr. N. R. T. (XIII, 410).

Q. 8. *An* et *qualis* sit *necessitas* CONFIRMATIONIS ?

R. 1°) Certum est, Confirmationem non esse necessariam necessitate *medii* ad salutem : nam Baptismus, et relapsis in peccatum mortale Poenitentia, sunt sola sacramenta sic necessaria *in re* vel *in voto* (tom. I, pag. 284).

R. 2°) An autem necessaria sit necessitate *praecepti*, DD. *disputant.*

Explanatur. Alii, praesertim recentiores, quos inter Card. Lambertini, postea Bened. XIV (*Inst.* VI, n. 10), Tourn., Berti, Daelm., Pauwels, l'Herminier, Vuitasse, **affirmant** cum S. Bonav. et S. Antonin., docentque confirmationem obligare *sub gravi*, necessitate praecepti, saltem decurrente vita et data opportuna occasione.—Alii, iique non minus gravissimi, quos inter Cajet., Bill., Sylvius, Wigglers, Suar., Reiff., Salmant., Giribaldi, Ronc., Spor., TT. Wirceb., etc., cum S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 4 ad 3 et ibid. a. 8 ad 4 et Scoto (in 4. d. 17, q. 1, n. 11) communius **negant**, dicuntque, nullum esse praeceptum, neque *divinum*, neque *ecclesiasticum*, *per se* obligans, hoc saltem tempore, ad receptionem hujus sacramenti : quia tantum datur ad melius esse, et robur fidei ac augmentum gratiae haberi possunt aliis modis, v. g. per frequentem eucharistiae perceptionem, orationem, poenitentiam, etc. Dicunt : *per se;* nam *per accidens* et *indirecte*, ratione scilicet periculi, contemptus, scandali aut alterius adjuncti, potest esse *gravis* obligatio, ut in sequentibus casibus : **1°**) Si quis omittendo alias firmiter crederet periculum sibi imminere amittendi fidem vel charitatem. **2°**) Si quis omitteret cum scandalo, nempe si esset suspectus de fide et reputaretur confirmationem contemnere, aut non credere esse sacramentum. **3°**) Si omittatur ex contemptu formali, quia illam parvi facit. Similiter **4°**, qui vult suscipere Tonsuram et Ordines minores, praevie debet confirmari; sed omittere in casu, saltem probabiliter, non est nisi veniale. Quale committunt, juxta multos, omnes illi, qui cum facile possint, negligunt suscipere, cum sit quaedam prodigalitas spiritualis. — Neque huic sententiae communiori obstat, ut nonnulli existimant cum S. Lig. (VI, 182 in fine) declaratio Bened. XIV in Bulla « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742) de ritibus et dogmatibus Graecorum, ubi de nondum rite confirmatis ait : « *Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.* » **Non obstat**, inquam, illa declaratio : loquitur enim Pontifex de invalide a presbyteris Italo-Graecis confirmatis, qui ideo renuebant de novo ad confirmationem

accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat hic ratio particularis eos obligandi ad sacramentum confirmationis suscipiendum, nempe ut sic errorem retractarent. Accedit sequens argumentatio : Bened. XIV (in *cit. Const .*), vel declaravit praeceptum *divinum*, vel condidit praeceptum *ecclesiasticum*. Atqui neutrum a Pontifice factum fuisse, sic ostenditur. Non fecit *primum* : nam insuetum est RR. Pontificibus, antiquas et jam vigentes DD. sententias reprobare *aliquibus verbis per transennam et obiter scriptis, et ab ipsis quasi aliud agentibus propositis*, ut factum fuisset in casu nostro. Quod a fortiori valet, si sermo sit de Constitutionibus Bened. XIV, qui, si antiquas controversias pontificali auctoritate dirimit, id nunquam fecisse legitur, nisi, praeeunte ingenti eruditionis apparatu, seduloque prius perpensis utriusque sententiae rationibus. Jam vero antiquam DD. controversiam nequidem hoc loco memorat, imo de praecepto divino ne verbum quidem habet. Nec fecit *secundum* : cum verba introductioni praecepti ecclesiastici nullatenus respondeant, vel ad summum ad illos spectent, quos respicit illa Constitutio, nempe ITALO-GRAECOS. Itaque dicendum : Bened. XIV heic locutum fuisse de obligatione gravi *per accidens*; post ejus Constitutionem controversiam inter DD. agitatam in iisdem terminis manere in quibus erat antea; ac consequenter legem de suscipienda confirmatione esse dubiam. « Idque, ait Bucceroni, confirmatur ex ipso Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. X, n. 9), quod opus post eam Const. editum est. » **Objicitur** quidem « *Instructio pro simplici sacerdote sacramentum confirmationis ex S. Sedis Apostolicae delegatione administrante*, » edita ex decreto S. C. de Prop. Fide (4 Maii 1774). Quam « *Instructionem* » S. P. Clemens XIV « *in omnibus approbavit et omnino servari mandavit*, » quaeque novissime in *Appendicem* ad Rit. Rom. fuit translata. In ea enim legitur : « *Ceterum Missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari, ut confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen* SINE GRAVIS PECCATI REATU RESPUI NON POTEST AC NEGLIGI, CUM ILLUD SUSCIPIENDI OPPORTUNA ADEST OCCASIO. *Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereti-*

eorum vel paganorum, in quibus, quandoque adversus catholicos persecutiones ingruunt; unde opus est, ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad justitiam, at etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere. » Ast **responderi** potest. Licet concedendum sit, Patres S. C. DE P. F. eorum adhaesisse opinioni qui grave peccatum in omissa confirmatione inesse putavere, dici tamen nequit per hanc « *Instructionem* » aliquid de probabilitate contrariae sententiae fuisse sublatum. Insuetum enim prorsus est, R. Pontificem per organum S. C. DE P. F. jus divinum interpretari; et dato, quod per hanc « *Instructionem* » praeceptum ecclesiasticum condidisset, illud tamen non universam Ecclesiam respiceret, sed loca tantummodo Missionum, in quibus propter frequentiam infidelium haereticorumque majora incurruntur pericula fidem amittendi. Accedit S. C. INQUIS., ad quam magis pertineret hujusmodi quaestiones dirimere, recentius (20 Jun. 1866) in *Instructione* pro Vic. Apost. ad Gallas diserte declarasse : « *Ut docet* S. THOM. (3 q. 72, a. 8 ad 4) *omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* » Quae declaratio sufficit ad elidendam vim argumenti ex *Inst.* S. C. DE P. F. petiti.

Resolvitur. Quam **juste optet** Ecclesia, ut omnes confirmentur, hisce verbis edocet CATECH. ROM., ubi loquens de Sacramento Confirmationis dicit : « *Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet; sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur : quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.* » Imo, licet **speculative** loquendo antiqua controversia circa obligationem suscipiendi Confirmationem nondum decretoria auctoritate sit dirempta, **practice** tamen loquendo, vix fieri poterit, ut quis, dato opportuna recipiendi occasione, illud saluberrimum sacramentum **sine peccato mortali** omittere valeat, hoc saltem tempore, quo Ecclesiae sacramenta apud multos in despectionem abierunt : cum voluntaria sua omissione jure meritoque et impiis ac incredulis adhaerere, et

sacramenta flocci facere reputaretur, sicque grave scandalum praeberet ac piam matrem contristaret Ecclesiam. Et in hoc sensu, minime vero in alio, amplector sententiam S. Lig. (VI, 183 in fine) ita concludentis : « Quapropter secunda opinio supra relata, nimirum non teneri fideles sub gravi ad Confirmationem suscipiendam, **hodie** *non videtur satis probabilis.* »

R. 3°) Etiam in supposito : non dari *per se* gravem obligationem suscipiendi Confirmationem ; nihilominus episcopi graviter obligantur hoc sacramentum suis temporibus administrare : quia tenentur suis subditis etiam providere de utilibus ad salutem, cujusmodi praesertim est hoc sacramentum ; sicut etiam parochi suis parochianis providere debent de sacramento Extr. Unctionis, etsi non detur *per se* gravis obligatio ipsum suscipiendi.

Explanatur. Dixi : *suis temporibus* ; unde docet Croix, cui adhaerere videtur S. Lig. (VI, 175 , episcopum peccare graviter, si per *octo* aut *decem* annos differat circumire, saltem per loca praecipua, nisi excuset moralis impotentia. Et quoniam non modica adesset pro episcopo incommoditas adeundi aegrotos in propriis domiciliis decumbentes, non tenetur illud sacramentum moribundis administrare, etiamsi illud peterent, cum unum confirmando, deberet confirmare alterum similiter petentem, ne detur personarum acceptio. Advertat tamen episcopus cum Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. 10, n. 8) : « *Ne postquam paratum se dixit ad confirmationem conferendam omnibus pueris positis in vitae discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, sibique bene visos, et ire detrectet ad pauperes aliosque de infima plebe : hoc siquidem fieret cum* acceptione personarum *et multorum* scandalo.

Q. 9. An *dubitans* de valore suae confirmationis 1°) *possit* denuo confirmari ; item, an 2°) *debeat?*

R. Ad 1um) *Affirmative*, modo dubium ejus sit fundatum. Ratio : quia privatio hujus sacramenti, etsi non necessarii, res est satis gravis.

R. Ad 2um) *Negative*, per se : quia Confirmatio non est necessaria necessitate medii, nec probabiliter necessitate prae-

cepti. Dixi : *per se* : quia si agatur de promovendis ad SS. Ordines, semper sub conditione iterari debet, ut declaravit S. C. Officii (2 Junii 1837).

CAP. 4. De patrinis Confirmationis, tempore ac loco quo administrari possit.

Q. 10. Dic : 1°) *An* et *qualis* detur *obligatio* adhibendi *patrinum* in Confirmatione ; 2°) *quot* et *quales* esse debeant ; et 3°) *quinam* ab hoc munere sint *arcendi ?*

R. Ad 1^{um}) *Affim.*, si commodo haberi possit ; quae obligatio est *gravis*, ut cum communi docet S. Lig. (VI, 185).

Explanatur. Cur **patrinus** in Confirmatione sit adhibendus, rationes sic tradit S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 10) inquiens : « *Hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conservationem vitae secundum illud* (Hebr. XII, 9) : Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores et reverebamur eos ; *ita illi* **qui assumuntur ad pugnam** *indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc sacramentum confertur homini* **perfectio spiritualis aetatis,** *sicut dictum est, et ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer.* »

R. Ad 2^{um}) Quod ad *numerum* et *qualitates* patrinorum in Confirmatione attinet, plura sunt dicenda.

Explanatur. Dicendum est : **1°) Unus** tantum vel **una** adhiberi debet (Cap. « *Non plures* » 101, dist. 4). **2°)** Nec feminis mares, nec maribus feminae officium patrini praestent, sed **suo quisque sexui patrinus adhibeatur.** Ita Pont. Rom. **3°)** Nisi necessitas cogat, idem esse non debet, sed **diversus** confirmationis patrinus a patrino baptismi (Cap. « *In Catechismo* » 100 de

consecr. dist. 4ª. **4°**) Patrinus debet esse ipse **confirmatus.** Nam in Pont. Rom. habetur : « *Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus.* » Quod intelligitur non solum de *prohibitione gravi*, de qua omnes conveniunt, sed probabilius etiam *de nullitate* actus, ita ut non confirmatus probabilius non contraheret cognationem spiritualem. Idque pro praxi tutum est ex declaratione S. C. C. (13 Jun. 1654) censentis : « Non confirmatum *non contrahere cognationem spiritualem.* » — « *Verum, quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt.* » Ita « *Instructio* » S. C. de P. F. (4 Maii 1774). **5°**) Nullus praesentet nisi **unum,** aut **duos**, non plures, nisi aliter *necessitas* suadeat arbitrio episcopi. Ita Pont. Rom. Constat praeterea ex S. C. C. (12 Jul. 1823), quae usum fere centenarium Fesulanae dioecesis unum dumtaxat patrinum adhibendi pro omnibus puellis approbare renuit; quamvis illum toleraverit in casu necessitatis ab episcopo judicandae ad formam Pontificalis Romani. **6°**) Debet **tangere physice** filiolum, quod fit, juxta *hodiernum ritum*, imponendo manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. Idque sufficere, declaravit S. C. Rit. (20 Sept. 1749). Dixi : *juxta hodiernum ritum* ; nam in Pont. Rom. dicitur : « *Adulti seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.* »

R. Ad 3^{um}) Ab officio patrini, *generatim* loquendo, *arcendi sunt*, qui ad illud debite exercendum non sunt idonei.

Explanatur. Quoniam, ut eruitur ex Pontif. Rom. (tit. *de confirmandis*), patrinorum et matrinarum **officium** est : « *Quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona, et doceant eos* credo in Deum *et* Pater noster *et* Ave Maria, *quoniam ad hoc sunt obligati,* » patet ab hoc officio arcendos esse : **1°**) Qui illud implere nequeunt, ut infantes seu, ut habet « *Instructio* » S. C. de P. F. (4 Maii 1774) « *minores annis quatuordecim ;* » muti, non baptizati, non confirmati, sanctimoniales et regulares, nisi aut ipsi facti sint episcopi, aut confirmandus sit monachus. **2°**) Quos probabile est non impleturos, velut sunt haeretici, publice excommunicati, interdicti, criminosi, infames, aut qui praeceptum pa-

schale omiserunt. Et quoniam ex confirmatione, sicut ex baptismo, oritur COGNATIO SPIRITUALIS, quae thoro uti prohibet, non licet 3°) conjugibus respectu conjugum, nec parentibus respectu filiorum patrinum agere. Cfr. S. Lic. (VI, 156).

Nota. 1. Circa **cognationem spiritualem**, quae in hoc sacramento contrahitur, haec statuit Conc. TRID. (sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 2) : « *Ea quoque cognatio, quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* » Additur in « *Instructione* » S. C. DE P. F. (4 Maii 1774) : « *Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad* TRIDENTINI *statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment.* » **Nota. 2.** Si **episcopus** velit non tantum ministri sed etiam patrini officium gerere, gerat officium patrini per procuratorem. Ita S. C. RIT. (14 Jun. 1873).

Q. 11. Quo *tempore* ac *loco* administrari possit CONFIRMATIO?

R. CONFIRMATIO conferri potest *quovis die*, *quavis hora*, et ex justa, etsi non gravi, causa, *quovis loco decenti*.

Resolvitur 1. « *Licet omni tempore administrari valeat confirmatio,* CONGRUUM *tamen est, ut* PRAECIPUE *in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est apostolis, conferatur.* » Ita « *Inst* » S. C. DE P. F. (4 Maii 1774). **Resol. 2.** Ministrare confirmationem absque causa, extra ecclesiam vel sacellum, a veniali excusari nequit (S. Lic. VI, 174 et 184).

CAP. 5. De caeremoniis Confirmationis earumque mystica significatione.

Q. 12. *Quaenam* sint *caeremoniae* Confirmationis et quid *mystice* significent?

R. Inter caeremonias Confirmationis aliae *praecedunt*, aliae *comitantur*, aliae *subsequuntur* collationem hujus sacramenti. — Quoniam vero, ut docet S. THOM. (p. 3, q. 72, a. 4 in c.) : « *In hoc sacramento datur Spiritus Sanctus*

ad robur spiritualis pugnae,» et «*per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam;*» hinc, generatim loquendo, omnes caeremoniae in Confirmatione adhibitae mystice significant tum intrepidam confessionem fidei seu pugnam spiritualem contra hostes fidei, tum perfectionem spiritualis aetatis, *per comparationem* scilicet ad Baptismum in quo spiritualis aetas inchoatur; alioquin perfecta aetas *absolute* ac *simpliciter* ad gloriam et statum resurrectionis vel beatitudinis pertinet.

Explanatur. A) Ad caeremonias, quae **praecedunt** Confirmationem, pertinet **consecratio Chrismatis** ab Episcopo feria V in Coena Domini habenda. Cujus consecrationis *ritus* praecipui sunt : 1°) Praemissis precibus fit *signum crucis* super oleum et balsamum. 2°) Episcopus aliquoties *inhalat* super Chrisma, ut illapsum Spiritus Sancti significet, cujus vim Chrismati adprecatur; qui ritus ab exemplo Christi sumptus est qui in Apostolis insufflavit, ut Spiritum Sanctum in illos illabi ostenderet, juxta illud (Joan. XX, 22) : « *Insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum.* » 3°) Chrisma jam confectum ab episcopo et presbyteris comitibus genuflectentibus in hunc modum salutatur : *Ave Sanctum Chrisma.* « Haec autem salutatio, ait Billuart, non est absoluta ad ipsum Chrisma physice et in se consideratum, sed est relativa ad Christum, cujus Chrisma est symbolum. Quamvis aliunde non sit insolitum salutare res inanimatas in signum laetitiae, sicut S. Andreas salutavit crucem, dicens : *Salve Crux.* » Hujus autem consecrationis *necessitatem* Catech. Rom. post S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 3 in c.) inde repetit quod Christus D. Chrisma tactu suo atque usu non consecraverit, sicut aquam, quae est materia Baptismi, contactu suo sanctificavit, cum in Jordane baptizatus est a Joanne. Quamobrem necesse est ut sanctis et religiosis precibus ab episcopo consecretur, qui Confirmationis ordinarius minister institutus est. Cum autem, ut dicit S. Thom. (*ibid.* a. 2) : « *In hoc sacramento datur plenitudo Spiritus S. ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati,* » hinc nulla alia materia, quam Chrismatis, aptior videre poterat ad illud declarandum. Quod ex S. Thom. ita ostendit Catech. Rom. n. VII inquiens :

« **Oleum** enim quod pingue sit et natura sua manet ac diffluat, gratiae plenitudinem exprimit quae per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat atque effunditur, *sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron usque in oram vestimenti ejus. Unxit enim eum Deus oleo laetitiae prae consortibus suis, ac de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* **Balsamum** vero cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere : *Christi bonus odor sumus Deo.* Habet praeterea balsamum eam vim, ut quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat ; quod quidem ad hujus sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur ; cum plane constet fidelium animos coelesti gratia, quae in Confirmatione tribuitur praeparatos, facile a scelerum contagione defendi posse. »

B. Circa caeremonias quae **comitantur** Confirmationem notentur sequentia : 1°) Quoad **vestes** episcopi ministrantis in Pontificali Rom. praescribitur, quod episcopus debeat esse indutus *amictu* supra rochetum vel superpellicium, si sit religiosus, ac *stola, pluviali* albi coloris, *mitra* et *baculo*. Ex S. Lig. (VI, 184) « *verius* » dicunt DD. : « Esse *mortale* omittere omnia praedicta instrumenta cum ipsa pertineant ad reverentiam sacramenti ; secus si aliquod tantum omittatur, quia id non videtur esse materia gravis...Advertendum tamen quoad *baculum* sufficere, quod baculus maneat publice expositus vel a clerico detineatur, ut ex figura in Pontificali depicta signatum ostenditur. » 2°) Pontifex, antequam ad singulos confirmandum descendat, varias recitat **preces** ac **manibus extensis** versus confirmandos Deum orat, ut emittat in eos septiformem Spiritum. Quae preces et manuum impositio *praeambula* seu *generalis* ad essentiam non pertinent, ut diximus (pag. 496 . 3°) **Patrinus** vel **matrina,** flexis genibus, filiolum vel filiolam praesentat episcopo tanquam *supremo architecto* et *duci militiae*, ut ipse confirmandum dedicet in templum Spiritus Sancti seu ad perfectionem vitae spiritualis assumat eumque Christi militiae adscribat, juxta dicta (pag. 498 et 509). Unde quoque patrinus vel matrina **tenent** filiolum seu filiolam, ad significandum quod ille qui ad hoc sacramentum accedit, adhuc spiritualiter im-

becillis est, et indiget eruditoribus a quibus instruatur in his quae pertinent ad modum certaminis. 4°) Dum Pontifex pronuntiat formam, cujus significationes ex S. Thom. tradidimus supra (pag. 497), producit pollice **signum crucis in frontem** illius, idque ad significandum *duo :* scilicet Christi militiam et intrepidam fidei confessionem. Audiatur S. Thom. (p. 3, q. 72, a. 9 in c) : « *Convenienter signatur Chrismate signo crucis in fronte, propter duo :* primo *quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur ; et ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant.* Secundo *quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt :* unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, *ut dicitur* (Ethic. I. IV, c. ult. circa princ.). *Et ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat.* »

C) Quoad caeremonias, quae **subsequuntur** Confirmationem, notentur sequentia : 1°) Statim ac episcopus formam sacramenti pronuntiavit, confirmatum leviter in maxilla caedit, seu dat ipsi **alapam.** Haec autem caeremonia *alapae,* deducta ex ritu quo creari solebant equites, ideo adhibetur, tum ut agnoscat confirmatus se in militiam Christi fuisse admissum, tum maxime, ut docet Cath. Rom., « *ut meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda.* » Paulo uberius S. Carol. *(Instruct.)* caeremoniam *alapae* ideo adhiberi, sic explicat : « *Ut sciat homo christianus, se jam militem esse, cujus pugna et victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis ; deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitae jucunditates et commoda quaerat, sed incommoda potius atque adeo mala patienter ferat ; ac praeterea intelligat officii sui esse in acie stare, telaque unde*

veniant observare, ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur. » 2°) Episcopus dando alapam simul **pacem** adprecatur confirmato dicens : PAX TECUM, « *ut intelligat,* ait CATECH. ROM., *se gratiae coelestis plenitudinem et pacem, quae exsuperat omnem sensum consecutum esse,* » quae cor ejus et intelligentiam custodiat in Christo Jesu ; et pacem cum Deo, cum seipso, cum proximo, suavissimum esse Spiritus Sancti *fructum*, omni studio et prae omnibus rebus conservandum. 3°) Deinde, omnibus confirmatis, episcopus ad altare reversus recitat **preces** in PONTIFICALI praescriptas, et vertens se ad confirmatos **benedictionem communem** ipsis impertitur ; quas preces et benedictiones finales esse tantum *accidentales*, et non pertinere ad essentiam istius sacramenti supra (pag. 498) dictum fuit. 4°) Tandem, expeditis his omnibus, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis, tanquam dux spiritualis militiae, **annúntiat** ex PONT. ROM. : « *Quod instruant filiolos suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona et doceant eos* CREDO IN DEUM, *et* PATER NOSTER *et* AVE MARIA, *quoniam ad hoc sunt obligati.* »

Scholion. Super Confirmationem exstant *Litterae pastorales* Em. Card. P. L. GOOSSENS (8 April. 1890), quae, juxta STATUTA DIOEC. MECHL. sub n. 234, post acceptum futurae Confirmationis nuntium e suggestu sunt praelegendae. Exstat pariter *Instructio*, in qua describitur *Ordo servandus cum Archiepiscopus ad ecclesias dioeceseos sacramentum Confirmationis collaturus accedit.* Reperitur in *Tract. de administratione Sacramentorum.* Antverpiae 1886, pag. 253-258.

FINIS.

VIVAT COR JESU SACRATISSIMUM PER INFINITA SAECULA SAECULORUM. AMEN !

INDEX SYNOPTICUS

EXHIBENS SERIEM TRACTATUUM ET QUAESTIONUM.

DE JUSTITIA ET JURE.

PRAEAMBULUM 1

PARS PRIMA.

DE NATURA JUSTITIAE ET JURIS.

CAP. 1. De justitia in communi.

Q. 1. *Quotuplici sensu* sumatur JUSTITIA? . . . . . "
Q. 2. *Quid* sit JUSTITIA *stricte* sumpta? 2
Q. 3. *Quaenam* igitur *requirantur* ad JUSTITIAM *stricte* dictam? 3
Q. 4. *Quodnam* sit *objectum* JUSTITIAE *stricte* dictae? . . "
Q. 5. *Quotuplex* distinguatur JUSTITIA? 4
Q. 6. *Quid* 1°) sit JUSTITIA *legalis*; 2°) *quare* sic dicatur, et 3°) quomodo *differat* ab *obedientia*? . . . . . "
Q. 7. An JUSTITIA *legalis* sit virtus *specialis* vel *generalis*? . "
Q. 8. *Quid* sit JUSTITIA *distributiva*? 5
Q. 9. *Quid* sit JUSTITIA *commutativa*? . . . . . "
Q. 10. An JUSTITIA, quam vocant *vindicativam*, novam speciem JUSTITIAE constituat? . . . . . "
Q. 11. *Quale peccatum* sit violatio JUSTITIAE *legalis*, *distributivae*, *commutativae* et *vindicativae*? 6
Q. 12. In quo JUSTITIAE *legalis*, *distributiva* et *vindicativa* a JUSTITIA *stricte* dicta deficiant? . . . . . "

CAP. 2. De jure in communi.

Q. 13. *Quid* sit JUS in *lato sensu*? 8
Q. 14. *Quid* sit JUS in *stricto sensu*? . . . . . "
Q. 15. *Quotuplex* sit JUS strictum *active* sumptum? . . . 9

CAP. 3. De dominio proprietatis ejusque speciebus, ubi et de usufructu, usu et servitute.

Q. 16. Dic: 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit DOMINIUM *proprietatis*? 10
Q. 17. *Quid* sit USUSFRUCTUS? *Quid* vero USUS? . . . . "
Q. 18. An USUS separari possit a DOMINIO in rebus *unico actu consumptibilibus*? 11

Q. 19. *Quomodo* constituatur USUSFRUCTUS? 12
Q. 20. *Quaenam*, generatim loquendo, sint 1°) JURA et 2°) OBLIGATIONES *usufructuarii legalis?* 13
Q. 21. Quibus modis *finiatur* USUSFRUCTUS? . . . . . »
Q. 22. *Quid* sit SERVITUS? 14
Q. 23. *Quotuplex* sit SERVITUS? . . . . . »

CAP. 4. De objecto dominii.

Q. 24. *Quid* sit *objectum* DOMINII? 15
Q. 25. Ex *quotuplici* titulo constitui possit SERVITUS, seu DOMINIUM *utile* unius in operas alterius? 17
Q. 26. An *licitum* sit SERVORUM *commercium (la traite des nègres)?* 18
Q. 27. *Qualia* sint *bona externa* sublunaria, quae sub DOMINIO cadere possunt? 19

CAP. 5. De subjecto dominii in genere, ubi de capacitate Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia.

Q. 28. *Quisnam* in terris sit DOMINII *subjectum?* 21
Q. 29. An *Ecclesia* sit capax acquirendi ac possidendi bona temporalia? 22

ART. I. De dominio privatorum.

Q. 30. *Quinam* ex Jure *Gallico* dicantur FILIIFAMILIAS? . . 25
Q. 31. Quale *dominium* ex Jure *Gall.* habeant FILIIFAMILIAS? . »
Q. 32. An quae FILIUSFAMILIAS in domo paterna *lucratur* ad ipsum *pertineant?* 26
Q. 33. An filius, dum una cum patre *prae ceteris filiis* laborat, sed *absque societate*, aliquid instar salarii *inscio patre* retinere queat? 27
Q. 34. An filiusfamilias *perfectum* habeat dominium in bona *minuta* ac *mobilia*, sibi a parentibus vel cognatis data? . . »
Q. 35. An DOMINIUM *uxorum* in sua bona semper sit *aequale?* 28
Q. 36. Sub *quotuplici* REGIMINE matrimonium ex Jure *Gall.* contrahi possit? . . . . . »
Q. 37. *Quotuplicis* generis esse possint *bona* conjugum sub regimine COMMUNITATIS, sive *legalis*, sive *conventionalis?* . . »
Q. 38. *Quale* sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine COMMUNITATIS? 29
Q. 39. *Undenam* regimen DOTALE sic vocetur? 30
Q. 40. *Quotuplicis* generis esse possint *bona* uxorum sub regimine DOTALI? . . . . . »
Q. 41. Quale sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine DOTALI? . . 31
Q. 42. Quodnam sit DOMINIUM *uxoris* sub regimine EXCLUSIVO COMMUNITATIS? . . . . . »
Q. 43. Quomodo *conjuges* sibi INJURIAM inferant in bonis, et *teneantur* ad RESTITUTIONEM? 32

Q. 44. *Quotuplicis* generis sint *bona* CLERICORUM SAECULARIUM? 33
Q. 45. *Quale* DOMINIUM habeant *clerici* in varia illa *bona?* . 34
Q. 46. An obligatio clericorum erogandi *superfluum* redituum ECCLESIASTICORUM in pias causas oriatur *ex justitia*, an vero *ex praecepto Ecclesiae?* 35
Q. 47. An DOMINII sint capaces *religiosi* voto SOLEMNI *paupertatis* ligati? 36
Q. 48. An DOMINII sint capaces *religiosi* ligati voto *paupertatis* SIMPLICI? 38
Q. 49. *Quale* sit DOMINIUM *auctorum* et *inventorum?* . . 39

ART. II. De dominio personarum moralium.

Q. 50. *Quid* 1°) sit PERSONA MORALIS, 2°) *quotupliciter* distinguatur? 40
Q. 51. *Quotuplex* distingui possit DOMINIUM *Reipublicae, Provinciarum* et *Municipiorum (des Communes)?* . . . »
Q. 52. An *codex civilis* admittat DOMINIUM societatum, etiam *religiosarum* seu *ecclesiasticarum?* 41

CAP. VI. De modis acquirendi dominium extra contractum.

ART. I. De Occupatione.

Q. 53. *Quomodo* DOMINIUM *acquiri* possit? 42
Q. 54. *Quid* 1°) sit OCCUPATIO, et 2°) *quaenam* requirantur, ut *legitima* sit? . . . . . »
Q. 55. *Quaenam* sint praecipuae OCCUPATIONES? . . . 43
Q. 56. An VENATIO, AUCUPIUM et PISCATIO fieri possint *illicita?* »
Q. 57. Quid *juris* circa VENATIONEM, AUCUPIUM et PISCATIONEM? »
Q. 58. An leges civiles circa VENATIONEM, AUCUPIUM et PISCATIONEM censeri debeant *pure poenales?* 46
Q. 59. Quid *juris* circa OCCUPATIONEM *fodinarum?* . . . »
Q. 60. Quid dicendum de *lignantibus*, aut pecora *pascentibus?* 47
Q. 61. Quid *juris* circa bona *derelicta* et *vacantia?* . . . »
Q. 62. Ad *quem* pertineant BONA *jure belli* capta? . . . 48
Q. 63. *Quid* 1°) sit THESAURUS, et 2°) quid *juris* circa illius *occupationem?* . . . . . »
Q. 64. Quid *juris* circa RES *nuper amissas?* 50

ART. II. De accessione.

Q. 65. Dic : 1°) *Quid* sit, 2°) *quotuplex* distinguatur, et 3°) *quibus modis* fieri possit ACCESSIO? 52
Q. 66. *Quid* juris circa ACCESSIONEM? 53

ART. III. De praescriptione.

Q. 67. Dic : 1°) *Quid*, et 2°) *quotuplex* sit PRAESCRIPTIO? . . 55
Q. 68. An PRAESCRIPTIO *acquisitiva* valeat *in conscientia?* . »

Q. 69. Quaenam *conditiones* requirantur, ut PRAESCRIPTIO *acquisitiva* transferat dominium *in conscientia?* 56
Q. 70. An *mala fides* antecessoris defuncti semper *impediat* successorem a PRAESCRIPTIONE? 61
Q. 71. *Quotupliciter* distinguatur PRAESCRIPTIO *liberativa* seu *exstinctiva?* 62
Q. 72. *Quaenam* exstinguantur per PRAESCRIPTIONES *liberativas?* »
Q. 73. *Quaenam* sint praecipua *motiva* PRAESCRIPTIONIS *liberativae?* 63
Q. 74. An PRAESCRIPTIONES *liberativae* valeant *in conscientia?* 64
Q. 75. Quid intelligas per *bonam fidem* in PRAESCRIPTIONIBUS *liberativis?* . . . . . »
Q. 76. *Quandonam* PRAESCRIPTIO dicatur 1°) *interrumpi; quandonam* vero 2°) *suspendi* tantum seu *dormire?* . . . 65

CAP. 7. De modis amittendi dominium.

Q. 77. *Quot* sint *modi*, quibus amittitur DOMINIUM? . . . 66

PARS SECUNDA.

DE INJURIA SEU INJUSTITIA.

CAP. 1. De injuria in genere.

Q. 78. *Quid* 1°) sit INJURIA, et 2°) *quotuplex?* 67
Q. 79. *Quaenam* conditiones requirantur ad INJURIAM strictam *formaliter* sumptam? . . . . . »
Q. 80. *Quale* peccatum sit INJURIA stricta *formalis?* . . . 69
Q. 81. An *omnis* INJURIA fundet *obligationem* restitutionis? . »

CAP. 2. De injuria in specie.

ART. I. De injuria circa bona animi.

Q. 82. *Quot* sint INJURIARUM *species?* 70
Q. 83. *Quotuplicia* sint BONA *animi?* . . . . . »
Q. 84. An INJUSTITIAM committat qui alteri damnum infert in BONIS *animi*, tum *naturalibus*, tum *supernaturalibus?* . . »

ART. II. De injuria circa bona fortunae, ubi speciatim de furto.

Q. 85. *Quibus modis* INJURIA proximo inferri possit in BONIS *fortunae?* 71
Q. 86. *Quid* sit FURTUM : 1°) in *lato* sensu; 2°) in *stricto* sensu? 72
Q. 87. *Quid* 1°) sit RAPINA et 2°) an *specie* differat a FURTO? . 73
Q. 88. *Quotupliciter* distinguatur tum FURTUM, tum RAPINA? . 74
Q. 89. *Quale* peccatum sit FURTUM? . . . . . »
Q. 90. Ex *quotuplici* capite FURTUM evadat peccatum *veniale?* »

Q. 91. Quaenam *materia* censeatur *gravis* in FURTO seu sufficiens ad peccatum mortale? 75
Q. 92. *Qualis* censenda sit in FURTO materia *absolute gravis?* . 77
Q. 93. *Qualis* censenda sit in FURTO materia *relative gravis?* . 78
Q. 94. Quid ex dictis de materia *absolute* et *relative* gravi pro *praxi confessariorum* veniat notandum? 79
Q. 95. Quid dicendum de FURTIS *domesticorum*, scilicet: *uxorum, filiorumfamilias, famulantium, religiosorum?* . . 80
Q. 96. *Quandonam* peccetur *mortaliter* per FURTA *minuta* seu in materia *levi?* 82
Q. 97. *Quaenam* requiratur materiae *quantitas* ad mortaliter peccandum per FURTA *minuta?* 84
Q. 98. Utrum GRAVITER peccet, qui post *completam materiam gravem* quid *leve* adhuc furatur? 85
Q. 99. *Quomodo* restitutio fieri debeat, si notabilis summa per FURTA *minuta* sublata fuerit *diversis?* 86
Q. 100. *Quomodo* determinanda sit *quantitas notabilis* in FURTO *sacrilego?* . . . . . »

ART. III. De causis acceptionem rei alienae a furto excusantibus, scilicet 1° de necessitate; 2° de occulta compensatione.

Q. 101. *Utrum* aliquando FURTUM sit *licitum?* . . . . . »
Q. 102. *Quotuplex* sit NECESSITAS *corporalis?* . . . . . »
Q. 103. An *liceat* auferre rem alienam ob NECESSITATEM *extremam* seu *quasi-extremam?* 87
Q. 104. An qui versatur in NECESSITATE *extrema* vel *quasi-extrema*, possit sibi sumere rem valde pretiosam, aut ingentem pecuniae summam, quando haec absolute necessaria est ad vitam servandam, vel bonum ipsi aequale? seu: An qui versatur in tali necessitate possit sibi providere mediis *exquisitis* et *extraordinariis?* 88
Q. 105. An *dives* teneatur *ex justitia* subvenire *extreme* indigenti? 89
Q. 106. An *transacta* necessitate *extrema* vel *quasi-extrema*, ablata debeant *restitui?* . . . . . »
Q. 107. An *licitum* sit ex *gravi* necessitate: 1°) *accipere* rem alienam; 2°) *restitutionem* rei alienae *differre?* . . . 90
Q. 108. *Quid* 1°) sit COMPENSATIO *occulta;* 2°) *quotupliciter* fieri possit, et 3°) *quomodo* differat a COMPENSATIONE *legali?* . . 91
Q. 109. An *occulta* COMPENSATIO possit esse *licita?* . . . »
Q. 110. *Quaenam* sint *conditiones* requisitae, ut COMPENSATIO *occulta* fiat *licite?* . . . . . »
Q. 111. Quid dicendum de propositione damnata ab INNOC. XI sub. n. 37: « *Famuli ac famulae domesticae possunt occulte*

heris suis surripere ad compensandam operam quam majorem judicant salario quod recipiunt? » 93

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE.

SECTIO PRIMA. — DE RESTITUTIONE IN COMMUNI.

CAP. 1. De natura restitutionis ejusque necessitate.

Q. 112. *Quid* 1°) sit RESTITUTIO et 2°) *quomodo* differat : *A)* a *satisfactione; B)* a *solutione*? 94
Q. 113. *Quanta* sit *necessitas* RESTITUTIONIS? . . . . . »
Q. 114. An *praeceptum* restituendi sit *affirmativum*, an vero *negativum*? 96
Q. 115. An *impotens* restituere ex bonis *ejusdem ordinis* teneatur restituere ex bonis *ordinis diversi*? Puta : si quis hominem occidit, aut vulneravit, aut infamavit, an teneatur pecuniam dare, si nequeat aliter damnum compensare? 97
Q. 116. *Quomodo* agendum sit cum *moribundo* restitutioni obnoxio? . . . . . »

CAP. 2. De radicibus seu titulis restitutionis.

Q. 117. *Quot* sint RADICES *restitutionis?* 98
Q. 118. *Quinam* teneantur ad *restitutionem* : 1°) ex solo titulo *rei acceptae;* 2°) ex solo titulo *injustae acceptionis;* 3°) ex utroque titulo, tum *rei acceptae*, tum *injustae acceptionis?* . »

CAP. 3. De restitutione facienda a possessore : 1°) bonae fidei ; 2°) malae fidei ; 3°) dubiae fidei.

Q. 119. *Quid* restituere teneatur POSSESSOR *bonae fidei?* . . 99
Q. 120. An ille qui rem FURTIVAM emit *bona fide*, possit eam *furi* reddere ad pretium recuperandum? 100
Q. 121. Si res ab uno ad alium aut etiam ad plures *successive* transmissa fuit, *ad quid* teneantur varii POSSESSORES *bonae fidei?* 101
Q. 122. *Ad quid* teneatur POSSESSOR *malae fidei?* 102
Q. 123. An possessor *malae fidei* teneatur ad restitutionem, si res apud ipsum *casu fortuito* perierit? 103
Q. 124. Utrum possessor *malae fidei* teneatur ad restitutionem *summi valoris?* . . . . . »
Q. 125. Ad quid teneatur possessor *dubiae fidei?* . . . 104

CAP. 4. De injusta damnificatione.

Q. 126. *Quinam* 1°) vocentur INJUSTI DAMNIFICATORES; 2°) *quot* sint, et 3°) *quo titulo* seu qua radice teneantur ad restitutionem? 105

Q. 127. *Quaenam* requirantur, ut actio *damnificans* inducat obligationem restitutionis *in conscientia* et *ante sententiam judicis?* 106
Q. 128. An *teneatur* ad restitutionem, qui *inculpabiliter* quidem causam damni posuit, sed postea illud *non impedivit*, licet impedire *potuisset?* 108
Q. 129. An *reparari* debeat damnum sequens ex causa *culpabiliter* quidem posita, sed jam *retractata*, quando damnum infertur? . . . . . "
Q. 130. An *ad obligandum* damnificatorem ad restitutionem sufficiat CULPA THEOLOGICA *venialis?* . . . . . "
Q. 131. An DAMNIFICANS *ex ignorantia* teneatur ad *restitutionem?* 109
Q. 132. Quid dicendum de eo, qui *scienter* intulit damnum, quod in se est grave, sed *invincibiliter ignoravit esse tam grave*, v. g. si Titius projecit in mare gemmam Caji valentem 100, quam tamen ipse putabat non valere nisi 10? . . . 110
Q. 133. An qui *dubitat* utrum damnum *evenerit* ex sua actione, restituere teneatur? . . . . . "
Q. 134. An qui alium *impedivit* a consecutione *alicujus boni*, teneatur ad *restitutionem?* . . . . . "
Q. 135. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CULPA JURIDICA? . 112
Q. 136. An dari possit obligatio reparandi damnum ex *sola* CULPA JURIDICA illatum? . . . . . "

CAP. 5. De cooperantibus ad injustam damnificationem.

Q. 137. *Quinam* 1°) dicantur COOPERANTES ad damnum, et 2°) quot distinguantur? 114
Q. 138. *Quandonam* COOPERANTES ad damnum teneantur *ad restitutionem?* . . . . . "
Q. 139. *Quaenam* itaque requirantur, ut COOPERANS ad injustum damnum proximi contrahat obligationem *restituendi?* . . 116

ART. I. De cooperatoribus positivis.

Q. 140. *Quis* dicatur MANDANS? . . . . . "
Q. 141. *Ad quid* teneatur MANDANS? . . . . . "
Q. 142. *Quis* 1°) dicatur CONSULENS, et 2°) quomodo *differat* a MANDANTE? 118
Q. 143. *Quid* statuendum circa CONSULENTEM? 119
Q. 144. An qui suo *malo exemplo* movet aut inducit alium, v. g. ad furandum, *teneatur* ad restitutionem? 122
Q. 145. An *liceat* ei, qui *paratus est* inferre damnum *majus*, consulere *minus*, si alius modus non suppetat, eum a *majori* retrahendi? . . . . . "
Q. 146. *Quisnam* dicatur CONSENTIENS? 123

Q. 147. *Quid* dicendum de PALPONE? 124
Q. 148. *Quis* 1°) dicatur RECEPTANS seu recursum dans et 2°) *quandonam* ad restitutionem *teneatur?* 125
Q. 149. *Quid* dicendum de PARTICIPANTE? 126

ART. II. De cooperatoribus negativis.

Q. 150. *Quinam* dicantur COOPERATORES *negativi* in actione damnificativa? 128
Q. 151. *Quandonam* COOPERATORES *negativi* teneantur in conscientia *restituere?* . . . . . »
Q. 152. An *confessarius*, qui ex ignorantia aut negligentia *graviter culpabili* non monet poenitentem de restitutione facienda, *teneatur* ipse *restituere?* 131
Q. 153. An *teneatur* ad restitutionem qui accepit pecuniam a *fure* ad tacendum, si ex officio clamare non debet? . . 132

CAP. 6. De circumstantiis restitutionis.

ART. I. Quantum sit restituendum, ubi de solidaritate.

Q. 154. *Quaenam* sint *circumstantiae* restitutionis? . . . 133
Q. 155. QUANTUM restitui *debeat?* . . . . . »
Q. 156. An 1°) aliquando *damnificatores*, i. e. EXSECUTOR vel EXSECUTORES et *singuli* sive *positive*, sive *negative* COOPERANTES ad furtum vel ad damnum, teneantur restituere IN SOLIDUM; et 2°) *quid* hoc sit? . . . . . »
Q. 157. Dic : 1°) *Quandonam* DAMNIFICATORES *teneantur* restituere IN SOLIDUM? 2°) *Quandonam* vero *non?* 134
Q. 158. An tenearis AD SOLIDUM *in dubio :* 1°) an influxeris in totum damnum; 2°) an alii suam partem pro rata restituerint? 136
Q. 159. An obligatio restituendi IN SOLIDUM semper sit *urgenda?* »

ART. II. Cui sit restituendum.

Q. 160. *Cui* sint restituenda DEBITA *certa*, i. e. quorum dominus aut creditor *certo* innotescit? 137
Q. 161. *Cui* restitui debeant DEBITA *incerta*, i. e. quorum dominus est incertus? 138
Q. 162. An *debeat* restitui *pecunia* a DAEMONE accepta? . . 140

ART. III. Quo ordine sit restituendum.

Q. 163. *Qualem* ORDINEM in restituendo debeant servare *damnificatores?* . . . . . »
Q. 164. *Qualis* ORDO servandus sit in *debitis solvendis*, seu *inter creditores?* 142

ART. IV. Quomodo sit restituendum.

Q. 165. QUOMODO *facienda* sit restitutio? 143
Q. 166. An *valeat* restitutio facta per *donationes?* 144
Q. 167. Si quis restituerit per *fictam* DONATIONEM, et creditor ex gratitudine *aliud donum* rependat, an hoc ei *restituendum* sit? 145
Q. 168. *Quo* LOCO et *cujusnam* EXPENSIS facienda sit restitutio? »
Q. 169. CUJUS PERICULO facienda sit restitutio? 146
Q. 170. *Quomodo* restituendum sit pro damnis *reipublicae* illatis? 147

ART. V. Quando sit restituendum.

Q. 171. QUANDONAM, *generatim loquendo*, facienda sit restitutio? »
Q. 172. QUANDONAM *in particulari* facienda sit restitutio *externa*? 148
Q. 173. Utrum qui *distulit* restitutionem *ex justa causa*, teneatur *compensare* omne damnum, quod creditor *ex dilatione* patitur? 149
Q. 174. *Quomodo* ex dictis *confessarius* se gerere debeat cum poenitente *graviter* obligato ad restitutionem? . . . . . »

CAP. 7. De causis excusantibus a restitutione.

Q. 175. *Quotupliciter* distinguantur CAUSAE a restitutione *excusantes*? 150
Q. 176. *Quaenam* sint CAUSAE excusantes *ad tempus*, ita ut restitutio licite *differri* possit? . . . . . »
Q. 177. *Quaenam* sint CAUSAE a restitutione excusantes *in perpetuum*? 153
Q. 178. An CESSIO *bonorum*, tum *judiciaria*, tum *voluntaria*, excuset a restitutione *in perpetuum*? 155
Q. 179. An *gravatus* debitis 1°) *possit* ingredi religionem, et 2°) *liberetur* a debitis, si ingressus fuerit? . . . . . »
Q. 180. An *debitor* liberetur, si *dubitet*, utrum solverit vel restituerit id quod debeat? 157

SECTIO SECUNDA. — DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAP. 1. De restitutione ob damnum in bonis animi.

Q. 181. Ad *quid* teneatur, qui alium *laesit* in bonis ANIMI? . 158

CAP. 2. De restitutione ob damnum in bonis corporis : 1°) per homicidium ; 2°) per stuprum et defloration em ; 3°) per adulterium.

Q. 182. *Qualis* restitutio debeatur ex HOMICIDIO seu MUTILATIONE? 159
Q. 183. *Quaenam* sint CAUSAE *speciales* excusantes a restitutione ob *homicidium*? 162
Q. 184. Ad *quid* teneatur qui puellam *seduxit*? 163
Q. 185. Ad *quid* teneantur *adulteri*? 164
Q. 186. *Quomodo* restituere debeant ADULTERI? 166

Q. 187. An ADULTERI vel FORNICATORES, si sint *divites* et exponant prolem in *xenodochio*, huic domui restituere *teneantur*? 167

CAP. 3. De restitutione ob damnum in bonis famae et honoris.

Q. 188. Ad *quid* teneatur qui alterum injuste laesit in FAMA et HONORE? . . . . . »
Q. 189. *Quomodo* FAMA restituenda sit? 168
Q. 190. *Apud quos* FAMA sit reparanda? 169
Q. 191. Quaenam sit CAUSAE *excusantes* a restitutione *famae*? . 170
Q. 192. An admitti possit COMPENSATIO inter *famam* et *pecuniam*, ita 1°) ut tibi liceat famam alterius non reparare, quia alter non solvit pecuniae summam tibi debitam; 2°) ut, si alter non reparet *famam* tuam laesam, tu possis partem pecuniae, quam ei debes, pro rata infamiae retinere, vel etiam infamatori secreto auferre in illius COMPENSATIONEM? 171
Q. 193. *Quomodo* HONOR restituendus sit? . . . . . »

CAP. 4. De restitutione ob damnum in bonis fortunae in casibus particularibus: scilicet: 1°) quoad tributa; 2°) quoad militiam; 3°) quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Gallicanae.

Q. 194. Dic: 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit TRIBUTUM? . . . 172
Q. 195. *Quid* dicendum sit circa *solutionem* TRIBUTORUM? . 173
Q. 196. Ad *quid* teneantur nondum *inscripti* MILITIAE, qui ab hac se *subtrahunt*, si alii eorum vices supplere debent? . . 175
Q. 197. *Quid* dicendum circa restitutionem *bonorum ecclesiasticorum*, quae tempore PERTURBATIONIS *gallicanae* fuerunt usurpata? 176
Q. 198. Quid dicendum circa restitutionem bonorum privatorum injuste *proscriptorum (des émigrés)*? 178

DE CONTRACTIBUS.

PRAEAMBULUM 179

PARS PRIMA.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAP. 1. De quidditate, divisione, et requisitis ad contractum.

Q. 1. Dic: 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CONTRACTUS? . . . »
Q. 2. *Quaenam* requirantur ad *valorem* CONTRACTUS? . . 180

ART. I. De primo requisito seu de materia apta.

Q. 3. *Quid* sit *materia* CONTRACTUS? . . . . . »
Q. 4. *Qualis* debeat esse *materia* CONTRACTUS? 181
Q. 5. An res *mere spiritualis* possit esse *objectum* CONTRACTUS? 182
Q. 6. An res temporalis *spirituali annexa* possit esse *objectum* CONTRACTUS *onerosi*? 183
Q. 7. An semper *restituenda* sit res ex *turpi* CONTRACTU accepta? »

ART. II. De secundo requisito, seu de subjecto capaci.

Q. 8. *Quinam* possint *contrahere*? 184
Q. 9. *Quinam* 1°) ex jure *gallico* vocentur MINORES; 2°) *quotupliciter* distinguantur; et 3°) an *valide* contrahant? . . 185
Q. 10. An MINOR *tuta conscientia* uti possit beneficio *rescissionis*? 186
Q. 11. *Quinam* 1°) dicantur INTERDICTI, et 2°) *quid* de valore eorum *actuum* sit judicandum? . . . . . »
Q. 12. *An* et *quatenus* UXOR contrahere possit? . . . 187

ART. III. De tertio requisito seu de consensu legitimo.

Q. 13. *Qualis* requiratur CONSENSUS ad valorem contractus? . 188
Q. 14. *Quaenam* sint *vitia* CONSENSUI opposita? 190
Q. 15. *Quid* sit ERROR, *quid* vero DOLUS? . . . . . »
Q. 16. *Quotuplex* possit esse ERROR vel DOLUS? . . . . »
Q. 17. *Valeat* ne contractus celebratus per ERROREM vel DOLUM? »
Q. 18. An et quandonam VIS et METUS contractum *invalidet* aut eum *rescindibilem* reddat? 192

ART. IV. De quarto requisito seu de forma substantiali.

Q. 19. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit FORMA contractuum? . 193
Q. 20. An *in conscientia* vim obtineant contractus, per se quidem validi, sed qui in foro externo invalidi habentur, quia deficiunt *solemnitates a jure positivo ad eorum valorem requisitae*? . 194

CAP. 2. De contractuum modificationibus : 1°) de juramento; 2°) de modis; 3°) de conditionibus.

Q. 21. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quot* sint contractuum MODIFICATIONES? »
Q. 22. *Quid* dicendum de JURAMENTO promissorio, quod contractui additur? . . . . . »
Q. 23. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit MODUS in contractibus? 197
Q. 24. Quid dicendum, tum *generatim*, tum *speciatim*, de contractibus *modalibus*? . . . . . »
Q. 25. *Quid* sit CONDITIO? 198
Q. 26. *Quotuplex* sit CONDITIO? 199
Q. 27. Contractus celebratus sub CONDITIONE sitne *validus*? . »

CAP. 3. De effectu seu obligatione contractuum.

Q. 28. *Quisnam* sit EFFECTUS contractuum? 200
Q. 29. *Quotuplex* distinguatur OBLIGATIO in contractu? . . . »
Q. 30. Quomodo *cesset* contracta OBLIGATIO? 201

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

SECTIO PRIMA. — DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

CAP. 1. De promissione.

Q. 31. *Quid* sit PROMISSIO? . . . . . »
Q. 32. *Qualis* et *quanta* sit OBLIGATIO promissionis gratuitae semel acceptatae? 202
Q. 33. An *mortuo promissario* ante ACCEPTATIONEM, possint ejus haeredes *acceptare* promissionem? 203
Q. 34. An *mortuo promittente* ante ACCEPTATIONEM, possint ejus haeredes *revocare* promissionem? . . . . . »
Q. 35. Quomodo *cesset* OBLIGATIO promissionis acceptatae? . 204

CAP. 2. De donationibus in genere.

Q. 36. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit DONATIO? . . . »
Q. 37. *Quinam valeant* DONARE? 205
Q. 38. *Quantum* possit quis DONARE? . . . . . »
Q. 39. *Quaenam* sit RESERVATIO seu LEGITIMA haeredibus necessariis debita? 206
Q. 40. *Quid* sit REDUCTIO donationis? . . . . . »
Q. 41. *Quinam* valeant donationes ACCIPERE? 207
Q. 42, *Quid* sit COLLATIO donationum? . . . . . »

CAP. 3. De donationibus in specie.

ART. I. De donatione inter vivos

Q. 43. *Quandonam* DONATIO INTER VIVOS censeatur *perfecta*? . 208
Q. 44. An et *quandonam* DONATIO INTER VIVOS perfecta possit *revocari*? . . . . . »
Q. 45. *Quaenam* sint *formae* requisitae pro DONATIONIBUS INTER VIVOS? 209

ART. II. De donatione per testamentum

Q. 46. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit TESTAMENTUM? . . 210
Q. 47. *Quotuplicis* generis HAEREDES distinguantur? . . 211
Q. 48. An *cuilibet* haeredi liberum sit haereditatem *acceptare* vel eidem *renuntiare*? 212
Q. 49. *Quotuplex* distinguatur haereditatis ACCEPTATIO? . . »

Q. 50. An haeredes teneantur *ex suis* solvere, si *debita* defuncti aut *legata* titulo particulari *vires haereditatis superent*? . 213
Q. 51. Quo jure, *naturali* an *civili*, haeredes AB INTESTATO succedant in bona defuncti? . . . . . »
Q. 52. An FACULTAS *testandi* repetenda sit ex *jure naturae*? . 214
Q. 53. An valeat *in conscientia* testamentum *formis legalibus* destitutum? . . . . . »
Q. 54. *An* et *quomodo* peccent PARENTES: 1°) juni filio *plus* quam alteri relinquendo; 2°) laedendo *legitimam* filiorum? . . 218
Q. 55. *An* et *qualis* sit OBLIGATIO relinquendi bona *cognatis*, qui non sunt haeredes *necessarii*? . . . . . »
Q. 56. Dic: 1°) *An* et 2°) *quomodo* testamentum *revocari* possit ad *nutum* testatoris? 219
Q. 57. An *commutari* possit testamentum defuncti? . . . »
Q. 58. *Quis* 1°) dicatur *exsecutor* testamenti et 2°) *quodnam* ejus *munus*? . . . . . »

CAP. 4. De commodato, precario, deposito, sequestro, mandato et negotiorum gestione.

Q. 59. 1°) *Quid* sit COMMODATUM? 2°) *Quid* vero PRECARIUM? . 220
Q. 60. *Quaenam* sint MUNERA *commodatarii*? 221
Q. 61. *Quaenam* sint OBLIGATIONES *commodantis*? . . . »
Q. 62. *Quid* 1°) sit DEPOSITUM et 2°) *quotuplex* distinguatur? . »
Q. 63. Ad *quid* teneatur *depositarius*? 222
Q. 64. Ad *quid* teneatur *deponens*? . . . . . »
Q. 65. Dic: 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit SEQUESTRUM? . . »
Q. 66. *Quid* 1°) et 2°) *quotuplex* sit MANDATUM? . . . . »
Q. 67. Ad *quid* teneatur *mandatarius*? 223
Q. 68. Ad *quid* teneatur *mandans*? . . . . . »
Q. 69. Quibus modis *solvatur* MANDATUM? . . . . »
Q. 70. *Quid* sit NEGOTIORUM GESTIO? . . . . . »
Q. 71. Ad *quid* teneantur: 1°) *gestor* negotii: 2°) ille, *cujus negotium geritur*? . . . . . »

CAP. 5. De mutuo, ubi de usuris et montibus pietatis.

Q. 72. *Quid* 1°) sit MUTUUM? 2°) An sit contractus *gratuitus*, an vero *onerosus*? 224
Q. 73. Dic: 1°) *Quinam* DARE possint MUTUUM, 2°) *quinam* vero ACCIPERE? . . . . . »
Q. 74. An aliquando detur *obligatio* ex charitate dandi MUTUUM? 225
Q. 75. Ad *quid* teneantur: 1°) *mutuans* seu *mutuator*; 2°) *mutuatarius*? . . . . . »
Q. 76. *Quid* 1°) sit USURA, et 2°) *quotuplex*? . . . . »
Q. 77. An *certo* constet, USURAS esse vetitas, jure sive *naturali*, sive *divino*? 228

Q. 78. Quaenam usurae *immodicae* dicendae sint, quaenam vero *modicae*? 232
Q. 79. Quinam sint *tituli*, ob quos *certo* licitum sit, in mutuo aliquid supra sortem exigere sine labe USURAE? . . . »
Q. 80. *Quid* dicendum de *Montibus pietatis*? 234

SECTIO SECUNDA. — DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

CAP. 1. De emptione-venditione in genere.

Q. 81. *Quid* 1°) sit EMPTIO-VENDITIO et 2°) quomodo *perficiatur*? 235
Q. 82. *Quid* 1°) sit MERX et 2°) *quotuplici* modo possit *determinari*? 236
Q. 83. *Cui* res vendita PEREAT ante *traditionem*? . . . »
Q. 84. Si *vitium* adest in merce, situe *aperiendum*? . . . »
Q. 85. *Quid* 1°) sit PRETIUM JUSTUM et 2°) *quotuplex*? . . 237
Q. 86. Ex quibusnam CAUSIS *variari* possit pretium *vulgare* citra injustitiam? 238
Q. 87. An liceat *minoris* emere CHIROGRAPHA et CREDITA, ob *anticipatam solutionem*? 239
Q. 88. Utrum et quatenus *peccent*, qui non stant *justo pretio*? . »
Q. 89. An possint vendi *pretio currente* res *mixtae* cum alia viliori? . . . . . »
Q. 90. *Quid* dicendum de illis, qui *mendaciis* et *perjuriis* alios inducunt, ut *carius* emant, intra latitudinem tamen *justi pretii*? 240
Q. 91. An ille, qui novit *scientia privata* mercium pretium brevi vel *minuendum* vel *augendum*, vendere aut emere possit *pretio nunc currente*? . . . . . »
Q. 92. *Quid* 1°) sit EVICTIO, et 2°) utrum de ea teneatur *venditor*? 241
Q. 93. Quid *in conscientia* debeat *restituere* venditor, qui de *evictione* tenetur? . . . . . »
Q. 94. An *confundi* debeat VENDITIO cum venditionis PROMISSIONE? 242
Q. 95. *Quid* 1°) sit PERMUTATIO et 2°) *quid* de ea dicendum? . »

CAP. 2. De venditione in specie : 1°) de retrovenditione et mohatra ; 2°) de venditione sub hasta ; 3°) de monopolio ; 4°) de venditione per proxenetas.

Q. 96. *Quid* 1°) sit RETROVENDITIO, et 2°) utrum sit *licita*? . 243
Q. 97. *Quid* 1°) sit contractus MOHATRA, et 2°) an sit *licitus*? . »
Q. 98. *Quid* 1°) sit VENDITIO SUB HASTA seu per licitationem, et 2°) quomodo in illa *violari* possit *justitia*? 244
Q. 99. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit MONOPOLIUM et 3°) utrum sit *licitum*? 245
Q. 100. *Quid* dicendum de *emptione-venditione* per PROXENETAS? 246

CAP. 3. De contractu societatis, trino contractu et locatione.

Q. 101. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit contractus SOCIETATIS? 247
Q. 102. An contractus SOCIETATIS sit *licitus*? 248
Q. 103. *Quid* 1°) sit TRINUS CONTRACTUS et 2°) an sit *licitus*? . »
Q. 104. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit LOCATIO-CONDUCTIO? 249
Q. 105. Dic : 1°) *Quaenam* sint in LOCATIONE **rerum** *obligationes* LOCATORIS ; 2°) quaenam vero CONDUCTORIS? . . . »
Q. 106. *Quaenam* sint in LOCATIONE **operarum** *obligationes* 1°) LOCATORUM ; — 2°) CONDUCTORUM? 251

CAP. 4. De cambio, censu, emphyteusi, et feudo.

Q. 107. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit CAMBIUM et 3°) sitne *licitum*? 254
Q. 108. *Quid* 1°) sit contractus CENSUS seu CENSUALIS et 2°) *quotuplici* modo institui possit? 255
Q. 109. *Quotuplex* sit CENSUS? . . . . . »
Q. 110. An omnis CENSUS sit *licitus*? 256
Q. 111. *Quid* sit EMPHYTEUSIS? . . . . . »
Q. 112. *Quid* sit FEUDUM? . . . . . »

CAP. 5. De contractibus accessoriis seu subsidiariis : fidejussione, pignore et hypotheca.

Q. 113. *Quinam* dicantur contractus *accessorii* seu *subsidiarii*? 257
Q. 114. *Quid* 1°) sit FIDEJUSSIO ; 2°) quodnam ejus *subjectum*, et 3°) quinam ejus *effectus*? . . . . . »
Q. 115. *Quid* 1°) sit PIGNUS, et 2°) quinam ejus *effectus*? . . 258
Q. 116. *Quid* 1°) sit HYPOTHECA, 2°) *quotuplex* ejus *species* et 3°) quinam ejus *effectus*? . . . . . »

CAP. 6. De contractibus aleatoriis : assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

Q. 117. *Undenam* CONTRACTUS *aleatorii* sic dicantur? . . 259
Q. 118. *Quid* 1°) sit ASSECURATIO ; 2°) *quotuplex* et 3°) an *licita*? »
Q. 119. *Quid* 1°) sit SPONSIO, et 2°) an sit *licita*? . . . 260
Q. 120. *Quid* 1°) sit LOTERIA seu SORTITIO, et 2°) an sit *licita*? . 261
Q. 121. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit LUDUS, et 3°) an *licitus*? »
Q. 122. Utrum *licitum* sit ludere pro PRECIBUS? . . . 263
Q. 123. Quid dicendum de ludentibus in *foro argentario*? . »

DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

PRAEAMBULUM 264

PARS PRIMA.

DE STATIBUS IN GENERE.

CAP. UNIC. De quidditate, divisione status et vocatione.

Q. 1. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit STATUS? 264
Q. 2. *Quid* 1°) sit VOCATIO ad statum, et 2°) *quaenam* sint divinae vocationis SIGNA? 265

PARS SECUNDA.

DE STATIBUS IN PARTICULARI.

SECTIO PRIMA. — DE STATU LAICALI.

CAP. UNIC. De distinctione status laicalis ejusque diversis obligationibus.

Q. 3. *Quotuplex* sit status LAICALIS? 266
Q. 4. *Quae* sint praecipuae *obligationes* PRINCIPUM? . . . 267
Q. 5. An obligatio bonos eligendi in gubernio *constitutionali* ac *republicano* urgeat etiam omnes *deputatorum* ELECTORES? . "
Q. 6. *Quaenam* sint obligationes JUDICIS? 268
Q. 7. An liget *in conscientia* sententia JUDICIS . 1°) *dubie justa;* 2°) *certo injusta*? 270
Q. 8. Ad *quid* teneantur ADVOCATUS et PROCURATOR? . . "
Q. 9. Ad *quid* teneatur TESTIS? 271
Q. 10. Ad *quid* teneatur REUS? 272
Q. 11. Quid possit REUS : 1°) circa sui *defensionem;* 2°) circa *fugam*? 274
Q. 12. Quomodo inter se differant ACCUSATIO JUDICIALIS, DENUNTIATIO JUDICIALIS et DENUNTIATIO FRATERNA? 275
Q. 13. *Quinam* ad DENUNTIATIONEM JURIDICAM teneantur? . 276
Q. 14. *Quaenam* sint obligationes NOTARII? . . . . . "
Q. 15. Ad *quid* teneantur MEDICI, CHIRURGI, PHARMACOPOLAE? . 277
Q. 16. Quomodo *artifices* et *opifices*, obligationes eorum statui proprias violando, fiant *injusti*? 278

SECTIO SECUNDA. — DE STATU CLERICALI.

CAP. 1. De obligationibus omnium clericorum propriis, quatenus sunt positivae. Ubi de habitu, tonsura, horis canonicis et coelibatu.

Q. 17. *Quaenam* sint OBLIGATIONES omnium clericorum *propriae* seu *communes*? 279
Q. 18. *Quaenam* sint praecipuae OBLIGATIONES *positivae*, omnibus clericis *communes*? . . . . . »
Q. 19. *Quid* dicendum de gestatione HABITUS CLERICALIS? . 280
Q. 20. An 1°) exstet *praeceptum* deferendi TONSURAM, et 2°) *quomodo* obliget? 281
Q. 21. *Quid* intelligas 1°) per HORAS CANONICAS; 2°) *quot* sint; et 3°) quaenam harum sit *origo*? . . . . . »
Q. 22. *Quinam* teneantur ad HORAS? 283
Q. 23. A quo *tempore* incipiat *obligatio* recitandi HORAS? . . 285
Q. 24. Dic : 1°) *Qualis* sit *obligatio* recitandi HORAS — et 2°) sub qua *poena*? 286
Q. 25. An qui *dubitat* utrum partem notabilem omiserit, *obligetur* eam recitare? 288
Q. 26. *Quodnam* OFFICIUM sit recitandum? . . . . . »
Q. 27. An *satisfaciat*, qui *unum* OFFICIUM recitet pro *alio*? . 289
Q. 28. *Quonam tempore* OFFICIUM sit recitandum? 290
Q. 29. Dic : 1°) Quo *situ* corporis vel *loco* recitari possit OFFICIUM *privatum*? et 2°) An *satisfaciat* recitans in statu *peccati mortalis*? 294
Q. 30. Quo *ordine* recitandum sit OFFICIUM? . . . . . »
Q. 31. An OFFICIUM recitandum sit *continuo* sine *interruptione*? 295
Q. 32. *Quomodo* recitandum sit OFFICIUM? 296
Q. 33. Qualis requiratur *intentio* et *attentio*? 297
Q. 34. Quaenam sint CAUSAE *excusantes* a recitatione HORARUM? 300
Q. 35. *Quinam* clerici ad COELIBATUM teneantur? 302
Q. 36. *Undenam* oriatur obligatio COELIBATUS? . . . . »
Q. 37. Quandonam *conjugatus*, constante matrimonio, possit SS. Ordinibus *initiari*? . . . . . .

CAP. 2. De obligationibus omnium clericorum propriis, quatenus sunt negativae ; ubi praesertim de negotiatione.

Q. 38. *Quaenam* sint, quae clericis omnibus *vetantur*? . . . 305
Q. 39. *Quandonam* adsit NEGOTIATIO *proprie dicta*? . . . 308
Q. 40. Quid dicendum de clericis ementibus titulos vulgo dictos : *actions, obligations*? 310

CAP. 3. De obligationibus clericorum in particulari. Ubi de episcopis, canonicis et parochis.

Q. 41. *Quaenam* sint *obligationes* EPISCOPORUM? 312
Q. 42. *Quaenam* sint *obligationes* CANONICORUM? . . . 313
Q. 43. *Quaenam* sint praecipuae *obligationes* PAROCHORUM? . 316

CAP. 4. De clericorum privilegiis et beneficiis.

Q. 44. *Quaenam* sint PRIVILEGIA *clericorum?* 319
Q. 45. *Quinam* ex clericis PRIVILEGIIS istis non *gaudeant?* . 320
Q. 46. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quotuplex* sit BENEFICIUM ECCLESIASTICUM? . . . . . "
Q. 47. *Quot* modis fiat *provisio* BENEFICIORUM? 322
Q. 48. *Quid* 1°) sit JUS PATRONATUS; 2°) quomodo *acquiratur* et 3°) quotuplex *distinguatur?* . . . . . "
Q. 49. Quae *qualitates* exigantur in *promovendis* ad BENEFICIA ECCLESIASTICA? . . . . . "
Q. 50. Dic : 1°) *An* et 2°) *qualis* detur OBLIGATIO *digniores* promovendi? 323
Q. 51. An *liceat* habere *plura* BENEFICIA? . . . . . "
Q. 52. *Quibus* modis BENEFICIA *amittantur?* 324
Q. 53. *Quotuplex* sit *resignatio?* . . . . . "

SECTIO 3ª. — DE STATU RELIGIOSO.

CAP. 1. — De statu religioso in communi.

Q. 54. *Quid* sit STATUS RELIGIOSUS seu REGULARIS *stricte* dictus? 325
Q. 55. *Quotupliciter* ORDINES religiosi *distinguantur?* . . 327
Q. 56. An 1°) vota *simplicia* sufficiant ad essentiam status religiosi, et 2°) in quo vota *solemnia* differant a *simplicibus?* . 328
Q. 57. An *parochi* possint impedire, quominus REGULARES conventum intra suae paroeciae fines *constituant?* . . . 329
Q. 58. Quid dicendum de iis, qui alios ad Religionem *inducunt?* "
Q. 59. Quid de eo, qui alium *abstrahit* a statu religioso? . . "
Q. 60. An *peccet*, qui, se ad religionem vocatum *sentiens*, divinae vocationi *non obsequitur?* 330

CAP. 2. — De ingressu in religionem et professione.

Q. 62. *Quinam* PROHIBEANTUR religionem *ingredi?* . . . "
Q. 63. Ad *quid* teneatur qui VOVIT religionem? 332
Q. 64. Quaenam requirantur ad *validam* PROFESSIONEM? . . "

Q. 65. Quinam sint *effectus* PROFESSIONIS? 333
Q. 66. Quandonam religiosus *graviter* peccet contra obligationem *tendendi ad perfectionem?* 334
Q. 67. An peccet *graviter* Religiosus, qui intendit tantum servare mandata *obligantia sub gravi*, alia vero statuat omnia transgredi vel de iis non curare? 335
Q. 68. An *peccet graviter* SUPERIOR, leves defectus subditorum corrigere negligens? . . . . . »

CAP. 3. De obligationibus religiosorum vi votorum: A castitatis; B) obedientiae; C) paupertatis.

Q. 69. Ad *quid* teneatur *religiosus* vi voti CASTITATIS? . . . 336
Q. 70. Ad *quid* teneatur vi voti OBEDIENTIAE? . . . . . »
Q. 71. *Quid* importet votum PAUPERTATIS in religione emissum? 337
Q. 72. An religiosus ex voto PAUPERTATIS prohibeatur sine licentia recipere *res alienas* sive 1°) in *depositum*, sive 2°) *in pias causas* erogandas? 338
Q. 73. Quaenam materia censenda sit *gravis* in violatione voti *paupertatis?* . . . . . »
Q. 74. An *solvatur* a VOTIS et REGULIS Regularis promotus: sive 1°) ad *episcopatum* aut *cardinalatum*; sive 2°) ad *parochiam?* 339

CAP. 4. De obligationibus jure canonico aut consuetudine professioni religiosae annexis. Ubi praesertim de clausura.

Q. 75. Quaenam sint praecipuae obligationes *jure canonico* aut *consuetudine* professioni religiosae annexae? 340
Q. 76. *Quid* intelligatur nomine CLAUSURAE? 341
Q. 77. Qualis sit in Ordinibus *stricte* dictis obligatio CLAUSURAE? »

CAP. 5. De religiosis transeuntibus ad aliam religionem, deque ejectis, fugitivis et apostatis.

Q. 78. An liceat *religioso professo* TRANSIRE de una religione ad aliam? 343
Q. 79. Quid dicendum de *religiosis professis*: sive 1°) EJICIENDIS, sive 2°) jam EJECTIS aut SPONTE DIMISSIS? 344
Q. 80. Quid dicendum de *religiosis professis* FUGITIVIS vel APOSTATIS? 346

CAP. 6. De nonnullis privilegiis regularium : A) circa exemptionem : B) circa sacramentorum administrationem et receptionem ; C) circa vota, juramenta ac impedimenta.

Q. 81. In quo consistat *privilegium* EXEMPTIONIS? 346
Q. 82. *Quaenam* sint PRIVILEGIA Regularium : 1°) quoad *administrationem sacramentorum ;* 2°) quoad eorumdem *susceptionem?* 348
Q. 83. Quaenam sint *privilegia* Regularium circa *vota, — juramenta* — ac *impedimenta?* 350
Q. 84. An PRAELATI regulares post Const. « *Apostolicae Sedis* » possint *suos subditos* absolvere a casibus papalibus in dicta Const. *simpliciter* reservatis? 351

CAP. 7. De congregationibus religiosis.

Q. 85. *Quid* dicendum de CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS? . . 352

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PRAEAMBULUM 354

CAP. 1. De quidditate, numero, auctore, dignitate et distinctione sacramentorum N. L.

Q. 1. *Quid* 1°) sit sacramentum *generice* sumptum ; 2°) *quid* sacramentum *N. L.;* 3°) *quot* sint hujusmodi; 4°) *quis* eorum auctor; 5°) an sint dignitate *paria,* et 6°) quomodo *distinguantur?* 355

CAP. 2. De virtute, effectibus et reviviscentia Sacramentorum N. L.

Q. 2. Dic : 1°) Utrum Sacramenta N. L. *virtutem* suam habeant ex passione Christi? et 2°) *quotuplex* sit eorum *effectus?* . 363
Q. 3. Quid intelligatur nomine *gratiae,* prout communis est omnibus sacramentis? 366
Q. 4. *Quomodo* sacramenta N. L. conferant *gratiam?* . . 367
Q. 5. *Quam* gratiam *sanctificantem* conferant sacramenta N. L., an *primam,* an *secundam?* 369
Q. 6. Quid 1°) sit et 2°) quid praestet CHARACTER sacramentalis? 370

Q. 7. An sacramentum *informe*, i. e. valide sed infructuose susceptum ob indispositionem recipientis, *sublato obice*, REVIVISCAT? 373
Q. 8. Quaenam requiratur *dispositio*, ut sacramenta reviviscant? 376

CAP. 3. De iis quibus SS. N. L. necessario perficiantur. Ubi speciatim de materia et forma.

Q. 9. *Quibusnam* sacramenta N. L. necessario PERFICIANTUR? 377
Q. 10. Dic : 1°) *Quid* et *quotuplex* sit MATERIA ; 2°) *Quid* vero FORMA in sacramentis N. L.? 378
Q. 11. *Quomodo* MATERIAE et FORMAE sacramentorum N. L. a Christo fuerint *determinatae?* 380
Q. 12. Quomodo se debeant habere ad invicem *materia* et *forma:* 1°) quoad APPLICATIONEM? 382
Q. 13. Quomodo se debeant habere *materia* et *forma:* 2°) quoad SIMULTATEM? . . . . . "
Q. 14. Quomodo se debeant habere *materia* et *forma :* 3°) quoad INVARIABILITATEM? 384
Q. 15. *Quandonam* habeatur in *materia* et *forma* mutatio SUBSTANTIALIS, *quandonam* vero ACCIDENTALIS tantum? . . "
Q. 16. *Quot* modis effici possit MUTATIO *formae*, substantialis seu accidentalis? 385
Q. 17. An *conficiat* sacramentum, qui sciens inducit mutationem *accidentalem*, quam erronee putat *essentialem?* . . . "
Q. 18. *Quomodo* peccet, qui mutat *materias* aut *formas?* . "
Q. 19. *Quomodo* se debeant habere *materia* et *forma* : 4°) quoad CERTITUDINEM? 386
Q. 20. An, ubi agitur de *valore* sacramenti, liceat uti opinione *probabili*, relicta *tutiori?* . . . . . "
Q. 21. *Quandonam* et *quomodo* ITERANDUM sit sacramentum? . 387
Q. 22. Qualiter peccet, qui sine causa : 1°) *formam* REPETIT ; aut 2°) eam ita pronuntiat, ut unum verbum vel syllabam *bis terve* REPETAT? 388

CAP. 4. De ministro sacramentorum N. L.

Q. 23. *Quisnam* sit MINISTER sacramentorum N. L.? . . 389
Q. 24. Quid requiratur ex parte MINISTRI ad *valorem* sacramenti? 394
Q. 25. *An* et *quale* peccatum sit ministrare sacramenta in statu *peccati mortalis?* 401
Q. 26. An minister consecratus *toties* peccet mortaliter, *quoties* in mortali conficit sacramentum? 404

Q. 27. An minister *consecratus* seu *ex officio*, si reus sit peccati mortalis, teneatur *confiteri* ante confectionem sacramenti, an vero sufficiat *conteri?* 405
Q. 28. Qualis sit *obligatio* administrandi sacramenta? . . 406
Q. 29. *An* et *quomodo* peccet MINISTER sacramenti, illud ministrando *indignis?* 408
Q. 30. An *absolvi* possit juvenis in *peccato carnis habituatus* si, nondum a tali vitio curatus, ascendere cupiat sive ad *SS. Ordines*, sive ad *statum religiosum?* 411
Q. 31. *Quaenam* a ministro *observanda* sint in NEGATIONE *publica* sacramentorum? . . . . . »
Q. 32. Dic : 1°) Quid proprie sit *simulare* sacramentum; quid vero *dissimulare;* et 2°) an utrumque aliquando *liceat*, ne indigno conferatur? . . . . . »
Q. 33. An liceat *accipere* vel *dare* aliquid pro administratione sacramentorum? 413

CAP. 5. De subjecto sacramentorum.

Q. 34. *Quisnam* sit SUBJECTUM capax recipiendi sacramenta N.L.? 416
Q. 35. An requiratur *intentio* seu *consensus* in *subjecto* ad VALIDAM susceptionem sacramentorum? 418
Q. 36. *Qualis* debeat esse INTENTIO in adultis ad *validam* susceptionem sacramentorum? 421
Q. 37. *Quaenam* in *adulto* requirantur dispositiones ad LICITAM ac FRUCTUOSAM sacramentorum receptionem? 423
Q. 38. An suscepturus sacramentum possit illud *licite* petere a ministro *indigno?* 426

CAP. 6. De caeremoniis et sacramentalibus.

Q. 39. An MINISTRI teneantur observare *caeremonias* seu *ritus* in administratione sacramentorum *praescriptos?* . . . 429
Q. 40. Dic : 1°) *Quid* et 2°) *quot* sint SACRAMENTALIA? . . 432
Q. 41. *Quisnam* sit *valor* SACRAMENTALIUM? 436
Q. 42. *Quinam* sint praecipui *effectus* SACRAMENTALIUM? . . »

DE BAPTISMO.

PRAEAMBULUM 438

CAP. 1. De natura, necessitate et effectibus Baptismi.

Q. 1. *Quotuplex* distinguatur BAPTISMUS? 439
Q. 2. Dic : 1°) *Quid* sit sacramentum BAPTISMI; 2°) *cur* inter

sacramenta *primo* loco numeretur; 3°) quomodo fuerit *praefiguratum*; 4°) *quandonam* a Christo institutum, et 5°) *quo tempore* lex de Baptismo coeperit obligare? 439
Q. 3. *Quanta* sit *necessitas* sacramenti BAPTISMI ad salutem? . 441
Q. 4. *Quid* sit BAPTISMUS *flaminis?* 443
Q. 5. Dic: 1°) *Quid* sit BAPTISMUS *sanguinis?* 2°) *Quid* autem MARTYRIUM? 444
Q. 6. *Quaenam* requirantur ad *essentiam* MARTYRII? . . 447
Q. 7. Quaenam *dispositiones* requirantur, ut BAPTISMUS SANGUINIS, seu MARTYRIUM, suum consequatur *effectum?* . . 448
Q. 8. Dic: 1°) In quo *conveniant* BAPTISMI *fluminis, flaminis et sanguinis?* 2°) In quo vero a se *discrepent?* 449
Q. 9. *Quinam* sint *effectus* SACRAMENTI Baptismi? . . . 451

CAP. 2. De materia et forma Baptismi.

Q. 10. *Quae* sit MATERIA *remota* Baptismi? 452
Q. 11. *Quae* sit MATERIA *proxima* Baptismi? 455
Q. 12. *Qualis* ABLUTIO sit necessaria ad *valorem* Baptismi? . "
Q. 13. An valeat ABLUTIO *occisiva?* 456
Q. 14. *Quae* sit FORMA legitima Baptismi? 457
Q. 15. *Quaenam* de *necessitate sacramenti* in FORMA sint *exprimenda?* . . . . . "
Q. 16. An Apostoli unquam baptizaverint *in nomine Jesu Christi* tantum? 458

CAP. 3. De ministro Baptismi, tempore et loco quo administrandus sit.

Q. 17. *Quisnam* sit MINISTER Baptismi? 460
Q. 18. *Quo* TEMPORE administrandus sit Baptismus? . . 462
Q. 19. *Ubinam* Baptismus sit administrandus? . . . . "

CAP. 4. De subjecto Baptismi.

Q. 20. *Quis* sit SUBJECTUM capax Baptismi? 463
Q. 21. *An* et *quomodo* baptizari debeat: 1°) INFANS TOTALITER INCLUSUS IN UTERO MATRIS; 2°) FOETUS ABORTIVUS; 3°) OSTENTUM; 4°) MONSTRUM? 464
Q. 22. An *licite* baptizentur pueri ACATHOLICORUM, parentibus eorum *invitis?* 466
Q. 23. An *licite* baptizentur ante usum rationis filii *acatholicorum*, ROGATU eorum parentum? 467
Q. 24. *Quaenam* in ADULTIS requirantur *dispositiones* ad *validam* et *fructuosam* susceptionem Baptismi? 468

CAP. 5. De rebaptizatione.

Q. 25. *An* aliquando Baptismus ITERARI *possit* vel *debeat?* . 468
Q. 26. *An* sub conditione *rebaptizandi* sint : 1°) baptizati ab OBSTETRICIBUS, vel aliis MULIERIBUS aut VIRIS ; 2°) baptizati ab HAERETICIS ; 3°) pueri EXPOSITI? 469

CAP. 6. De patrinis aliisque caeremoniis in Baptismo servandis.

Q. 27. Dic : 1°) *Quare* PATRINI et MATRINAE sic dicantur, et 2°) *quomodo* adhuc vocentur? 471
Q. 28. *An* ritus adhibendi PATRINOS in Baptismo sit *necessarius?* 472
Q. 29. *Quot* assumi possint in PATRINOS? . . . . . »
Q. 30. *Quinam* sint *effectus* validae susceptionis in PATRINO? . 473
Q. 31. *Quaenam* requirantur ad *validam* SUSCEPTIONEM? . . »
Q. 32. *Quinam* EXCLUDANTUR ab officio *patrini?* 474
Q. 33. Dic : 1°) Quomodo *distinguantur* CAEREMONIAE in Baptismo solemni adhibendae, et 2°) *quale peccatum* sit eas omittere? 476
Q. 34. *Quid* dicendum de NOMINE in Baptismo *imponendo?* . 480
Q. 35. An *omissae* caeremoniae sint *supplendae* . . . . »

CAP. 7. De sectione caesarea.

Q. 36. *Quid* 1°) sit sectio CAESAREA? 2°) *An*, mortua matre gravida, sit *facienda?* 3°) *Cuinam* incumbat *cura* eam faciendi? 4°) *Liceat*ne eam facere, dum mulier gravida adhuc *vivit?* 5°) *An* haec *teneatur* sectionem pati? 481

DE CONFIRMATIONE.

PRAEAMBULUM 485

CAP. 1. De quidditate et effectibus Confirmationis, ubi de donis et fructibus Spiritus S.

Q. 1. *Quid* 1°) sit CONFIRMATIO ; 2°) *quomodo* adhuc *vocetur ;* 3°) *quandonam* fuerit instituta, et 4°) sitne verum *sacramentum?* »
Q. 2. *Quinam* sint *effectus* CONFIRMATIONIS? 488

CAP. 2. De materia et forma Confirmationis.

Q. 3. *Quaenam* sit materia *remota* CONFIRMATIONIS? . . 494

Q. 4. *Quaenam* sit materia *proxima* CONFIRMATIONIS? . . 495
Q. 5. *Quae* sit *forma* CONFIRMATIONIS? 497

CAP. 3. De ministro, subjecto et necessitate Confirmationis.

Q. 6. *Quisnam* sit *minister* CONFIRMATIONIS? 498
Q. 7. *Quodnam* sit *subjectum* capax CONFIRMATIONIS 1°) *valide* ac 2°) *fructuose* suscipiendae? 500
Q. 8. *An* et *qualis* sit *necessitas* CONFIRMATIONIS? . . . 504
Q. 9. An *dubitans* de valore suae CONFIRMATIONIS 1°) *possit* denuo confirmari; item, an 2°) *debeat?* 508

CAP. 4. De patrinis Confirmationis, tempore ac loco quo administrari possit.

Q. 10. Dic: 1°) *An* et *qualis* detur *obligatio* adhibendi *patrinum* in CONFIRMATIONE; 2°) *quot* et *quales* esse debeant; et 3°) *quinam* ab hoc munere sint *arcendi?* 509
Q. 11. Quo *tempore* ac *loco* administrari possit CONFIRMATIO? . 511

CAP. 5. De caeremoniis Confirmationis earumque mystica significatione.

Q. 12. *Quaenam* sint *caeremoniae* Confirmationis et quid *mystice* significent? . . . . . .

ERRATA

PAG.	LINEA	LOCO	LEGE
32	30	soribus	sororibus
35	3	ecclesisticis	ecclesiasticis
480	27	sit	sint

250.8
H 152
V.2
26453
AUTHOR
Haine, A. J. J. F.
TITLE
Theologiae moralis elementa ex S.
thoma aliisque probatis doctoribus
DATE DUE

250.8
H 152
V. II
26453

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library